



S. Ignatius Loyola S. J.

IHS  
✠  
✚

Ex Archetypo Bellus



Ignatio Ignatius de bono p. bre

Impr.



H-77526  
F-81459

A-5  
35668

*EPISTOLÆ*  
*SANCTI IGNATII*  
*LOYOLÆ*  
*SOCIETATIS JESU FUNDATORIS*  
*LIBRIS QUATUOR*  
*DISTRIBUTÆ*  
QUIBUS ACCEDIT  
*LIBER SENTENTIARUM*  
EJUSDEM

Cum prævio Commentario, quo ex Epistolis & Sanctissimi  
Viri, & aliorum gesta illustrantur, compluriumque  
seu deperditarum, sive latentium argumenta,  
& fragmenta producuntur.


*Nonnulla demùm ejusdem S. Ignatii cum certa, tum dubia*  
*Opuscula & Documenta in Appendice & alibi*  
*sparsa e re nata produntur;*

*ADJECTIS QUATUOR INDICIBUS*  
A R. M.

Olim Societatis Jesu in Castellana Provincia  
*SACERDOTE.*

*BONONIÆ MDCCCIV.*  
REIP. ITAL. AN. III.

Typis Gasparis de Francisci ad Columbæ Signum.  
*CUM APPROBATIONE.*





IN EPISTOLAS  
S. IGNATII LOYOLÆ  
SOCIETATIS JESU FUNDATORIS

PRÆFATIO.

I. **N**on modò mirabile mihi est, sed prodigio simile nullum hactenus extitisse in talibus ac tantis Societatis Jesu Patribus, qui collectas in unum Sancti Parentis Ignatii literas, selectiores saltem & prestantiores, in lucem dederit, cum singularis ejus sanctitas, Christiana sanè prudentia, & doctrina divinitus infusa, inflammandis quibuslibet divino amore semper intenta, in illis potissimum resplendeat. Olim præ manibus erant, ut verbis utar Bolland. t. 7. Jul. p. 436. n. 140, ex libro Archivii nostri manuscripto in folio, & quinque digitis crasso: cui titulus, S. IGNATII EPISTOLÆ. Utor autem semper, ut semel moneam, editione Antuerpiensi. Aliam dein collectionem laudant Bollandiani p. 488. n. 421. his verbis: Inter epistolas Sancti Patris nostri, quarum egrapha plurima in promptu habemus, collecta a P. Claudio Joachimo Thoubeau Soc. J. . . . Novam collectionem ante paucos annos apparare cœperat vir plane eruditus ac disertus D. Michael Garzia: qui Romæ, ubi jam tabularium Societatis Jesu, mandato Summi Pontificis obsignatum nemini patebat, vix duodeviginti S. Ignatii epistolas cum paucis aliarum fragmentis collegerat, cum fatali morbo correptus chartas suas Dño Alexandro Batier moriturus legavit. Dum Romæ Ba-



tier amici studia perficere cogitabat, hoc idem Ferraria volebat animo D. Andreas Galan, cui tamen nimis erat curta supellex; neutri verò inerat pro voluntate facultas: non nihil tamen, quod pro loco & tempore laudabitur, & hujus & illius studium pro sua humanitate mihi profuit. Nam uterque liberaliter, ac libentissimè, quidquid sibi comparaverat, in meas per amicorum manus transmisit. Nec tacendi Viri Cl. Lucianus Gallisa, & Josephus Vega, Catalauni; qui & Ignatianis literis graphice descriptis, & eruditis in easdem monitis me sibi devinxerunt.

2. Jam verò locupletissimam omnium supellectilem per Cl. D. Faustinum Arevalo mihi suppeditavit egregius Toletanae Ecclesiae Bibliothecarius D. Petrus Emmanuel Hernandez, ex Historia Toletanae Provinciae Soc. J., edita Matriti an. 1710. duobus tomis in fol. a P. Bartholomæo Alcazar ejusdem Societatis: quam ego frustra Bononiae, Florentiae, & Romae conquisieram. Namque dimisso ad ipsum indice literarum S. Ignatii ad Hispanos, quæ mihi suppetebant, quatuor ille ac viginti, omnes integras, nitidissimè, transcriptas, & accuratè a se recognitas, correctas, illustratas summà transmisit humanitate. Miror autem eximiam Bollandianorum diligentiam, in vita præsertim S. Patris Ignatii conscribendâ, nec eâ Toletanâ, nec antiquiore alia usam fuisse Historiâ Provinciae Lusitanae Societatis Jesu, quam Lusitanicè duobus in folio voluminibus an. 1645. & 1647. Ulyssipone ediderat P. Balthasar Tellez; ex qua ipse Florentiæ plures integras B. Patris descripsi literas, & aliarum fragmenta. Miror etiam, eosdem Bollandianos usos non fuisse postremâ Hispanicâ S. Ignatii Vitâ, pluribus auctâ a P. Petro Ribadeneira in editione Matritensi anni 1605. apud Ludovicum Sanchez; quam habeo compactam cum Vitâ P. Didaci Lainez, & S. Francisci Borgie, editis Matriti an. 1594. apud Petrum Madrigal; quod monitum volui,



lui, ut caveantur errores, quos hac de re passim animadverti. Fontes alios magis obvios suis locis identidem indicabo; & loca in primis, unde mihi singulas quasque literas comparavi. Sed quoniam frequentius recurret sermo de Codice Florentino, juvat hunc semel distinctius exhibere, quem saepe deinceps manuscriptum seu Codicem Florentinum nominabo. Est autem is Bibliothecæ publicæ Magliavecchianæ codex 23. classis trigesimæ quintæ, cui a tergo titulus: S. Ignatii Lojolæ, & aliorum Opuscula; manu scriptus celebris Magliavecchi, a quo Bibliothecæ nomen, ut mihi custodes ejusdem asserebant. Codex in octavo est crassissimus; qui præter ineditas S. Ignatii tres epistolas, & plura ejusdem opuscula, nonnulla item complectitur P. Francisci Borgiæ, & Matris Franciscæ Abbatissæ & Amitæ P. Francisci Ducis olim Gandiæ; necnon epistolas D. Joannæ a Cardona, D. Joannæ ab Exarche, & P. Hieronymi Domenech ad S. Ignatium: quibus adde epistolas Petri Fabri, Antonii Araoz, Joannis Polanci, & Joannis a Cordova, Decani & Canonici Cordubensis. Ad calcem denique notantur indulgentiæ quædam a Pio PP. IV. anno 1561. concessæ. Ac mihi quidem, codicem sæpius pervolvendi, sub illud tempus conscriptus videbatur. Alia equidem omnia perscrutandis Florentinis codicibus queritabam, cum inopinato in hunc incidi: quo tamen est factum, ut domum inde regressus, prioribus curis intermissis, de colligendis, quascumque possem, S. Ignatii epistolis, ac de Xaverianis denuo edendis cogitarem. Inde renovata beneficiorum memoria, quibus & Ignatio & Xaverio ab ipsa extrema mea pueritia mirum in modum devinctum me sentiebam, tenuitatem meam utriusque honori gratiæ loco deferre constitui: ut hac in re saltem ex vero usurpare valeam Evangelicum illud: quod debuimus facere, fecimus; servi inutiles sumus.

3. Dum autem colligendis S. Ignatii literis quibuscumque,



que, diligentissimos quosque rerum ejus Scriptores per-  
 tabam, Latinos, Hispanos, Italos, Lusitanos, Gallos;  
 errores eorum ac defectus notabam, qui tutius emenda-  
 ri possunt aut suppleri ex collatione literarum, quas mo-  
 dò in unum collectas exhibemus: nec dubito, quin alia si  
 plures accesserint, novum pariter lumen Ignatianis rebus af-  
 fundant. Cum autem vir sanctus ad majorem Dei gloriam,  
 & animarum salutem ubique terrarum promovendam, fre-  
 quenti egerit literarum usu cum viris omnium fere gentium  
 principibus, quavis dignitate seu sacrà seu profanà prestan-  
 tibus; ipsius literarum commercio nobiliores ejusdem ævi hi-  
 storia illustrentur necesse est. Quam ob rem præter accu-  
 ratam rationem temporum, qua conabar singulas quasque li-  
 teras, & ipsarum argumenta circumscribere & illustrare,  
 duplex conficiendus fuit index; primus eorum, quibus, & a  
 quibus literæ sunt missæ; alter generalis rerum omnium,  
 quæ tam in literis, quàm in prolegomenis continentur. Li-  
 cet autem ex hoc generali supervacaneus quibusdam videa-  
 tur, qui præcipua literarum argumenta complectatur; tamen  
 hunc etiam persuasit & illustrium autoritas editorum, & ma-  
 jor lectorum utilitas.

4. Jam verò recentiores Sanctissimorum Patrum, ac virorum  
 illustrium editores, qui eruditis quidem maximè probantur,  
 non integrâ solùm illorum opera, & epistolas, sed particulas  
 etiam deperditarum edere consueverunt: quibus præterea in-  
 termiscent aliorum literas, quæ ad ipsos mittebantur. Quo-  
 rum equidem ita sequor exempla, ut Sancti Ignatii litera-  
 rum fragmenta, & aliorum ad ipsum epistolas, quæ illu-  
 strandis præcipuè ipsius gestis usui esse videntur, in prævium  
 vitæ suæ conspectum ex mutuis literarum officiis, seu ipsa-  
 rum potius chronotaxim conjecerim; ex aliis verò præstan-  
 tiores selegerim, quas Ignatianis socias admiscerem: quæ au-  
 tem incerti omnino sunt temporis, & controversa, seu du-  
 bia.



bia, chronotaxis appendicem conficiunt. Porrò editas Beati Patris literas, hac illac sparsas, 55. integras collegi; nondum editas 42.; editarum etiam exemplaria manuscripta non pauca, quibus identidem vulgata illustrantur. Jam verò integras a viris præsertim Principibus ad S. Ignatium missas vulgarunt plurimas Bollandiani t. 7. Julii: quarum plerasque in chronotaxim conjeci; præstantiores cum Xaverianis undecim, tribusque aliis nondum editis cum Ignatianis commiscui. Has omnes, Tursellinum secutus in prima Xaverianarum editione, libris quatuor distribui: ad calcem cujusque libri notavi, & aliarum nobiliora fragmenta, & plures ad Ignatium missas, a me in chronotaxi præmissas; quas alii non immeritò Ignatianis putant adjungendas. Sequitur liber Sententiarum B. Patris, ex Bollandianis in primis, & ex P. Gabrielis Hevenesi libro compactus, cui titulus: Scintillæ Ignatianæ, in singulos anni dies distributæ, & ulteriori considerationi propositæ: Mexici A. D. 1756. Modus mihi ac delectus fuit necessarius, ut & morem gererem rogantis voluntati, & ne moles nimium accresceret. Atque hæc de universa Operis partitione.

5 Erunt fortasse, qui a S. Ignatii literis præclarum nihil sperandum putent, quod quidem a philosophia & sacra scholarum disciplina sit profectum; quippe cum annos natus 33. Latinarum literarum studium inchoarit. Quibus ego duo reponam e Bollandianis haud dubia testimonia, qua planè demonstrant, quantam sibi Ignatius, natu licet grandior, ingenio, labore, & industriâ doctrinam comparaverit. Proferunt enim t. 7. Jul. a pag. 441. certissima Parisiensis Academia testimonia de gradibus Artium Ignatio, ac Sociis ejus collatis: quibus constat, Ignatium die 13. Martii 1533. Licentiatum in Artibus, ac biennio post inchoato, anno 1534. post Pascha Magistrum in iisdem fuisse creatum. Ubi præ oculis habendum, quod in epist. S. Francisci Xaverii t. 1.



*a p. L., & in Glossario Caroli Dufresne v. Annus, pluribus est demonstratum, tunc temporis apud Parisienses annum a Paschate inchoari solitum; ita ut annus, qui ibi signatur 13. Martii 1532. pertineat ad annum 1533. prout jam usurpatur, annus autem 1534. die 14. mensis Martii, ad nostrum 1535.: a Paschate verò ad finem Decembris vulgari nostro respondebat. Quibus intelligas sequens de S. Ignatii magisterio testimonium: Universis præsentes literas inspecturis Rector & Universitas Studii Parisiensis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum universi fidei catholicæ cultores tam naturali æquitate, quam divinæ legis præcepto sint adstricti, ut fidele testimonium perhibeant veritati... Hinc est, quod nos in hac parte veritati testimonium perhibere cupientes, omnibus & singulis quorum interest, tenore præsentium notum facimus, quod dilectus noster discretus vir Magister Ignatius de Loyola, diœcesis Pampilonensis, in Artibus magister, gradum magisterii in præclara Artium Facultate Parisiis, examinibus rigorosis anno Domini 1534. post Pascha, secundum prædictæ facultatis Artium statuta & consuetudines diligenter præhabitis, solemnitatibus in talibus assuetis laudabiliter & honorificè adeptus est. In cuius rei testimonium sigillum nostrum magnum præsentibus literis duximus apponendum. Datum Parisiis in nostra Congregatione generali apud Sanctum Mathurinum solemniter celebrata anno Domini prædicto millesimo quingentesimo tricesimo quarto, die decima quarta mensis Martii.*

*6. Alterum de sacra ejusdem doctrinà testimonium exstat ibidem p. 457. his verbis: Hieronymus Verallus, sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, Sanctissimi Domini nostri Papæ Notarius, Capellanus, & Prælatus domesticus, ac in toto Venetorum dominio cum potestate*  
Car-



Cardinalis Legati de latere, Legatus Apostolicus, dilecto nobis in Christo Ignatio de Loyola, presbytero Pamplonensis diocesis, in Artibus Magistro, salutem in Domino sempiternam. Dignum & conveniens arbitramur, ut Christi fidelium quorumlibet, illorum præsertim, quos sacrarum litterarum peritia decorat, vitæque ac morum honestas laudabiliter recommendat; quantum nobis ex legationis nostræ, qua meritis licet insufficientibus fungimur, officio permittitur, devotis petitionibus annuamus, illosque gratioso favore prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te ob præclara virtutum dona, ac sacrarum litterarum peritiam, quibus te novimus insignitum, benevolo favore prosequi, ac sperantes, quod per tuæ diligentiae studium te adeo fidelitè & sollicitè geres, ut Christi fideles tuis prædicationibus assistentes, tuis monitis & exemplis in mandatorum Dei observantia firmitus corroborabis, Apostolica auctoritate, qua fungimur, tibi, ut in quibuscumque Ecclesiis & locis, Monialium dumtaxat exceptis, ad id idoneis, legationi nostræ subditis, ubi benevolos inveneris receptores, Missas & alia divina officia celebrare, Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ac Evangelicam legem verbumque Dei, Christi populo prædicare, sacrasque litteras publicè & privatè legere & interpretari, necnon omnium & singulorum utriusque sexus Christi fidelium, intra limites legationis nostræ hujusmodi degentium, ad te recurrentium confessiones audire, & illis per te diligenter auditis, ipsos, & eorum quemlibet ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, in quibus Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii locorum Ordinarii de jure vel consuetudine aut aliàs absolvere possunt, quoties opportunum fuerit, per teipsum absolvere, & eis pro præmissis

b

pœni-



pœnitentiam salutarem injungere, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Ordinationum locorum licentiâ per te priùs requisitâ, licet non obtentâ, liberè & licitè valeas, tenore præsentium indulgemus; non obstantibus quibusvis... Dat. Venetiis an. Incarn. Dom. 1537. die 5. Julii... Hieronymus Veralius Legatus... Visæ per me Hieronymum Ziliolum... in Episcopatu Vincentino Vicarium substitutum, die 6. Sept. 1537.

7. *Hiscæ duobus gravissimis testimoniis satis abunde constat, quantam sacrarum præsertim literarum peritiam in animarum salutem Ignatius sibi per annos fere tredecim comparaverit: quare infusâ divinitus sapientiâ, qua etiam pollebat, ipsi opus non erat, ut viros cujusvis ordinis ac dignitatis summos in rebus gravissimis, quæ sapientiam ac prudentiam summam requirerent, admiratione quadam afficeret, ac quo ipse vellet, solâ nonnumquam autoritate sua flecteret; id quod ex monumentis mox producendis apparebit. Nam de primariis ejus discipulis Xaverio, Fabro, Lainio, Salmerone, Jajo, Bobadilla, ut alios taceam, dicere multis non attinet, quantâ ubicunque sapientiæ laude præstiterint, quamque demissè in rebus arduis ac difficillimis sapientissima Ignatii responsa petierint, flagitarint, suspexerint. In quibus præter ea, quæ deinceps identidem indicabuntur; legendus magnus Xaverius lib. 1. ep. 4. 8. 10... edit. Bonon.; & Bartolius lib. 4. de S. Ignatio n. 17. & 34.*

8. *Ad ejusdem literarum stilum quod attinet; quem non Hispanice solùm, sed etiam Latine, atque Italice grandævus exercuit; magnifice quidem divinam semper tractavit sapientiam, at non in sapientia verbi, non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, sed ut verè alia etiam Pauli Apostoli posset usurpare verba: Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,*



bis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. In quo naturalis inesset, non ineptiis fucata sapientia, non fallax, non erudita artificio simulationis, non blanditiis & assentationibus deformata, sed gravis sententiis, simplicitate ingenua, brevitate perspicua, decora officiis, ac divinis plena luminibus & ardore: seu viris ille scriberet Imperiali, Regia, vel quavis alia suprema dignitate Principibus, sive Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aut alio quovis honoris gradu prestantibus, omnibus pariter, non secus atque aequalibus & subditis, Sanctissimum Jesu Nomen a capite premittebat, eodemque ad calcem literas suas subsignabat: quibus extremis media planè congruebant: Omnium se fratrem vel servum profiteretur, sed semper in Jesu Christo, in Domino nostro, vel uno verbo in Domino: omnibus gratiam & amorem Domini nostri Jesu Christi, ac aeternam salutem annuntiat, Apostolorum sectatus scribendi genus, qui sibi gloria ducebant, se Dei servos, & Christi ministros palàm profiteri, quò Divinum Nomen, ab omnibus colendum, ubique gentium & verbo & scriptis commendarent. Quod si tunc temporis Apostolicum illud agendi genus, idololatriæ profligandæ, ejusque loco sanctissimæ Christi religioni constituendæ, visum est Christi discipulis necessarium; quidnam de hac ætate nostra dicendum, in qua tot Christianorum milleni Divinum Dei, & Christi Nomen proferre palàm aut erubescunt, aut contemnunt, vel etiam dedignantur? Faxit Deus O. M., ut qui has legent S. Ignatii epistolas, sacro ejusdem imitationis desiderio accensi, sanctum Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi nomen ita semper in ore habeant, ut obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam.

9. Jam verò de B. Parentis subscriptionibus nodus hîc mihi est non unus dissolvendus. Nam primo in dubium vocatur primigenium ejusdem nomen, sitne Ignatius, an Eneco: deinde num duplex hoc nomen sit revera, vel sonotenus



*distinctum : præterea numquid se fratrem recentiore Mendicantium more subscripserit , an ex primævo Apostolorum usu . Quoniam primum illud ac principale dubium a secundo magna ex parte dependet , hoc levius primò discutiendum suscipio . Daniel Papebrochius t. 1. Jun. p. 107. de S. Enecone Abbate Onniense in diœcesi Burgensi anno 1057. : “ S. Eneco ,*  
*“ inquit , vel Henneco ; aliis Ynicus , vulgo Ynigo , penultima correpta , licet in veteri de vita sermone scribatur*  
*“ Enecco ; quod nomen Sanctus nostræ Societatis Fundator , sibi in baptismo datum , credidit latine reddi debere Ignatium , & sic eo usus semper est ; idque ex*  
*“ inde obtinet apud omnes Hispanos hoc nomine dictos , cum ipsum patria lingua sua exprimunt . Est illud nomen alioqui Gothicum , viderique posset Teutonico In-*  
*“ nich , vel Ennech respondere , internumque seu domesticum vel familiarem significare .” Hac ille : qui certè ibidem*  
*levi deceptus conjectura dixit Onniam , vulgo Oña , Bribiesca oppido adjacentem ; cum ab hac viginti fere milliariis in Circium distet , sitaque sit inter notissima oppida , vulgo Poza , & Frias ad rivam Vesgæ , al. Vesicæ , a dextris Iberum non procul influentis , 34. milliariis Aquilonem versus a Burgis . . Quare non temere credat lector , quod ajunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 409. , teste Mabillonio in Annalibus Benedictinis ad annum 1011. , Onniense monasterium esse in Navarra , non autem in Guipuzcoa ; cum , Alavensi tota provincia interposita , sexaginta fere milliarium intervallo a Navarra distet , paulo minus a Guipuzcoa . M. Florez in sua España sagrada t. 27. l. 2. c. 5. multis agit de Oniensi monasterio , & egregie illustrat vitam S. Abbatis , cui nomen Enneco , Eneco , Ennigus , Enigus , Ynigo , n. 102. ; sed nominis Oña dum originem inquirat , nihil de Cantabra lingua , qua Oña pedem significat . Ad nomina S. Patris quod attinet , Joannes Pinus eadem p. 403. n. 3. ait : “ Nomen Enneconis*  
*“ in*



“ in Sancto nostro expungo , donec probetur sufficien-  
 “ ter ; Ignatii , Iñigi , vel Yñigi admitto . “

10. Enimvero idem omnino esse apud Hispanos Ereco Latine , ac vulgo Inigo , ut dixit Papebrochius , abunde probatur sexcentis monumentis Hispanicis , in quibus Latinum Eneconis nomen , vulgo vertitur constanter Inigo , Iñigo , vel Yñigo . Exempli gratia , apud eruditissimum D. Canonicum Loperræz t. 3. monumentorum Oxamensium , anno 1135. subscripsit : Enego Abilensis Episcopus , an. 1136. Inego Avilensis Episcopus , an. 1154. Ennecus Abulensis Episcopus ; idemmet apud P. M. Escalonam in Historia Monasterii S. Facundi ; anno 1152. & 1155. Ennigus Avilensis Episcopus . Hoc autem apparet exemplo vetustus plane usus utriusque nominis promiscuus , & facta sensim transformatio . Porro in Navarra historia notissimus est seculo 9. Rex Yñigo Ximenez Arista , apud Garibay t. 3. l. 22. c. 1. anno 842. Latine sæpe Rex Enneco ; ac precedenti seculo 8. Domina Iñiga , & D. Iñigo Garcia ; uti in Vizcaya Dynastis seculo 9. D. Iñigo Lopez , & alii deinceps ; a quibus accepta ditioe Lodii , vulgo Llodio , primarii Hispaniæ Magnates , dicti del Infantado , commune sibi fecere nomen Iñigo , teste D. Alfonso Nuñez de Castro in Historia Guadalaxarensi ; ubi etiam memorat antiquissimum Dominum Oñatensem Iñigo de Guevara . Quare de antiquissimo hujus nominis usu , præsertim apud Cantabros , qui etiamnum illud retinent , nullus superest ambigendi locus . Quibus agrè sanè probabitur Gothica illa , vel Teutonica Eneconis origo , quam indicavit Papebrochius ; cum domesticam , longeque probabiliorem suppetat primigenia lingua nostra Cantabrica ; qua ut Emen-co , Goi-co , Vaso-co , & alia innumera , desinunt in co , possessionis particulam , ita Ene-co , quod nobis meum significat . M. Florez cit. c. 5. n. 13. refert , primæ Oniensi Abbatissæ , quæ S. Eneconem præcesserat , fuisse no-  
 b 3 men



men Oñeca, seu Iñiga; & a n. 102. agit de Oveco, seu Oneco, pro Eneco. Quod si feminis nomen erat Oñeca, seu Iñiga, viris autem Oñeco, seu Iñigo, ut esset consequens; cum Oñeco simplex sit Cantabricum nomen cum possessionis nota; qua significat, Oñensem, seu Pliniana voce Oñensem; nam lib. 3. c. 3. in Hisp. Tarracon. Onenses populos commemorat; quos ab Oña denominatos docuerat Ferrarius, a Baudrand recognitus, sed a Martiniere & aliis nec lectus. Cantabrorum, inquit Pomp. Mela lib. 3. c. 1., aliquot populi amnesque sunt; sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant: propterea forsitan voce Romana dixit Plinius Onenses, qui nunc ore Italico, Gallico, & Hispanien., non secus, ac Cantabrico, Oñenses facile concipiuntur. Adde quod ejusdem etiam est lingua & Oña, & Oñeco, sensu multiplici. Ceterum seu Gothicam vel Teutonicam, sive potius Cantabricam dixeris Eneconis originem, nihil certe in eo est cum Ignatio commune. Nec Ignatii nomen Hispanis veteribus apparet usitatum: qua de re Bollandiani de 1. Febr. de S. Mart. Ignatio Antiocheno, ejusdem cultum, & reliquiarum translationes per Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, Bohemiam multis illustrent, sed nullum de Hispania verbum.

II. Primus, quem sciam, S. Ignatius Lojola promiscuè Ignatii, & Inigi nomen usurpavit; Latinis, & Italicis literis, quotquot extant, subscripsit Ignatius; Hispanicis non paucis, quas quidem Hispanis conscriberet ad annum usque 1546., Ynigo, ceteris certe quamplurimis Ygnatio; Ygnatio, inquam, tam Hispanicè, quam Italicè constantissime, non ut modo scribitur Ygnacio: quin & S. Xaverius in autographa, quam exscripsi, epistola eundem Hispanicè appellat Ignatio. Quare ut pie quorundam eruditioni indulgerem, facile impetravi, omnia ut S. Patriarchæ nomina, quibus ipse literis suis omnibus subscripsit, sub ejusdem icone graphice



phice insculspantur ex autographis, utrumque Hispanicum nomen exhibentibus, Latino e Bollandianis desumpto, qui ex archetypo illud in ære inciderunt. Apponitur autem Ynigo potius, quàm aliis ejusdem subscriptionibus, Hispanicum illud de bondad pobre, seu bonitatis pauper, quòd ita & autographum, quo utimur, exhibeat, & apographa, quæ viderim, Hispanica. Signum verò, quod calami ductibus chirographo ante ac post adjungitur, videtur ansam quibusdam præbuisse, ut Ignatium Loyola in subscriptione legerent, ac prò describerent. Sed cum idem signum, quod chirographo postponitur, præponatur eidem, Loyolam bis sub eo latere nemo dixerit; nec tria sola subscriptionum apographa, quæ, ceteris constantissimè tacentibus, Ignatio Loyolam adjungunt, possunt nobis describentium satis probare fidem. Contra verò initio literarum patentium, vel aliarum, quibus suam præfatur dignitatem, Ignatio nomini agnomen de Loyola constanter adjungit. Atque hæc de subscriptionibus universim, ac de Ignatii, & Inigi nominum distinctione, quæ hic præcipuè quærebatur, dicta sint satis.

12. Cum ex dictis nomen Inigo fuerit a sæculo saltem octavo apud Cantabros & vicinos populos valde usitatum, ac viris principibus familiare, nil mirum, si Lojola Domini e filiis octo postremum natu eo nomine donarunt, ut est apud Ribadeneiram in vita Hispanica Matritensi 1605.; qui mox subjungit, usurpandum a se deinceps Ignatii nomen, uti aliis nationibus magis commune, magisque cognitum & usitatum: solùm autem Ignatii nomen eidem tribuit in vita Latina, & Hispanica Matritensi anni 1601. Apud Bolland. t. 7. Jul. p. 409., Hispanis olim Inigo dictum fuisse, liquet partim ex informationibus Complutensibus super vita ac moribus ejus, necnon ex sententia, ibidem paucis post ipsius conversionem annis pronuntiata; ubi nomen Inigo constanter recurrit... Unde fit, ut plane inducar, ut  
cre-



credam, nomen illud *Inigo* vulgare, primigenium, ac domesticum Sancto exstitisse, quo puer apud suos in paterna domo nuncupatus sit, quodque ei postmodum adolescentiæ & juventutis terminos prætergresso etiamnum adhæserit; ita tamen, ut lapsu temporis nomen *Ignatius* prævaluerit. Deinde docent, nullum Sancti nostri Fundatoris chirographum aut documentum nomine Enneconis, sed potius Ignatii, vel *Inigi*, *Inigi*, seu *Ynigi* notari; neque dum constare, Ignatii parentes S. Enneconem peculiari pietate coluisse, ut ex pio erga hunc Sanctum affectu filio natusu minimo ejusdem nomen imposuerint. Sunt, qui velint, cum *Nierembergio*, *Carnolio*, & *Francisco Garzia*, Ignatium infantulum prænuntiasse nomen suum, antequam sacrum baptismum susciperet; verum id miraculum ipsis *Bollandianis* non satis probatur.

13. Nec mihi probari potest, quòd Sanctus nostra Societatis Fundator nomen *Eneco*, vulgo *Ynigo*, sibi in baptismo datum, crediderit Latinè reddi debere Ignatium, uti nos supra n. 9. docebat *Papebrochius*; cum id apertè majorum gentis suæ moribus adversetur, nec ullo vel levissimo documento firmetur. Crediderim potius aut ipsum ab infantia fuisse binominem, aut natu grandem mutatis moribus, Christi amoris incensum desiderio, ac singulari affectum reverentia & devotione gloriosi S. Ignatii, M. & Episcopi Antiocheni, ut est in ejusdem S. Patris epistola an. 1546. S. Francisco Borgia conscripta, novum illius Sancti nomen sumpsisse, uti ardentissimo erga Jesum Christum amore flagrantis. Ex hac tota secunda controversia castigandus videtur M. Florez cit. c. 5. n. 46. de S. Enecone Abbate: Pusieronle, inquiens, el nombre de *Eneco*, que era usado en Aragon, y por este glorioso Santo pasó a Castilla, donde lo nombran *Inigo*, y algunos *Ignacio*, como usò el Patriarca de la Compañia de Jesus. Licet enim præsertim apud *Cantabros*



tabros Ignacio & Inigo de Sancto patriæ suæ patrono promiscuè nunc usurpetur, in Castella tamen S. Eneco a nemine, quem sciam, Ignacio, sed Inigo tantum nuncupatur. Plura de epistola, quam dixi, ad an. 1546. n. 54. : ac de tertio nodo, quem hic dissolvendum n. 9. proposueram, commodius, ne actum agam, dicitur ad annum 1537. n. 8. Similem porrò Ignatii stilum videsis p. 3. n. 3. in hac ejusdem inscriptione : Mex in Christo Domino nostro Sorori Paschali.

14. Latinam, quam exhibemus, literarum S. P. Ignatii collectionem multiplex, varius, & inæqualis planè stilus elaboravit; nec potuimus illorum votis satisfacere, qui eundem in omnibus stilum desiderabant, nitidum scilicet, gravem, ac tanto Parente dignum. Nam quæ sunt Latine seu ab ipso Sancto Viro, siue ipso dictante ab ejusdem Scribis conscriptæ, non erant sine piaculo solicitandæ: quas vero Ribadeneira, Maffjus noster, Orlandinius, Lancicius, & Bollandiani Latine reddiderant, ipsorum pariter honori debebantur: supererant autem complures ex sermone Hispanico, Italico, & Lusitanico in Latinum convertendæ. Has certè non licuit, eisdem Superiorum omnium coloribus variare. Quarum decem eleganter more suo Latine reddiderat bonæ memoriæ vir, & studiorum socius jucundissimus Firminus Martinicorena, cum nobis immatura morte, magno sui relicto desiderio, præreptus est. Reliquas longè plures simili stilo Latinas a se faciendas receperat egregius humanitatis & elegantia cultor; sed hac etiam spe præter spem ægerrimè depulsus non potui non eisdem, invitâ licet Minervâ Latine vertendis incumbere. Equidem politioribus libens concessi longiores Calendarum, Nonarum, & Iduum ambages, arrepta breviori, commodiori, tutioriquè via mensium dies numerandi ex vulgari populorum usu, quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi. In orthographia etiam, ubi  
doctis-



doctiorum variant probata sententia, breviorē sequor. In recentioribus autem cognominibus Latinè reddendis vulgaria fere vocabula claritatis gratia retinui. In libro Sententiarum, & eundem ubique stilum desiderabit lector, & aptiorē saepe Sententiarum ordinem ac modum, quod & ipse desiderabam, ut & copiam earundem longe majorem. Sed quæ meæ voluntati defuit facultas, aliis fortasse, Deo dante, suppetet. Namque ad stilum quod attinet, varius ille ac multiplex evasit ex vario ac multiplici Scriptorum stilo, qui olim eas suis quasque locis latine vulgaverant. His demum collectis, & in varia argumentorum capita distributis aliæ nunc accessere complures, ex Hispano & Italico sermone in latinum conversæ. Hinc illa stili varietas, atque ejusdem nonnunquam rei sub aliis verbis iteratio.

15. Ipse demum hanc mihi operam sumpsi, ut quam diligentissimè conquisitis undique Sancti Parentis literis, seu earum particulis, & argumentis, quæ quidem in eis agnoscerem aut nondum edita, aut minus obvia, hæc enim vero diligentius conferrem cum præstantissimis Ignatiana vitæ scriptoribus Ribadeneira, Maffejo, Orlandinio, Bartolio, Dominico Brouhurs, Carnolio, Francisco Garzia, & Bollandianis, ut minores alios, vel recentiores nunc mittam, quibus equidem pervolutandis, dum licuit, non abstinui. Quare longiore sanè, quàm vellem, opus fuit commentario, quo & epistolas omnes recenseres, & ex novis documentis non semel aliorum lapsus corrigerem, dubia firmarem, obscura illustrarem, ac novum quandoque vitæ Ignatiana scriptorem nonnihil levarem. Quia verò in oculos plura mihi incurrerunt, alia etiam quærenti, quæ non ita sunt obvia plerisque; ex his quæ quidem illustriora visa sunt, & argumento nostro propiora, suis loco & tempore religioni, ac pietati legentium, fremat licet impietas, tribuenda existimavi. Ubi autem Hispanici S. Ignatii sensus Latinè sunt reddendi, quan-



quanquam, teste Orland. lib. 10. n. 59, perdifficile est conservare spiritum eorum latina lingua, quod quidem pro mea inopia non semel sum expertus; maximà sane, qua potui, fide, ac religione sensum sensui reddidi. Cum tamen quàm sit exiguum ingenium meum, ac doctrina, satis sentiam, non dubito, quin sæpius, invitus licet, aberraverim: quare lectores etiam atque etiam rogo, ut ubi lapsus meos offenderint, graviorum, quorum mihi sum conscius, a Deo veniam deprecentur; quandoquidem hac in re ad divinam gloriam, & animarum salutem promovendam, non voluntas facultati, sed facultas potius defuit voluntati. Quod si non semel aut ex novis literarum monumentis, aut ex veteribus quidem, sed viris etiam eruditissimis non ita obviis, novo ipsorum examine & collatione studiose facta, prestantissimorum Scriptorum lapsus notavi, aut ab eis in re aliqua disseni, non equidem puto, in tantos viros me quidquam peccasse, quos ita sponte suspicio ac veneror, ut pedes ipsorum potius, quam manus osculari velim. Ego quidem existimo, rem me illis gratissimam fecisse, qui sanctissimi nostri Parentis obsequio et honori ita servierim, ut exiguae meae tenuitatis non immemor ea de illorum scriptis disseruerim, quæ se nunc libenter dicturos arbitrabar.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.

EPISTO-







I

E P I S T O L A R E  
S. I G N A T I I L O Y O L A Æ  
C O M M E R C I U M,

*Sen de Epistolis ejus, cum pluribus latentium  
argumentis, atque fragmentis,*

L I B R I S Q U A T U O R;

*Qui totidem Epistolarum libris respondent.*

L I B E R I.

*S. Ignatii Loyolæ initia; & ejusdem Epistolæ ab anno 1523  
ad 1543.*

1. **S** Ignatius Loyola, natione Hispanus, provincia Guipuzcoanus, Diœcesi Pampelonensis, natus est anno 1491. patre Beltrando Jañez de Oñaz & Loyola, matre Marina Saenz de Licona & Balda, in arce seu domo Loyola parœciæ S. Sebastiani oppidi Azpeitiæ, in qua etiamnum baptisterium Ignatianum ostenditur, mille fere passibus a Loyolæa domo extra oppidum sitâ. Ætatis anno 30. in oppugnatione Pampelonensi tormento bellico vulneratus est die 20. Maji feria 2. Pentecostes anni 1521. Valetudine domi suæ divinitus restitutâ, ac mente in Deum sacra lectione vehementer accensâ, in Deiparæ de Aranzazu, inde Oñatem, Navarretem, & in Montem serratum contendit; ubi pridie Annuntiationis B. V. Mariæ 1522. suspensis ad ejus aram profanis armis noctu excubavit. Hinc Minoressam digressus, & in specu prope oppidum rebus divinis intentus admirabilem exercitiorum librum composuit. Initio consequentis anni Barcinonem, atque inde Italiam profectus, ad diem Dominicum Palmarum 1523. Romam venit;

A



Anno 1523. nit; hinc post 15. dies sub 13. Aprilis discessit Venetias versus. Venetiis die 14. Julii ejusdem anni Jerosolyma solvit, quo tandem appulit die 4. Septembris; ubi sacra religionis nostræ monimenta sedulo cultu per mensem fere ad initium Octobris subsequenti veneratus est. Quo tempore, vitâ Gonsalvianâ teste cap. 4. n. 46., cœpit literas Barcinonem conscribere ad spirituales personas. Jam unas scripserat, & alteras scribebat; cum pridie quam discedendum esset, accersitum eum veniunt. P. Francisus Garzia lib. 2. c. 2.: cœpit literas in Hispaniam amicis suis conscribere, quorum aliis vale dicebat, alios evocabat ut sibi convertendis Mahumetanis auxilio essent. P. Fluvia l. 1. c. 10. refert, plures ab Ignatio Jerosolymis fuisse missas epistolas, in quibus longissima Agneti Paschali, qua tribus integris foliis sacra illa loca ita describebat, ut divinos planè sensus exprimeret, atque excitaret; ajunt autem qui favente fortunâ ipsam legerunt, quamvis auctor ejus nesciretur, ipso tamen stilo planè innotescere, nonnisi a viro sancto conscribi potuisse. Quibus verbis P. Fluvia satis significat, epistolam esse superstitem. Addit etiam, longiorem eorum locorum descriptionem memorie causâ Ignatium conservasse; cujus Pater quoque Ribadeneyra meminit. De literis Agneti Paschali missis agunt ex veteri vita Italica Bollandiani t. 7. Jul. p. 429. n. 106., ajuntque veluti Thesaurum hereditarium filiorum Ignatii, patribus societatis ab istius bonæ Domine hæredibus donatum fuisse.

2. Jerosolymis Cyprum, hinc dein ante Novembrem digressus, medio Januario an. 1524. Venetias revertit, atque inde Barcinonem per Ferrariam, & Genuam Quadragesimæ tempore. Jerosolymis, ajunt ibidem Bollandiani, secum attulit pyxidem reliquiarum, quas Barcinone tradidit Sorori Antonie Stradæ, Conventus S. Hieronymi Moniali ejusdem Civitatis. Jam verò literæ hoc anno 1800. Barcinone datæ nos docent, in altari SS. Crucifixi ad Sancti Mathie Monialium a S. Hieronymo extare etiamnum arculam, vulgò bavulet, reliquiarum, nempe terræ e Terra Sancta, & parvi lapidis ejus loci, unde Angelus mortem Virgini Mariæ nuntiavit teste chartâ arcule inclusâ. Vetus arcule inscrip-  
ptio



*ptio Ignatiana: prenez en gre; recentior ad verbum red-  
dita: Reliquiæ, quas dedit S. Ignatius de Loyola So-  
rori Antoniaë Astrada Religiosæ Hieronymianæ. Fuit  
autem Barcinone annos duos. Quare ad 1526. Complutum  
venit ineunte Augusto, teste Garzia; ubi annum egit fere  
unum, certè ad mensem usque Junium 1527. Tum Valliso-  
letum, hinc Salmanticam profectus, duos circiter menses  
ibidem permansit. Ignatio hîc carcere detento, ut verbis  
utar Bollandianorum t. 7. Jul. p. 673. n. 95., Sacratæ  
quædam feminæ sanctitatis Ignatii opinione commotæ,  
& privatis ejus colloquiis ad pietatem aliquando in-  
censæ, ad ipsum in carcere inclusum epistolam scri-  
pserunt; in qua & ejus injurias dolebant, & eos, qui  
Ignatium in periculum illud discrimenque conjecerant,  
graviter accusabant: ad quas Ignatius rescripsit, op-  
pidò se mirari, illas, quibus crucis Christi mysterium  
notum ac pertractatum esse oportebat, immensos glo-  
riæ thesauros in cruce inclusos penitus ignorare: se  
quidem gaudio exultare, & majora & graviora propter  
Dominum suum patiendi, perferendique cupiditate ve-  
hementer ardere. Idque gravissimis verbis atque arden-  
tibus scripsit, prorsus ut illas & puderet sui, & Igna-  
tium imitandi, patiendique propter Christum inflamma-  
tum quoddam desiderium incesseret.*

3. *Salmanticà per Barcinonem Lutetiam venit die 2. Fe-  
bruarii 1528., ut constat ex epistola die 3. Martii 1528.  
Parisiis Agneti Paschali missa: de qua Bollandiani t. 7.  
Jul. p. 430. n. 112., & p. 436. n. 140. autographam ex-  
tare affirmant in Collegio Sassaritano in Sardinia, inscri-  
ptam: Mæ in Christo Domino nostro Sorori Paschali;  
e cujus ecgrapho hæc tantum prodidere: Prospero tem-  
pore & integra salute meæ personæ . . . . perveni ad  
hanc civitatem Parisiensem die secunda Februarii, ubi  
studiis vaco, donec Dominus aliud de me statuatur . . . .  
Joanni me admodum commenda, & dic ei, ut paren-  
tibus suis semper obediat, observando festa: quod sic  
faciendo, diu victurus sit super terram, atque etiam  
supra in cælo. Joannes hic erat Agnetis filius, qui lon-  
gam de Ignatio narrationem anno 1582. conscripsit. A Fe-  
brua-*



Anno *bruario* 1528. ad *Octobrem* 1529. *Latinis vacavit literis.* Quo tempore ad *Socios*, quos *Salmanticæ* reliquerat, *Lutetiã* sæpe *litteras* dabat, sicut convenerat inter ipsos, quibus significabat quàm parum *spei* foret reliquum, ut posset eos *Lutetiam* evocare *studiorum gratia*. Egit tamen per *litteras* apud *D. Leonoram Mascareñas*, ut *Callisto* *litteris* ad *Lusitanorum Regem* *opem* ferret, ut *bursam* unam acciperet, (*bursam* vocant certum *subsidium* in *annos singulos*) ex iis, quas *rex ipse Lusitanus* nonnullis *Parisiis* constituerat, ut loquitur *Vita Gonsalviana* n. 80.: ex eadem *Vita* n. 79. 81. constat, *Ignatium*, ante *D. Remigii festum* cum esset *cursum artium ingressurus an. 1529.*, *Rotomagi* *consolationem* *egroto* & *auxilium* attulisse, ut *navi* imponeretur, quæ in *Hispaniam* *navigatura* erat, eique *litteras* ad *socios*, qui erant *Salmanticæ*, *dedisse*, *Callistum*, *Caceres*, & *Artiagam*. *Artiaga*, subdit n. 80., *primum* factus est *Commendator*: dein cum jam esset *Romæ Societas*, datus est ei *Episcopatus* in *India*. Scripsit hic bis quidem ad *Peregrinum* (*Ignatium*), ut eum *Episcopatum* alicui e *Societate* daret. Verum ubi ei *responsum* est, id non esse *faciendum*, abiit in *Indiam* *Imperatoris* factus *Episcopus*, ibique raro *admodum* *eventu* mortuus est... *Cujusnam Sedis Americanæ*, quove tempore fuerit *Episcopus* hic *Artiaga*, seu *Arriaga* ut alibi legi, nusquam inuenio.

4. *Primo* & *altero Parisiensis commorationis anno* *Antuerpiam*, & *Brugas* in *Belgio*, *tertio* etiam in *Angliam* *excurrit* *Ignatius*, ut *aliquid pecuniæ* in *sumptus* corrogaret. Cum *philosophiæ* *studeret*, *mense Junio* 1532. *egregiam* scripsit *epistolam* *fratri* suo *Martino Garziæ Loyolæ* *Domino*, quam fere *integram* *vulgavit* *italicè* *Nolarcius* *cap. 24.* ex *Hebdom. S. Ignat. non. die* n. 6., & nos *latinè* *conversam* inter *Ignatianas* *superstites* *primam* numeramus. *Enimvero philosophiam* ita *excoluit*, ut *die 13. Martii* 1533. *gradu licentiæ* in *artibus* fuerit *decoratus*, ut præter alia nos docet *ejusdem S. Ignatii* *epistola*, *Parisiis* *data* *die 13. Junii* 1533., *cujus* *originale*, *inquiunt* *Bollandiani* *t. 7. Jul. p. 442. n. 173.*, *totum autographum* extat in *domo* *probationis* *Calaritanâ* in *Sardinia*: *verum de hac epistola*  
nihil



nihil aliud. Biennio post die 14. Martii 1535. collatus est Anno-  
 eidem S. Ignatio Magisterii honos; qui annus tunc Pari-  
 siensium more 1534. vocabatur, ut multis probavit Petrus  
 Possinus in Epistolam primam S. Francisci Xaverii, quæ  
 denuo Bononiæ prodiit in lucem cum ceteris Xaverianis Epi-  
 stolis auctis etiam & illustratis. Absoluto philosophiæ curri-  
 culo Ignatius annos aliquot Theologiæ tum in Cœnobio Do-  
 minicano tum in Academia incubuit. Ceterum cum tempo-  
 rum notæ non sint apud Bollandianos satis perspicuæ, ex  
 ipso gestorum ordine conjicio, S. Ignatium ab Oct. mense 1529.  
 ad 1532. philosophiæ triennium, reliquum tempus Theologiæ  
 impendisse. Certum verò est ex prima S. Xaverii epistola,  
 & Possini in eandem observatione, quæ Bollandianos hîc 1535.  
 latuerunt, Ignatium Parisiis in patriam suam Azpeitiam  
 discessisse post diem 25. Martii 1535., quo data Epistola  
 Xaverius fratri suo latorem ejus Ignatium mirificè commen-  
 davit. Sub hoc tempus refero quas memorat Orlandinus lib. 5.  
 n. 5. longas sane literas, quas ad Nepotem suum in His-  
 paniam de rebus deserendis humanis, & via ingredienda  
 salutis accuratè perscripserat.

5. Patriâ suâ per tres menses a fine Aprilis vel initio  
 Maji magnopere illustrata, & renovata, Ignatium per Pam-  
 pelonem, Almazanum, Segontiam, Toletum, Valentiam,  
 Genuam, & Bononiam, Venetias demum sub ejusdem an-  
 ni 1535. finem attigisse, mihi, ait Bartolus l. 2. n. 26.,  
 ex autographa ejusdem epistola constat, Februarii 12.  
 anno 1536. Venetiis data; qua Barcinonensem Archidia- 1536.  
 conum de suo illuc appulsu monens, sesquimensem  
 jam, ait, Venetiis ago... Quod item aliis repetit lite-  
 ris, indidem Novembri anno eodem datis. Postremas No-  
 vembri datas desideramus, priores Februario missas Archidia-  
 cono Cazador integras debemus Patri Alcazar. Leo X. die 13.  
 Decembr. 1517. apud Gobati Bullar. Ord. S. Hieron. t. 1. p. 159.  
 meminit de Magistro Guillermo Cassador Capellano nostro  
 & Auditore nostri Palatii. Hic fuisse videtur ab anno 1525.  
 Algariensis Episcopus, quem Sardinia Sacra p. 173. perperam  
 appellet Gulielmum Cassadoni, Rotæ Auditorem. Cazador  
 autem S. Ignatii amicus is mihi est, qui Patri Aymerich  
 de Episcopis Barcinon. p. 408. Jacobus Caçadorus sive Cassa-  
 do-



*Anno* dorus, ab anno 1546. Barcinonensis Episcopus, & primæ  
*1536.* Barcinonensis domus Soc. Jesu fundator. Laudatus Alca-  
 zar duas præterea edidit epistolas Moniali Regadellæ riss-  
 sas, primam die 18. Junii, alteram 11. Sept. ejusdem  
 anni 1536.; quarum primæ longum protulere fragmentum  
 Bartolius l. 1. n. 13., & Garzia l. 1. c. 7., e quibus  
 correximus quæ in Alcazaris editionem irrepsere menda de  
 duabus Domini lectionibus, quarum dat unam, alteram  
 promittit: res enim ipsa non promissionem, quam exhibet  
 Alcazar, sed permissionem exigit, ut est in aliis. Epi-  
 stolam ad Magistrum Mionam, Venetiis datam die decima  
 sexta Novembr. 1536., edidit Alcazar ex autographo,  
 quod in domo probationis Soc. Jesu Matriti servabatur, e  
 quo denuo diligenter exscriptum ecgraphum accepi cum eisdem  
 notis chronologicis: quare corrigendus est Orlandinus, qui  
 eam Kalendis Novembr. datam exhibuit lib. 1. n. 123.  
 De hoc Emmanuele Miona, quo Ignatius olim Confessario  
 usus erat Compluti, multis egit P. Balthassar Tellez in  
 Chronico Provinciæ Lusitaniæ, quam Miona in primis So-  
 cietatem ingressus illustravit.

6. Interea, dum Venetiis S. Ignatius Theologiæ dabat  
 operam, Socii Parisienses die 22. Nov. 1536. Lutetia di-  
 gressi, per Lotharingiam, & Helvetiam Venetias tandem  
 incolumes attigere Januarii proximi die 8., vel 6., 9., aut 11.,  
 ut nonnullis visum. Sociis omnibus Romam, appetente jam  
 vere dimissis, ipse Venetiis solus permansit: quibus eodem,  
 Deo propitio, reversis, Ignatius cum eorum plerisque a Vin-  
 centio Arbensi Episcopo Minores Ordines die 10. Jun. 1537.,  
 Subdiaconatum die 15., Diaconatum die 17., Presbyterat-  
 um denique die 24. ejusdem Junii suscepit: facultatem au-  
 tem ulivis celebrandi, Sacramenta ministrandi, prædicandi,  
 sacras literas interpretandi, confessiones audiendi in toto  
 dominio Veneto, a Legato Apostolico Hieronymo Verallo die 5.  
 Julii consequentis. Hinc, dum optatam Jerosolyma naviga-  
 tionem præstolantur, aliis aliò digressis, Ignatius, Faber,  
 & Laynez Vicentiam concessere. Ubi in deserta ruinosa  
 domo extra civitatem 40. dies transegerunt, nulli alii  
 rei intendentes quam orationibus. Post dies 40. venit  
 Magister Joannes Coduri; & quatuor hi statuerunt initium  
 fa-



facere concionandi, ut est in *Vita Gonsalviana* n. 94. Id Anno  
autem videtur gestum ineunte Septembri, cujus die 6. an-  
ni 1537. visæ sunt per Hieronymum Vicarium Vicentinum  
facultates a Legato Apostolico concessæ apud Bolland. t. 7.  
Jul. p. 457. n. 254.

7. Sub hoc tempus, ut ex ipsa epistola apparet, tam- 1537-  
etsi nota temporis destituta, e dicta Vicentiæ suburbana  
domo scripsit S. Ignatius Latinas literas Magnifico Do-  
mino Petro Contarino; cui antea Venetiis Exercitiis Spi-  
ritualia tradiderat, ac dein Paphensis in Cypro Episcopatus  
collatus est. Hujus epistolæ partem post alios edidit P. Flu-  
via t. 2. p. 38., ubi eam ad Cardinalem Gasparem Con-  
tarinium missam perperam asseruit. Autographum ejus co-  
litur Plateolæ super altare S. Ignatio dicatum in publi-  
co Oratorio ejusdem Familiæ Contarini Diœcesi Vicen-  
tina, ut adnotatur exemplo ejusdem epistolæ in quaternione  
litterarum manu propria S. Ignatii de Loyola conscri-  
ptarum ad Dominum Petrum Contarenum Nobilem Ve-  
netum, adhuc existentium apud eandem Familiam Con-  
tarini de Parœcia SS. Gervasii, & Protasii Venetiarum:  
quo epistolæ quatuor cum authentica earundem recognitione  
continentur, quarum priores duæ Latinæ, aliæ duæ sunt  
Italicæ. Primam duabus notationibus illustratam edidit  
an. 1757. Fr. Joannes Bapt. Maria Contarini t. 1., cui  
titulus *Anecdota Veneta*, pag. 5. Hanc editionem, ubi  
apographo nostro non adversatur, retinemus; nonnulla verò  
in ipsa videntur ex dicto apographo corrigenda. Nam primo  
inscriptio edita est: Magnifico Domno Petro Contarino  
Fratri meo in Xsto vñ. Pro vñ., quod abs re est, in  
apographo nostro est ius, quod Xsto adjunctum Christo  
Jesu legendum: deinde subscriptio edita est: Eñus in Iño  
Fr., pro Iño, in nostro Dño, quod certò præferendum.  
Contra ubi in nostro: Appresso Vicenza a una via fora  
della Porta, melius videtur in edito: A una mia, quod  
milliarium intelligo, brevissimum scilicet, nempe ad passus  
ducentos ab urbe, teste Vigilio Nolarcio in *Vita S. Ignatii*  
*Venetiis* edita an. 1687. cap. 13.; ubi Aloysius Carnoli (sic  
enim revera vocabatur) locum monasticum fratrum S. Ma-  
riæ Gratiarum Vicentiæ, de quo S. Ignatius, vetus fuis-  
se,



*Anno* se, ait, monasterium Patrum Congregationis S. Hieronymi Fesulensium, quibus nomen a Gratiis, ad passus ducentos ab urbe, ubi nunc PP. Capuccinorum extat cœnobium, quibus etiamnum venerationi est cubiculum S. Ignatii dictum.

8. De subscriptione: Eñus in Iño Fr. multis egit Franciscus Antonius Zacaria t. 2. *Annal. Literar. Italiæ*, cum laudata P. Contarini *Anecdota Veneta* recenseret: eam scilicet interpretatur: Egenus in Jesu Christo Frater, suspicatus pro Iño legendum Dño. Jam verò in utraque nostra Latina epistola ad Petrum Contarinum clarissima est eadem subscriptio: Eñus in Dño Fr.; quæ Hispanis ejusdem aliis: de bondad pobre, pobre de todo bien, planè respondet. Se autem dicit: Egenum in Domino fratrem, ut *Magnificum Dominum Petrum Contarinum Fratrem meum in Christo Jesu: eo videlicet sensu, quo Christus Dominus dixit Matth. 23. v. 8.: Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.* Quarè meritò Zacaria P. Mamachium arguit, qui lib. 3. c. 1. §. 2. n. 2. de primis Christianorum moribus S. Ignatium, Clericum regularem, laudatæ epistolæ subscribentem facit Fratrem Ignatium, Italicè Frate Ignacio, exemplo Sanctorum Francisci & Dominici. Certè nusquam eum invenimus Hispanicè aut Italicè se vocantem Fray, seu Frate, sed Hermano, aut Fratello, fratrem. Nec animadvertit Mamachius, hanc epistolam non fuisse conscriptam ab Ignatio Clerico seu Presbytero jam regulari; cum ejusdem regula & religio biennio tandem post fuerit a Sede Apostolica probata & confirmata. Atque hæc veritatis gratiâ, & Evangelicæ fraternitatis amore, ut quæ deinceps Deo dante lucubraverò.

1538. 9. Annus 1538. duas nobis suppeditat S. Ignatii epistolas, quibus ejusdem gesta illustrantur, & Chronologia corrigitur. Post quartum diem Nov., quo Salmeroni Venetiis a Legato Apostolico Sacerdotalia munia peragendi facultas fuit concessa, ut est apud Bollandianos, Socii omnes provincias ita sortiti sunt, ut Ignatius, Faber, ac Laynez primarii Socii Romam ipsam adeant: Salmeron, & Paschasius Senas: alii aliò, bini omnes. Natali 1537. noster Pater nondum venerat Romam, ait P. Ribadeneyra, testis sanè



sanè gravissimus, cui assentiuntur Bollandiani t. 7. Jul. Anno  
 p. 459. n. 160.: quem errorem dedocet epistola S. Ignatii  
 Elisabethæ Roser missa die 19. Dec. 1538., & a P. Alca-  
 zar edita, in qua Ignatius ait: Mas ha de un año que  
 tres de la Compañia llegamos aqui en Roma. Itaque  
 Romam venerat ante diem 19. Dec. 1537. Porrò cognomen  
 Elisabethæ Roser in literis, quas habemus, S. Ignatii con-  
 stantissimum est, ut in Ribadeneyra Rosel, in Garzia Ro-  
 sès, & in Fluvia Rosell. V. n. 48. Ubi Romam pervenit  
 S. Ignatius, præter alios insignes viros Gasparem Contare-  
 num, Petri Contareni patrum, Cardinalem gravissimum,  
 Eundemque temporibus illis, ut Maffei verbis utar,  
 ingenii & doctrinæ facile principem spiritualibus exer-  
 citationibus diligenter excoluit. Eodem convocatis omnibus  
 sociis, cum eisdem Romæ convenerat media fere Quadra-  
 gesima 1538., cujus Pascha in 21. Aprilis incidebat: mul-  
 ta tunc ab ipsis de Societatis forma discussa sunt, ac de-  
 finita per tres fere menses a medio Quadragesimæ us-  
 que ad festum Joannis Baptistæ, testibus Bollandianis  
 p. 464. n. 287. Orta deinceps in Societatem gravissimæ  
 tempestate, lata demum est pro ejus innocentia jussu Pon-  
 tificis sententia die 18. Nov. 1538. Rei gestæ summam com-  
 plectitur latina epistola Petro Contarino ab Ignatio missa  
 quarto Nonas Dec. 1538.; cujus autographum extat Ve-  
 netiis apud Contarinos. Partem ejus sine temporis nota edi-  
 derant Nolarci c. 14., & Garzia lib. 3. c. 16., e quibus  
 leviores apographi nostri defectus corriguntur: in quo de-  
 trita prototypi linea indicatur, quæ alibi non comparet.

10. Multis evincunt Bollandiani, S. Ignatium integro  
 sesquianno a suscepto presbyteratu ad primi Sacrificii obla-  
 tionem se comparasse, atque illud die 25. Dec. 1538. con-  
 fecisse. Id quod p. 459. demonstrant ex epistola suis fra-  
 tribus, Loyolæ Dominis, Martino Garziæ, & Beltrano  
 missa die 2. Febr. 1539., in qua hæc leguntur: Die Na-  
 tivitatis præterita in ecclesia Domine nostræ Majoris,  
 in sacello, ubi est præsepe, in quo infans Jesus posi-  
 tus fuit, ... dixi meam primam Missam. Et subscriptio  
 sic sonat: bonitatis indigus Ynigo. Hæc illi. Ne quis  
 a tantis viris in errorem ducatur, monendus est lector;

1539.



*Anno* Martinum Garziam, fratrem natu majorem S. Ignatii ac Loyolæ Dominum, mortuum fuisse labente Novembri an. 1538., quo eidem Beltranus filius primogenitus successit, cui etiam Beltrano frater erat Martinus, teste Gabriele Henao lib. 3. Cantabriæ c. 33. & 35. Integram epistolam ediderat P. Bartholomæus Alcazar, cujus autographum nunc colitur Gravatæ in Ecclesia Collegiata Salvatoris, olim S. Pauli Collegii Societ. Jesu, ex quo descriptum accuratè apographum misit die 3. Apr. 1796. D. Franciscus Antonius de Torres: notat autem, inscriptionem esse alio a textu ac recentiore caractere scriptam, viderique ex inscriptione exteriori descriptam: quod quidem Bollandianorum narrationi planè congruit. Est autem inscriptio Hispanica: Ihs A Mis en Christo nuestro Señor, y todo nuestro bien hermanos los Señores de Loyola Martin Garzia, y Beltran. Nec dubito, quin suos in Christo fratres appellet Martinum germanum suum, ejusque filium & heredem, Loyolæ Dominos; quamvis Martinus jam ante duos menses obierit, cum facile ob locorum distantiam & hiemis tempestates potuerit tamdiu ejusdem obitum ignorare.

1539. II. Eodem anno 1539. die 2. Sept. S. Ignatius scripsit D. Beltrano, Martini Garziæ filio, & Joannis Borgiæ socero, ut est in notatione manuscripta Nolarci c. 24. p. 230., ubi ex Hebdom. S. Ign. non. die n. 7. sequens protulit fragmentum: iterum te rogo pro reverentia & amore, quo Deum Dominum nostrum prosequi debes: ut studia tua omnia in id conferas; quo nimirum, ut majores nostri præstantes in aliis rebus fieri contenderunt, ipse pariter enixè studeas in eo excellere, quod semper est mansurum. Labente hoc anno videtur scripta Didaco de Govea alia epistola, cujus Ribadeneyra meminit apud Boll. p. 687. n. 167. his verbis: qui magno Dei gloriæ desiderio affectus, & Ignatii sociorumque æque incensam voluntatem, & sensus in hominum salutem consentientes exploratos habens, scripsit ad Ignatium, magnum ostium in Orientis India apertum esse; latissimum ipsi sociisque patere campum, si qui forte regiones illas petere vellent: cupere se scire, quid sentiat; quo animo ipse, quo socii sint. Ad hæc Ignatius: se suosque in Pontificis Maximi



potestate esse: illius se imperium, illius nutum intue- *Anno*  
 ri: quovis terrarum a Christi Vicario mittantur, non  
 detrectaturos imperium. *Orlandinus verò lib. 2. n. 85.*  
*ita loquitur: Scribit (Govæa) ad Ignatium quam uberem*  
*animarum messem Indica regio a Lusitanis nuper aperta*  
*suppeditet. Si ea Provincia pro suo erga proximos stu-*  
*dio, caritateque, ipsi cordi sit, se totius negotii apud*  
*Lusitaniæ Regem interpretem fore. Huic rescripsit Igna-*  
*tius multa ille quidem cum actione gratiarum: ceterum*  
*quod peteretur, non id ex sua voluntate, sed ex eo, cui*  
*se perpetuo obedientiæ nexu mancipassent, Christi pen-*  
*dere Vicario. Proinde rem totam cum Pontifice ipso tran-*  
*sigeret, cujus semper ad nutum intenti paratique essent.*

12. *Govæam Parisiis S. Ignatio scripsisse monuit rectè*  
*P. Bouhours in ejusdem S. Ignatii vita contra recentiore*  
*quendam qui Govæam fecit tunc Romæ degentem. Verum*  
*clarus ille Magister anno etiam 1541. Parisiis hærebat, ut*  
*didici ex literis P. Fabri, Lutetiam missis die 12. Maji 1541.,*  
*quibus Govææ Magistro suo salutem mandat. Jam verò S. I-*  
*gnatii literas anno 1539. esse adscribendas, facile mihi sua-*  
*det ipse rerum, in tanta locorum distantia gestarum, ordo*  
*accuratè perpensus: Govæa etenim missas Româ literas Pa-*  
*risiis accepit; tum, ut iterum verbis utar Orlandini, misso*  
*ad Regem literarum Ignatii exemplo cum ejus, socio-*  
*rumque commendatione mirifica, monet non esse e ma-*  
*nibus dimittendam occasionem, exorandumque Pontifi-*  
*cem ocius, ut ex Ignatii sociis potissimum eligat, quos*  
*ad se Indicæ expeditionis causa transmittat. Rex suo*  
*apud Romanum Pontificem Oratori Ignatii ad Govæam,*  
*& Govææ ad se literas mittit, ac mandat, ut cum Ponti-*  
*fice ipso, Ignatioque eadem per diligentem agat. Functus O-*  
*rator officio suo diligenter, duos tandem impetrat socios,*  
*Simonem Rodriguez, & Franciscum Xavier, quorum pri-*  
*mus Rodriguez Româ in Lusitaniam discessit die 5. Martii,*  
*Xavier autem die 16. ejusdem mensis an. 1540. Quare Go-*  
*vææ ad Ignatium epistola non videtur ab autumno anni 1539.*  
*amovenda.*

13. *Ipsa Xaverii profectionis in Lusitaniam die 16. Mar-*  
*tii dedit eidem Ignatius commendatitiam ad fratris sui filium* 1540.



Anno 1540. Beltranum, quam ex apographo Collegii Methymnensis vulgavit P. Alcazar. De Beltrano, quem sæpe Ignatius fratrem in Domino appellat, vide supra n. 10. Post hanc videtur recudenda ipsius Xaverii epistola Ignatio missa Bononia die 31. ejusdem Martii; quæ in editione Bononiensi S. Francisci Xaverii e Soc. J. Epistolarum omnium t. 1. p. liv. lv. ex autographo ipsius aucta quidem & emendata est, resecta tamen & absoluta nondum prodiit in lucem. Altera dein sequitur ab eodem Ulyssipone missa 26. Julii. Accedit alia S. Ignatii ad laudatum Beltranum data die 4. Oct. 1540., desumpta ex autographo, olim Collegii Abulensis Societ. Jesu, quod diligenter perlegi. In ejus externa inscriptione legitur: Meo in Christo Domino nostro fratri... Loyolæ Domino... Cetera sunt detrita; in ipsis autem latere Beltranum extra dubium est. Stephanus de Guia (alii fere omnes de Eguia), frater Didaci de Eguia, & Milian seu Æmilianus Loiola, Beltrani frater, clari sunt in Historia Societatis. Stephanus de Eguia, teste P. Niezenberg in vita P. Francisci a Villanova, hunc sub finem 1541. domi suæ excepit in Civitate Estella ad Egam. Fanste de Rojas (sic enim est in prototypo) videtur esse P. Franciscus de Rojas, quem ait Card. Cienfuegos de S. Francisco Borgia lib. 2. c. 18. a Collegio Valentino Gandiam concessisse an. 1544.; nec mirum tunc Franciscum lingua Vasconica dictum fuisse Fanste, ut nunc Fraiscu. Porro primariam domum de Rojas in Guipuzcoa esse prope Alabam ab indigenis audivi.

14. Egregia epistola ad Azpeitienses, quæ in Florentino apographo data dicitur anno 1541., ut in eodem sæpius diligenter observavi, in hunc prorsus annum 1540., mutato postremo numero, videtur mihi referenda; & quidem ante utramque ad Beltranum Loyolæ Dominum, jam recensitam. Nam primo superius num. 4. & 5. vidimus Ignatium sub diem 25. Martii 1535. Parisiis in patriam suam Azpeitiam discessisse; in hac autem epistola nos docet, eodem se Parisiis contulisse ante annos fere quinque (agora habrà cinco años pasados): quod in annum 1541. referri nequit, nisi forte velis cum viro erudito, qui has meas animadversiones discussit, Hetruscum exscriptorem more



*re Pisano a Martio annum 1541. computasse. Deinde Ignatius addit, se cum epistola Bullam mittere Pontificiam, quam Dominus Baccalaureus deferat, cum duabus aut tribus indulgentiis, quæ in Bulla recensentur. Atqui in literis diei 4. Oct. 1540. refert, se jam antea longiorem epistolam misisse cum Bulla de SS. Sacramento. Adde ex epistola diei 16. Martii 1540., ante illud tempus P. Antonium Araoz Româ in Cantabriam discessisse. Hunc verò fuisse Dominum Baccalaureum, qui dictam Bullam deferebat, pluribus video confirmandum, quibus pariter lumen aliquod ejusdem viri clarissimi gestis affundatur. Ea quidem P. Eusebius Nierenberg in opere Hispanico de Viris illustribus Soc. J. non vulgari diligentia ex Orlandino in primis illustravit; majorem tamen in eis accuratorem & temporum distinctionem pro hisce meis lucubrationibus non semel desideravi.*

15. Quod nunc attinet cum eisdem statuo, Antonium Araoz ex oppido Vergara prope Loyolam, sanguine & provincia Ignatio conjunctum, anno 1538. ex Hispania ad Urbem accessisse. Quem Ignatius die 2. Febr. 1539. Romæ degentem vocat Baccalaureum Araoz; eoque nomine popularibus suis notum fuisse apertè significat. Huc affero e Bollandianis t. 7. Jul. p. 467. n. 301. integram Gasparis Cardinalis Contarini epistolam, quæ in novissima ejusdem literarum editione desideratur, & argumentum nostrum illustrat. Inscriptio est: Reverendo Domino Ignatio nostro amantissimo. Romæ. Reverendo Domino Ignatio. Hæri per M. Antonium tuum Hispanum accepi extensionem Capitulorum simul cum una schedula reverendi magistri sacri Palatii. Hodie fui cum Domino nostro, & ultra petitionem ore prolatam, legi Sux Sanctitati omnia quinque capitula; quæ admodum Sux Beatitudini faciunt satis, & ea benignissimè approbavit & confirmavit. Die Veneris veniemus Romam cum sua Beatitudine, & dabitur in mandatis reverendissimo Ghinucio, ut fiat Breve, aut Bulla. Commendo me orationibus tuis. Saluta M. Lactantium nostrum. Bene vale in Domino. Tibure III. Septembris MDXXXIX. Vestri amantissimus G. Cardinalis Contarenus. Hinc ortus error,



Anno 1540. *ror, quo P. Nierenberg prodidit P. Antonium Araoz Tibure, quo eum miserat, ad S. Ignatium detulisse Bullam confirmationis Societatis Jesu.*

16. *Araozius, teste Orlandino l. 2. n. 99., anno 1539. inter socios adscriptus, sequenti anno 1540. Barcinonem attingit: ubi percrebuerat, comprobata a Petri Sede cum Ignatii vita, doctrinaque Societatem, tametsi nondum plane confecta, & transacta res erat. Hinc per Vallisoletum, Burgos, & Vergaram, in Azpeitiam se recepit: unde proximo anno ad Urbem rediit. Qua in Hispanica Missione potuit Araozius Salmanticae Licentiae gradu decorari: siquidem P. Didacus de Guia, teste Lancicio opusc. 15. n. 2., anno 1542. Araozium dicebat Licentiatum; & S. Ignatius, qui eundem an. 1539., & 1540. Baccalaureum dixerat, mox 15. Nov. 1543. Licentiatum Araoz appellavit. Curabat nimirum S. Ignatius, ut sociis Magisterii honor & literarius gradus conferretur, quo majorem divino verbo auctoritatem conciliaret; & quemque proprio gradus sui honore liberaliter honestabat. Quare vix adducor ut credam Orlandino & Nierenbergio, Araozium jam inde ab anno 1538. Salmantinum fuisse Licentiatum & Theologiae Doctorem: quippe quem deinceps video a S. Ignatio dictum Baccalaureum, tum Licentiatum, ac denique 16. Apr. 1553. Doctorem Araoz. Quae quidem successivos potius in Araozio literarios gradus, quam simultaneos inde ab initio collatos subindicant. Enimvero quem saepius Ignatius Baccalaureum, facile potuit eundem Cardinalis Contarenus Magistrum Antonium honoris causa nuncupare. Verum haec alii sapientiores discussserint. Sufficit praecipuo argumento, quod num. 14. proposui, Baccalaureum S. Ignatio esse Antonium Araoz, qui teste Orland. l. 3. n. 22. an. 1541. ex patria rediens ad Urbem Aemilianum B. Ignatii fratris filium adduxerat; & ex eodem lib. 3. n. 75. anno 1542. Araozius Sacerdos jam creatus remissus est in Hispaniam, ut quam in iis populis animorum propensionem biennio ante perspexerat, eam usitatis Societatis artibus tueretur. Anno itaque 1540., non autem 1541., cum laudata S. Ignatii epistola venit Azpeitiam: quod unum contra Florentinum apographum demonstrandum susceperam.*



17. Sub idem fortasse tempus Magdalena sorori suæ Anno  
 misit Ignatius epistolam de Communione menstrua, cujus 1540.  
 apographum apud se habere ajunt Bollandiani p. 537. n. 643.  
 Ad annum 1540. missam fuisse Petro Contarinio primam  
 ex duabus Italicis ad eundem epistolis, tametsi notâ tem-  
 poris subscripti destitutam, suadet quæ in ipsa fit Cardi-  
 nalis Contareni ut Romæ tunc degentis commendatio, & æ-  
 gritudinis præteritæ ipsius B. Ignatii commemoratio; nam  
 & Cardinalis Contarenius sub finem Januarii 1541. Româ  
 in Germaniam se contulit, & B. Ignatius mense Martio  
 1540. ægrotaverat teste P. Ribadeneyra. Nec aliud mihi  
 tempus occurrit accommodatius, quàm hoc medium, in quod  
 eam conjiciam. S. Xaverius literis S. Ignatio Ulyssipone  
 missis 26. Julii 1540. tres ejusdem epistolas ita commemo-  
 rat: Binas a te literas accepi, utrasque perbreves; al-  
 teras scriptas VI. Idus Junii, alteras Kalendis Maji.  
 Domino Legato (Petro Mascareñas) pergratum erit  
 accipere a te aliquam epistolam. Quas ad eum dedi-  
 sti, perlatas ipsi, dum esset in itinere Româ huc, vix  
 credas quanta cura conservet. Has omnes desideramus:  
 quarum desiderium tribus lenimus a S. Xaverio eodem an-  
 no 1540. ad Ignatium missis epistolis, consequenti etiam  
 numero laudandis.

18. Æstivo anni 1540. tempore adscribendam arbitror  
 S. Ignatii epistolam, de qua Ribadeneyra lib. 3. c. 3. his  
 verbis: Ex aulicis viri nobilissimi Regem ipsum (Lusi-  
 taniæ) docent, quanta in hominibus (Xaverio, & Ro-  
 dericio) virtus ac prudentia sit: monentque, secum co-  
 gitet, num in Lusitania utiliores ejusmodi homines, quam  
 in India futuri sint. Quod nostri subodorati, ad Igna-  
 tium scribunt, quid præsentiant: vereri se, ne Regis  
 auctoritate, contra Summi Pontificis mandata, diutius  
 hæerere cogantur. Vel ut ait in posteriore vita Hispanica:  
 ne Regis auctoritate in Lusitania manere cogantur, con-  
 tra Summi Pontificis mandata, quibus in Indiam ire ju-  
 bebantur. Ignatius consulto Pontifice, cum Regis ad arbi-  
 trium Pontifex rem omnem rejiciendam putasset, rescribit  
 Patribus, in Regem a Pontifice rem omnem rejectam esse:  
 itaque per omnia se Regi permittant: nulla prioris mandati  
 reli-



Anno 1540. religione moveantur. Quod Rex si suam exquirat sententiam, dividendam sibi videri provinciam, ita ut in Lusitania Simon hæreat, Franciscus in Indiam pergat. Totidem fere verbis Orlandinus. Ast P. Balthassar Tellez Chron. t. 1. c. 11. a n. 2. eandem rem peractam fuisse affirmat duabus S. Ignatii epistolis, quarum prima Patribus mandabat, ut omnia Regis, rerum humanarum scientissimi, divinarumque studiosissimi, consilio ac prudentiæ permitterent; alterâ, Petro Mascarenniæ simul missâ, scribebat, si Rex suam exquirat sententiam, videri sibi ut Xaverium in Indiam ad infidelium conversionem mittat, Patrem verò M. Simonem ad seminarii fundationem in Lusitania retineat; sic enim & Indiæ & Lusitaniæ provisum iri. Subscriptionis harum literarum tempus nondum apparet; nec enim nisi divinando, ut arbitror, Tellez cum Orlandino easdem anno 1541. affigit, quo Xaverius in Indiam Lusitania discessit. Utrumque latuisse videntur S. Xaverii epistolæ, a Possino deinceps editæ, quibus Xaverius aulicorum illa consilia Ignatio nuntiarat die 3. & 26. Julii 1540.: Scimus, inquit die 3. Jul., multos ex amicis nostris conari hîc impedire discessum in Indias nostrum; quòd illis videatur, plus fructus nos hic reportaturos... Inter eos qui sic sentiunt, est Confessarius, est & Ecclesiastes Regis, cui uterque autores sunt ut nos hîc retineat spe uberis fructus. Die verò 26. scripsit: Episcopus amicus noster dixit nobis: Regem nondum planè constituisse, an missurus nos in Indias sit, quòd illi videatur, nos hîc non minus servituros Domino nostro quam illic. Literis autem die 22. Oct. ejusdem anni datis de sua jam sibi certa in Indiam profectione post alia hæc ait: Curate quam celerrimè perferri ad nos Breve, quo dirigimur in Indias. Nam tempus eò solvendi instat. Magna nos spes tenet fructus uberis ex illa nostra navigatione secuturi. P. Bartolius in vita S. Ignatii lib. 2. quatuor memorat Pauli III. Brevia, quibus Xaverio simul & Simoni Rodericio Nuntii munus Apostolici conferebatur: quorum primum subscriptum est die 27. Jul. 1540., ac Joanni III. Regi Lusitaniæ missum, cum facultate utriusque vel alterutri munus illud committendi, seu in Lusitania,



nia, ut libéret, eosdem, vel alterutrum retinendi. Alterum, die 2. consequentis Augusti datum, amplissimam continet facultatem hæreticos ecclesiæ conciliandi, dispensandi in irregularitatibus, matrimonii impedimentis, aliisque id genus. Reliqua duo, eodem die 4. Oct. 1540. subscripta, utrumque Nuntium majorem in modum Æthiopiæ & Indiæ Regibus commendant. Non tam hæc Xaverio & Rodericio communia, quàm alia Xaverio propria videtur indicare P. Garzia in vita Xaveriana lib. 1. c. 5., ubi ait Lusitaniæ Regem Xaverio ad Indias proficiscenti quatuor dedisse Brevia, quibus eum Summus Pontifex Nuntium Apostolicum creabat cum amplissima facultate. Quorum duo gentes Orientis spectabant: tertio Xaverium Æthiopiæ Imperatori commendabat; quarto verò universis Orientis Principibus a Bonæ Spei promontorio citra, & ultra Gangem. Xaverius, qui septimo tandem Apr. 1541. Ulyssipone solvit, Lusitaniam undecim fere mensibus illustravit: nuper enim me docuit P. Franciscus Fonseca in sua Evora Gloriosa p. 361. ex Evorensis tabularii monumentis, S. Xaverium die 12. Maji 1540. Almeidam ad Lusitaniæ limen appulisse, ubi P. Simonem Rodriguez complexu suo quartana febre liberavit; die autem 30. ejusdem Maji Ulyssiponem ingressum, post triduum fuisse ad Regem deductum. Quibus definitur implexa olim de tempore Xaverii adventûs in Lusitaniam controversia, de qua t. 1. p. LVII. Epistolarum ejus disputavi. Porrò autem die 18. Martii 1541. scripsit Societati Romam: Soluturi sumus hac hebdomade versus Indias... Dimittit nos Rex omnis generis a se gratiis plenos, cumulatque. Accepimus, ait initio, desideratissimas nobis literas vestras tanto fructu animorum nostrorum, quantum afferre filiis debuere felices de Matre nuncii. Cognovimus per eas videlicet de salute ac statu prospero Societatis universæ; de occupationibus piis, ac sanctis, in quas vos isthic totos impenditis; de ædificiis duplicis generis spiritualibus, & materialibus, quæ fundatis, & struitis, præsentibus unà posterisque consulentes.... Tam in hac, quàm in alia Xaverii epistola eodem die Romam scripta, in qua de Petro Mascarennia loquitur, altum est de argumento nostro silentium. Ex quibus in unum

Anno  
1540.



Anno collectis conficiebam, Xaverii literas Julio, & Oct. 1540. scriptas, & Brevia Pontificia Julio & Augusto mensibus ejusdem anni subscripta, allatae ex P. Ribadeneyra narrationi respondere: Regem verò Pontificià fretum facultate, addito insuper consilio, ac novà procerum postulatione, cogitationem de retinendis in Lusitania Patribus tota mente suscepisse. Quod illi subodorati Ignatium per literas admonuerint; quibus ille sub finem labentis anni rescripserit; unde Rex Ignatii consilium sequutus, alia Xaverio Brevia impetraverit, de quibus P. Garzia: nec alia in Orlandino video, ubi ait lib. 3. n. 41.: appetente jam navigationis die Xaverium Rex advocat, . . . acceptum nuper ab Urbe diploma cum literis Apostolicis, quibus ille in India Legatus Apostolicus designabatur, ex improvise profert, Xaverioque reddit. Id ei prorsus ignaro ultro Rex ipse curaverat; quò majore cum potestate, autoritateque provinciam illam obiret. Sed jam nimis multa plerisque, aliis fortasse pauca.

19. Nullam habemus integram S. Ignatii epistolam anno 1541. conscriptam; nam quæ huic anno adscribitur in manuscripto Florentino, superiore numero 14. allatis rationibus anno 1540. præfigitur. Quas proximo n. 18. agebat Xaverius Ulyssipone 18. Martii 1541. accepisse desideratissimas ab Ignatio & ejus Sociis, puto equidem commodius in hunc annum referendas. Quæ supersunt aliarum fragmenta de solemni Societatis Jesu confirmatione, brevem saltem requirunt hac de re gestorum notationem. Nempe Societatis Jesu institutum die 3. Sept. 1539. vivæ vocis oraculo probatum, solemni tandem Bulla: Regimini Militantis Ecclesiæ V. Kalendaris Oct. 1540. data confirmatum fuit: quam Bullam post 6. denique menses Romæ video promulgari sub ipsum S. Xaverii e Lusitania discessum, ita ut hic Januario demum mense 1544. Cocino in India potuerit Societati Romam rescribere: Ex multis autem ac magnis hujus vitæ fructibus, quos adhuc Dei beneficio cepi, & quotidie capio, illum enimvero duco maximum; quò nostræ Societatis Institutum Pontificis Maximi auctoritate comprobatum confirmatumque esse cognovi. Immortales Deo gratias & ago & habeo, qui, quam vitæ rationem servo suo



Parenti nostro Ignatio clam ipse præscripserat, eam aliquando per suum Vicarium palàm stabiliri voluit ad memoriam posteritatis sempiternam. Ita imperfecta etiam *Tursellini versio*, quæ auctior nuper Bononiæ prodiit. Labente scilicet anno 1541. Ignatius Romam advocarat primarios Socios per Italiam dispersos, ut Generalem Præpositum Societatis eligerent. Unus abfuit Bobadilla, Bisiniani in Calabria, ubi egregiam navabat operam, jussus a Paulo III. consistere. Ceteri qui ad Urbem sub initium Quadragesimæ convenere, labente Passionis hebdomade, necdum allato Bobadillæ suffragio, Ignatium primo elegerunt. Sed Ignatio præfecturam aversante, rursus Patres, quatruiduo interposito, in eandem sententiam convenere: quorum tamen sententiæ non acquievit, nisi, urgente suo Confessario, tertiâ Paschæ feria, die 19. Aprilis, quo delatum sibi gubernandæ Societatis munus, publicè dein sancitum ipsi est ac confirmatum die 22. Apr. solemnibus votorum quatuor professione, accedente etiam Bobadillæ suffragio, ut est in Instrumento fidei circa electionem D. Ignatii de Loyola in Præpositum Soc. Jesu apud Boll. t. 7. Jul. p. 479. n. 367.: quibus, ni fallor, conciliantur contrariæ in speciem Scriptorum sententiæ.

20. Huc certè spectat epistola, quam P. Franciscus Fluvia l. 1. c. 8. ait a S. Ignatio Minoressam fuisse Româ conscriptam Andreæ Amigant de Societatis confirmatione, ac de ejusdem regimine sibi collato, hoc addito: se quantumvis peccatorem, si Deo in cœlis frui mereatur, nunquam eorum fore immemorem, qui tanta sibi bona contulissent: ubi plura recenset de beneficiis ab Amigantia Domo in Ignatium Minoressæ congestis. Huc etiam pertinet epistola, de qua P. Ignatius Agricola in Historia Superioris Germaniæ Decade 1. n. 29.: dum Faber Ratisbonæ versaretur, Româ literæ perferuntur, quibus primum indicabatur, una cum Societatis confirmatione a Paulo III. nuper impetratâ facultatem concessam esse deligendi ex ea sexagenos (numeri tamen hujus cancellos idem Pontifex tribus post annis novo decreto absque ulla limitatione sublato voluit) qui, præter tria omnibus religiosis ordinibus statuta vota, quarto etiam, missio-



*Anno* nes quascunque Apostolica Sede jusserit, obeundi voto  
*1541.* se obstringerent: velle Patrem Ignatium Præpositum Societatis Generalem, ut Faber quoque intimæ Sociorum classi horum votorum nuncupatione se adjungat; ac subinde, cum primum id executioni mandasset, cum Petro Ortizio in Hispaniam, quo ipse Cæsar profecturus erat, confestim abeat. *Quatuor illa vota edidit Faber Ratisbonæ die nona Julii 1541. Orlandino & Bollandianis testibus. Indidem scripserat Faber die 12. Maji 1541. Lutetiam P. Hieronymo Domenech egregiam Scholasticorum institutionem, cujus præcipua capita prodidit Orland. l. 3. n. 27.: eam, ut a viro Sabauda eleganter Hispanicè conscriptam, Hispanico harum literarum prævio commentario, integram inserui. Præter Magistros Mionam, Goveam, & ceteros alios salutatur etiam Cazares: hujus Cazares videtur fuisse epistola Cacres Parisiis S. Ignatio missa XI. Febr. 1541., quam autographam in Archivio Romano asservari ajunt Bollandiani p. 464. n. 288. De P. Joanne Codurio die 29. Aug. 1541. vitâ defuncto, ait Orland. l. 3. n. 20., Ignatius cum ad Fabrum scriberet, veluti de communis obitu filii, narravit decedentem Codurii animam, a pio viro in oratione defixo, conspectam in cælum esse luce coruscantem inter choros Angelicos deportari. Inter Ignatianas epistolas, quas integras hoc anno 1541. desideramus, non ingratum erit lectoribus Cardinalis Reginaldi Polo, aliàs Angli a patria, responsum Ignatio missum Viterbio 22. Dec. 1541., quod in t. 5. Epistolarum amplissimi Cardinalis Italica est quinquagesima septima.*

*1542.* 21. Annus 1542. duas nobis suppeditat nondum editas S. Ignatii epistolas: quarum prima die 1. Febr. 1542. inscripta: Sorori meæ in Christo Dño nostro Elisabethæ Roser, e regione S. Justi Barcinone, desumpta est ex archetypo Monasterii RR. Patrum S. Hieronymi Vallis Hebronensis. Ex hac plane ac tuto illustratur altera, cujus tribus lineis nonnulla ita sunt detrita verba, ut reliquorum sensus fiat obscurus, & anceps; quin & primæ sensus ita vicissim pendet ex altera, ut vix alterutra possit seorsim intelligi. De Archidiacono Cazador dictum superius n. 5. & de Magistro Laurentio, cui se demissè rescripsisse testatur

Ignatius



Ignatius, nihil possum judicare, nisi forte fuerit Laurentius ille Marines Canonicus Barcinonensis anno 1523. apud Patrem Aymerich p. 401. Jam verò secunda epistola inscribitur Loyolæ Domino, quem suum in Christo D. N. fratrem appellat more solito. Tametsi temporis notatio non subest; quæ tamen de Æmiliano, Beltrani Loyolæ Domini fratre, narrat & ut certò labente mense ante Quadragesimam Româ Parisios profecturo, & a se eodem directo ad Magistrum Hieronymum Domenech in Lombardorum Collegio degentem, planè conficiunt datam fuisse epistolam Februario mense 1542., cujus Quadragesima incipiebat die 21. Febr. Nam Orlandino teste, Æmilianus Romam venit anno 1541., Domenech autem cum Sociis Hispanis Lutetiâ Belgium discessit sub medium 1542.: accedit, quod comes Æmiliano datus ad millia passuum ducenta, inde ab eo digressus Barcinonem petebat; quem Beltrano carum indicat Ignatius, & vix dubito quin sub detritis vocibus lateat Araozius, de cujus hoc anno Barcinonensi missione multa, eaque præclara narrat Orlandinus. Ejusdem autem profectionis tempus ex hac epistola non obscure definitur. Addo etiam elapsos hinc annos 10. & solidos 6. menses ad diem 26. Aug. 1552., quo Najarensi Duci scripsit Ignatius, se annis decem, & amplius (en diez a once años) Loyolam non scripsisse. Enimvero sacrum epistolæ hujus autographum asservatur Vallisoleti in Capite, ut ajunt, Majoratus apud Dominam Eustachiam Nicolaisam Ortès de Velasco, cui acceptum apographum grati referimus.

22. Cum Pater Araoz verno hujus anni tempore Barcinonem appulsus, S. Franciscum Borgiam Catalauniæ Proregem de Societatis Jesu disciplina, ejusque fundatore Ignatio multa docuisset, quæ fusius a P. Ribadeneyra narrantur in ejusdem Borgiæ Vita l. I. c. 10., & a Cardinali Cienfuegos; Sanctus Prorex, qui varias inter Doctorum atque piorum etiam virorum sententias de frequenti suo Sacramentorum usu nonnullis agebatur conscientie stimulis, ratus Patrem Ignatium, Deo in primis carum, optatam sibi lucem allaturum, dedit ad eum literas: quibus (gratulatur primum omnium institutam ab ipso Religionem, quam Deus Dominus noster in tantam sanctissimi sui nominis gloriam

Orbi

Annus  
1542.



Anno 1542. Orbi dederat : adjecta precum pro se demissa postulatione ) suum illi dubium exponebat, rogabatque ut quod sibi agendum erat rescriberet. Quamobrem narrabat Ignatio, & quid ipse ageret, & quem suus inde animus fructum caperet : quin & varias, discrepantesque hominum sententias, ubi & error & veritas tanti esset momenti. Acceptis literis Ignatius, apud Boll. t. 5. Oct. p. 165. & 243. n. 39., respondit, Societatis illud bonum solidum esse Dei beneficium. Paulus (1. Cor. c. 3.) plantavit, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum. Ad Eucharistiam quod attinet; cum sibi de ipsius vitæ probitate ex aliorum relatu constaret, arbitrari se se, e re ejus fore, si sacram communionem cum amore & reverentia octavo die sumeret: inter ejus commoda ut plurima sunt, & illud non postremum videri; frequentiori ejus usu a vitiis homines avocari, rariusque impingere: sin, ut homines sumus, labi contingat, citius exurgere, resipiscere, ad frugemque revocari. Neque una amussi ingenia omnia metienda: aliis rarius, frequentius aliis, ad divinam mensam accedere, utile videri. Suadere itaque & hortari, prudentem aliquem piisque e multis deligeret, cujus potissimum consilio in pietatis studio uteretur. In hanc Ignatii sententiam libens iit Franciscus. *Hæc illi. Doleo equidem Ignatii responsum, quod in Ribadeneyra video, in ejus versione Bollandianâ nec accuratam esse nec integram: nam primo Ignatius, reipsa, inquit universim, tutius est ac prudentius cum amore & reverentia debita ad Dominum frequenter accedere, quàm metu contrahi & pusillanimitate. Deinde Borgiam hortatur, ut octavo quoque die ad sacram porrò mensam accedat: quod speraret magno id fore emolumento & ipsius animo, & aliis multis qui ejusdem ad exemplum imitationis studio incitarentur. Addit Cienfuegos l. 2. c. 14. §. 5., quoniam ab Ignatio petierat Borgia, ut sibi Araozium aliquandiu concederet, postremo responsi loco adjecisse: Araozio quidem non licere diutius ibidem consistere, sed Fabrum deinceps etiam mittendum, cujus consiliis & virtuti omnes animi sui motus tuto committeret.*

23. Cum Faber adhuc Germaniam lustraret, die 10. Dec.



Dec. 1542. dedit Ignatius ad eum, & alios literas, quibus rogat, ut, dum ad ipsum scribunt, non misceant res alienas cum rebus facientibus ad ædificationem, circa conciones, administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, exercitia, & alia spiritualia: sed hæc scribant separatim, ut ostendi possint ad consolationem & exemplum fratrum, & aliorum. Scribant singulis 15. diebus: responsurum se singulis mensibus. Hactenus Bollandiani t. 7. Jul. p. 573. n. 858. Sub hoc tempus refert P. Nieremberg in vita P. Francisci Villanovæ t. 2. de Viris illustribus Soc. Jesu, Simonem Rodriguez fuisse questum apud S. Ignatium, quòd fratres ad se mitteret infirmos, ut fratrem Villanovam natu grandiozem, illiteratum, valetudinarium. Cui respondit Ignatius, eos se illi mittere, quos sibi Dominus in Societatem mitteret: de fratre verò Villanova se ita credere, si propius cum eo ageret, virumque nosceret, eas in ipso dotes inventurum, quibus in Lusitania opus esset; enimvero planè se fore contentum, si e sexaginta Scholasticis, in Societate tunc existentibus, absolutis demum studiis, viginti Villanovæ pares existerent. Quod si cœlum ipsi non adeo faveret, eundem Romam ad se remitteret; verùm Complutum digressus, si meliùs valeret, tandiu ibi consisteret, donec alia ipse præscripserit. Huc affero illam S. Ignatii ad Xaverium epistolam, de qua hic die 27. Jan. 1545. Cocino rescripsit: Ab hinc quadriennio solvimus ex Lusitania, ex quo tempore unam omnino abs te epistolam ab Urbe... accepi. Hoc anno 1542. subscriptas edidit Tursellinus tres S. Xaverii ad S. Patrem Ignatium epistolas; quod subscriptionum tempus tenere deinceps non solùm iteratæ sæpius Tursellini editiones, sed Scriptores etiam fere omnes; donec P. Franciscus Cutillas adornandæ S. Xaverii literarum editioni Hispanicæ Matritensi an. 1752., nactus est alia earundem trium epistolarum exempla, quibus multo verosimilius videtur apponi annus 1543., ut in postrema ipsarum editione Bononiensi probatum est t. 1. a pag. LXXXI. Quare ne temere lectores prioribus illis editionibus in errorem ducantur, visum est hæc easdem ex nova editione recudere, appositià varià temporum notatione; discussione ipsa, ne actum

Anno  
1542.

1543.

agam,



Anno 1543. *agam, in eum, quem dixi, locum dimissà. Sunt autem epistolæ in novæ editionis libro 1. undecima, 12., & 13.: quas simul hęc anno 1543. Ignatianis præmitto, quia & has prima Xaverii tempore præcedit, & aliæ duæ incerto mense datæ videntur; quanquam ex olim disputatis fortasse probabilius Octobris mensis 18. & 20. adscribendas censeo.*

24. *Integras habemus duas S. Ignatii epistolas, & aliam intercisam gravi detrimento, anno 1543. conscriptas. Primam, Italicè a S. Ignatio die 24. Jun. 1543. scriptam Marcello Cervinio Card. S. Crucis, edidit Hieronymus Lagomarsinius ex autographo Alexandri Cervinii Senensium Archiepiscopi, t. 1. Epistolarum, & Orat. Julii Pogiani pag. 127.; ubi multis illustrat Marcelli II. res gestas, & de Ignatii ad ipsum, etiam tum Cardinalem, epistolà præter alia hæc monet: Legatus, de quo epistola, erat Rodulfus Pius Cardinalis Carpensis, a Paulo III. Roma die 26. Febr. an. 1543. conveniendi Carolum V. Cæsarem gratia profecto, urbanarum rerum administer, ac vicarius relictus; colloquium verò Buxeti habitum, quo Paullus die 21. Jul. Carolus autem postridie venerat; unde quatri-duo post Cæsar in Germaniam, Pontifex Bononiam, festum S. Petri Apostoli diem celebraturus, contendit: rem etiam, de qua in hac epistola agitur, apud Orlandinum lib. 4. Histor. Soc. Jesu num. 9. his verbis explicatam reperies: Patres, dum intervisendis ægrotis, juvandisque morientibus lustrant urbem, decedentes sine pœnitentiæ Sacramento, magno sui dolore, complures aspiciebant; quibus, cum pene animam exhalabant; tum demum Sacerdos accersebatur, & cum defectio totius corporis vocem incluserat, tum Sacramentorum præsidia parabantur. Ignatius igitur, tot animarum periculis anxius, confestim ad Pontificem (Paullum III.) re delata, sua oratione, consilioque pervicit, ut Innocentii tertii salutare decretum (cap. cum infirmitas 13. de Pœnit. & Remiss.) quod ipsa temporum abrogarat iniquitas, & quo summus ille cavebat antistes, ne prius ægris corporibus medicus, quam curationem animis presbyter ad-moveret, universæ Ecclesiæ bono revocaretur. Quod adeo postea Pius V. Pontifex approbavit, instauravit-que,*



que, ut pœnis etiam acrioribus caverit, ne quisquam a medico conviseretur ægrotus, priusquam remitterentur a Sacerdote peccata: temperatione tamen adhibita temporibus consentanea, quo facilius decretum illud tota ubique servaretur Ecclesia. *Eà moderatione adhibita, inquit Ribadeneyra lib. 3. c. 9., ut uno atque altero die medicus ægris adesse possit; tertio verò nullo modo, nisi prius confessi sint.*

Anno  
1543.

25. *Qua de re libellum supplicem Ignatii ad Cardinalem Carpensem, ex Italico Latinum ediderunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 480. n. 374. his verbis: Reverendissime Domine Legate. Cum multi innumerique infirmi absque medicina spirituali ex hac vita migrent, vel malè admodum vel omnino non confessi, propterea quod tunc passim moneri solent infirmi, ut confiteantur, quando infirmitas magna cepit incrementa, nec jam nisi exiguam, vel nullam etiam spem vitæ relinquit; quo tempore fallit memoria, & debilitatur intellectus, ita ut confessio non breviter modò, sed etiam malè fiat: ac sæpe quidem, phrenesi, aliove malo lethifero ingruente, penitus non fiat: ad quæ illud accedit insuper, quod confessionis denuntiatio, tanti periculi tempore facta, timorem infirmis incutiendo, mortem accelerare nata sit: quæ omnia evitari possent, si confiterentur initio infirmitatis: præterquamquod ea confessio non tantum animas in tuto collocat; sed etiam infirmis levamen affert; ad eorumque sanitatem corpoream multum conducit; cum infirmitas corporalis aliquando ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat: Vade, & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Hinc reverendissima Dominatio vestra, ut prius in sua Diœcesi fecit, urgere desiderat observationem Decretalis & capituli *Cum Infirmitas corporalis* de Pœnitentiis & Remissionibus, conditi sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi: quamquam capituli observationem reverendissima vestra Dominatio cupiat moderari: id est, ubi jubet prius curari infirmi animum (ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs*

D

pro-



Anno 1543. procedatur, ut cessante causa, cesset effectus: ) promulgare cupit, ut medicis quidem liceat prima atque altera visitatione curare, quamvis non confessos; tertiâ verò non admoveant manum, nisi prius confiteantur; sive ut infra triduum confiteantur. Et non obstante hac moderatione, medici nonnulli conati sunt, quantum potuerunt, opus tam sanctum disturbare; neque id hîc dumtaxat, sed etiam litteris illuc missis (quamvis aliqui eandem artem profitentes contra sentiant;) dicendo esse contra charitatem, permittere, ut infirmus obstinatus, confiteri nolens, moriatur, illum non curando. Quia, si curaretur & superviveret, postea pœnitentiam agere ac salvari posset. Ad hoc respondent qui sano sensu sunt, legem omnem ferri ob bonum commune & universale, etsi privati alicujus detrimentum sequatur: ut patet in præcepto observandi sabbatum, quo is, qui colligebat ligna, lapidari jussus fuit ob bonum commune, atque universalem legis observationem. Atqui in hunc modum de Dathan, Abiron, Anania, Saphira, aliisque multis dici posset, quod, si supervixissent, pœnitentiam agere potuissent. Denique multi primæ notæ theologi & canonistæ, consultatione \* simul habita, & re studiosè expensa, subscripsere, quemadmodum illustrissima D. V. videre poterit ex adjuncto hîc exemplo: cujus autographum in domo nostra servatur unâ cum sigillo capituli generalis, habiti ad S. Augustin, ac subscriptionibus omnium Doctorum Theologorum, & Canonistarum, qui sensu conveniunt; licet mutando aliqua verba, ut ex approbationum ab ipsis datarum ecgraphis patebit. Sanctitas Sua, re cognita, multùm laudabit opus urgendi observationem Decretalis. Verumtamen quoniam medici tantos hîc rumores cient, estque admodum probabile, illos ob nostra peccata, tantamque cœcitatem, omnia, quæ poterunt, moturos, ut operi tam sancto impedimentum afferant: & quamvis promulgatum sit,

at-

\* Hanc consultationem, ac multorum Theologorum & Canonistarum subscriptiones autographas his reperi, ait Descriptor Ravennanus.



Annus  
1543.

atque executioni mandatum, verisimile est, non destituros clamitare, ut id disturbare queant. Eapropter, ut illustrissimam D. V. rectè informem, quantum possum, adnecto hîc insuper scriptum quoddam compositum, atque a Canonistis approbatum, quo refutantur objecta, ac tota materia declaratur.

26. *Libello supplicii subjungunt Bollandiani scriptum autographum S. Ignatii totum, primis curis compositum, quo occurritur difficultatibus, quæ in hac materia objici possunt. Brevem hunc commentarium, ad severiores dialecticæ leges exactum, cujus argumenta præcipua superiori supplicii libello continentur, e re nostra satis sit indicasse. Addo tamen cum Bollandianis in doctrinæ Ignatianæ commendationem clausulam Bened. XIII. in Conc. Rom. 1725. tit. 32. c. 1.: Nos igitur Episcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipsam Innocentianam, & Constitutionem S. Pii V., quæ incipit Super Gregem Dominicum, super hoc etiam emanatam, invigilent omnimodè observari, impositâ contra medicos excommunicationis pœnâ, sibi reservatâ, si tertiam post infirmi visitationem, ab infirmi cura non abstineant, infirmus dum usque ipse Pœnitentiæ non susceperit Sacramentum, quod Confessarius, relicta apud ægrotantem schedulâ, ejus manu subscripta, testari teneatur.*

27. *Epistolam Hispanicam S. Ignatii die 13. Aug. 1543. missam Excellentissimæ Dominæ, quæ Ignatio familiaris curiam tunc Pauli III. consecraretur, accepi a Marchione Villa Ferrariensi, exscriptam autographo, quod Taurini asservatur apud ipsius consanguineum Marchionem, vulgè de S. Marzan. Cum in ea inscriptio externa desideretur, non ita in promptu fuit divinare cuinam potissimum Excellentissimæ Dominæ sit conscripta. Verùm Excellentie titulus solis tunc principibus attributus, & Hispanicus sermo non nisi apud Hispanam principem usurpandus, notaque ante illud etiam tempus Margaritæ Austriacæ, Caroli V. filia, Octavio Farnesio nuptæ, pietas in Ignatium Romæ, ac beneficentia, ex Bollandianis t. 7. Jul. p. 466. n. 299., certum me planè faciunt, hanc ei omnino fuisse conscriptam. De Margarita ex Famiano Strada hæc præter alia referunt*



Anno 1543. runt Bollandiani: Ad pietatem magno sanè magistro usa est Ignatio Loyola Societatis Jesu fundatore: apud quem expiare a noxis animum, idque crebriùs aliquantò, quam ea ferrent tempora, consuevit. Ab illo auctore hausit erga sacrosanctam Eucharistiam religionem utique singularem, ac planè Austriacam. De Margaritæ ad Ignatium egregia epistola sermo erit anno 1554. P. Petrus Codacius, qui ante annos fere quatuor S. Ignatio adhæserat, notus est in *Historia Soc. Jesu*, & in *Viris ejus illustribus*; nullus tamen ante hanc epistolam nos docuerat Canonicum fuisse Mediolanensem. Nec mirum ante solemnem professionem etiam tum fuisse Canonicum, cum multò etiam post probante S. Ignatio Quintinus Carlatius Canonicus fuerit Tornacensis, & Petrus Domenecus Abbatia præfuerit Villæ Beltrani, quod prope Barcinonem est oppidum, editis jam pridem Societatis votis, teste Orlandino lib. 14. n. 48. & 72.

28. Epistolam die 15. Nov. 1543. a S. Ignatio missam Moniali Barcinonensi, descripsi maxima, qua potui, diligentia ex autographo, quod mihi D. Aloysius Sandianes commodavit. Ob singulare ipsius argumentum de quotidiana Eucharistiæ sumptione doleo equidem præposteram cujusdam religionem, cujus imprudente manu inscriptio externa (Barcinone relictâ) simul cum novem lineis interioribus respondentibus ita recisa est, ut superstitem hinc inde verborum sensum divinare non ausim; ea tamen accuratè in studiosorum gratiam ad autographi formam repræsentantur: sed quæ tribus postremis lineis recisa sunt, commodè, ni fallor, distinctis characteribus supplebuntur. Recisa præterea est integra linea ex ima autographi parte, quæ certis aliunde S. Ignatii doctrinis pari adhibita distinctione supplebitur. Videsis epistolam ad Azpeitienses n. 14. indicatam, & numerum 22. Addit Cardinalis Cienfuegos, S. Franciscum, quem Ignatius an. 1542. ad communionem hebdomadariam fuerat hortatus, paucos post annos quotidianam Gandiæ frequentasse; probante videlicet Ignatio, quem Franciscus ut oraculum consulebat. Sed quoniam alibi non comparet ita expressa Ignatii mens de quotidiana communionem, visum est e re fore, ut Hispanicum etiam textum ederemus. Qua de re ad Ignatii mentem Innoc. XI.  
die



Anno  
1543.

die 12. Febr. 1679. sic censuit: Etsi frequens, quotidiana-  
nusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fue-  
rit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut  
sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos  
singulis mensibus aut hebdomadibus dies statuerunt...  
nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie  
accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut  
unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis mô-  
do rariùs, aut crebriùs Domini Corporis suavitatem  
degustet. Itidem Moniales quotidie sacram Communio-  
nem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum  
Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ verò  
puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita inca-  
luerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana sanctis-  
simi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a  
Superioribus permittatur.

29. Quoniam Augustino tria hæc ab Ignatio tribuun-  
tur, ne quis e criticorum grege perperam ea obducto naso  
despiciat, noverit lector, primum omnium verè de Augu-  
stino dici, quòd quotidianam communionem nec laudat, nec  
vituperat. Id quod manifestum est Aug. epist. 54., al. 118.,  
ad Januar. c. 3.: Dixit aliquis non quotidie accipien-  
dam Eucharistiam? Quæsieris quare?... Alius con-  
tra: immo, inquit, ... peccata si tanta non sunt, ut  
excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se de-  
bere a quotidiana medicina Domini Corporis separare.  
Rectiùs inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui  
monet ut præcipuè in Christi pace permaneant: faciat  
autem unusquisque quod secundùm fidem suam piè cre-  
dit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat cor-  
pus, & sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacra-  
mentum certatim honorare contendunt. Neque enim li-  
tigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præ-  
posuit, Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gau-  
dens in domum suam suscepit Dominum, alter di-  
xerit: Non sum dignus ut intres sub tectum meum: ambo  
Salvatores honorificantes diverso & quasi contrario  
modo... Nam & ille honorando non audet quotidie  
sumere, & ille honorando non audet ullo die præter-  
mit-



Anno 1543. mittere. Contemptum solùm non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium. *Quod meliùs toto ipso loco, si diligenter adtendatur, apparebit. In libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, qui olim t. 3. Augustini circumferebatur, mox Gennadio tributus, a Maurinis in Appendicem est rejectus, hæc lego: Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Quæ duo hîc conjuncta, ab Ignatio autem Augustino adtributa in diversis locis, satis ostendunt, Ignatium in primo textu non huc, sed ad laudatum Augustini locum respexisse. Non autem mirum, si secundum textum Augustino tribuat, cum liber ille tunc Augustino vulgò tribueretur. Ad tertiam quod attinet, sæpius Aug. cum Cypriano Sacrum Jesu Christi Corpus panem nostrum quotidianum interpretatur; in speciem cap. 4. de Dono persever. sic ait: Quarta petitio est, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ubi Beatus Cyprianus... ait inter cætera: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. Hæc verba sancti hominis Dei, perseverantiam prorsus a Domino Sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; ne a Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant. Et serm. 56. in Matth. 6. n. 10.: In isto pane nostro quotidiano si intelligas, quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati, bene rogamus, & dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: ut sic vivamus, ne ab illo altari separemur. Accedit alius sermo, qui olim inter Augustinianos censebatur, nunc autem est a Maurinis in appendicem conjectus, desumptus verò, ipsis fatentibus, ex S. Ambr. de Sacram. lib. 5. c. 4., ubi multis declarat venerabile Eucharistiæ sacramentum esse panem nostrum quotidianum, & inter alia*



*inquit: Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic Anno  
vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non mere- 1543  
tur quotidie accipere, non meretur post annum acci-  
pere. Jam verò qui nosse voluerit, quanti fecerit Augusti-  
nus Ambrosii doctrinam, legat laudatam epistolam 54. ad  
Januar. c. 2.*

30. *Inter fragmenta epistolarum anni 1543. primum  
pono, quod Nolarcius sub finem capituli 27. sumpsit ex li-  
teris datis 15. Apr. 1543., quibus virum Principem allo-  
quitur in hunc modum: Animæ quæ fervore spiritus in-  
caluerint, ignem mutuò in se foventes, eo etiam ma-  
gis semper ardent, vicissimque inflammantur: enimvero  
cum amor Deum spectet, qui planè est infinitus; fini-  
tæ potentæ nunquam deest ratio, qua ulterius magis  
magisque promoveatur. Complures alias Ignatii literas,  
hoc anno conscriptas, indicat Orlandinus lib. 4. n. 35. 36.  
43. 51. & 53.; ac primum de P. Fabro circa mensem Ma-  
jum, ni fallor, dum, inquit, pro Nuncii Apostolici vo-  
luntate in (Coloniensis) Præsulis curationem vigilanter  
incumbit; ecce tibi ab Ignatio literæ; ut relicta Colo-  
nia in Lusitaniam cum Alvaro Alfonso, & Joanne Ara-  
gonio, Lusitaniæ Regis filiam comitaturus (ea erat  
Philippo Hispaniarum Principi desponsa) protinus iter  
pararet. Unum enim, aut alterum ejus rei causa e pri-  
mis Societatis Patribus postulaverat Joannes Rex: id-  
que suo Romæ Oratori mandarat. Tum alias ad Lovan-  
nienses Socios Ignatii literas recenset; ac postmodum se-  
cundæ, ait, ab Ignatio literæ perferuntur, ut Lovanio  
primo quoque tempore Societas omnis excedat. Strada  
autem, Oviedusque cum Joanne Aragonio, qui Lovan-  
nium dudum venerant, Fabro in Lusitaniam profecturo  
præcurrant. Faber, qui dicto audiens, Octobri mense Lo-  
vanium venerat, non sine divino consilio ibidem consistere  
valetudine adversà coactus est, donec summus Pontifex de  
rebus Coloniensibus a suo Nuncio edoctus necessarium Fa-  
bri reditum ad Coloniam præscriberet. Quare ex Pontifi-  
cis mente, suam illico Ignatius quoque mentem, vo-  
luntatemque mutans, per literas Fabrum admonet; ut  
Sociis, qui Lovanii tum erant, in Lusitaniam cum Stra-  
da*



Anno 1543. da missis, ipse Coloniam repetat, non priùs inde recessurus, quam rursus admoneretur... Qui de Societate Parisiis erant.... fratres suos, qui regio edicto compulsi, Lovanium ante confugerant, ignari quid de his recens statuisset Ignatius, impetrata a Rege venia cupidè reposcebant.... At Ignatius Sociorum de Sociis sollicitudine delectatus rescribit, quos requirerent, eos in Lusitaniam missos esse; & simul ex eis quærit, num & ipsi eò sint migrare parati, an & Parisiis in mendicitate manere, vitam & studia sustentaturi precario. His quæstionibus prudens Pater dum filiorum tentat animos, eorum etiam postulata discussit. Quibus tamen illi per literas fecere satis, suam ubique contestati fidem, alacritatemque parendi: seu pede nudo currendum esset ad Indos, & toto itinere mendicandum: seu Lutetiæ in paupertate manendum, & alienis studia sustentanda subsidiis.

31. P. Balthassar Tellez t. 1. Chron. l. 1. c. 25. in hunc annum 1543. retulit exemplum epistolæ S. Ignatii ad P. M. Simonem de negotio D. Michaelis Episcopi, paucis, ut videtur, cum temporis nota prætermisissis. Multis narrat in ejus argumentum causas gravissimas, ac planè invidiosas, quibus Joannis III. Lusitaniæ Regis, & Pauli III. Romani Pontificis animi propter D. Michaellem de Silva ita se alienaverant, ut vix ulla affulgeret spes eos conciliandi. Nempe Michael apud tres priores Romanos Pontifices Lusitaniæ Regis Orator, ac tandem Visensis Episcopus & a secretioribus Joannis III. consiliis, cum gravi hujus offensione clam a Curia Romam profectus, & a Rege propterea redituum etiam Episcopatum gravi pœna multatus, tamen a Paulo creatus est Cardinalis. Quibus jura sua quisque Princeps læsa fuisse querebatur. S. Ignatius utrique tam carus, quàm summis obstrictus beneficiis, Deo sæpius in eorum concordiam invocato, hanc Pontifici pacis ineundæ rationem suggestit, ut Visensis Episcopo Alexandro Cardinali Farnesio conferretur, cautione a Paulo adhibita, qua Farnesius reditus omnes ejusdem Episcopatus in Michaellem transferret. Placuit Paulo consilium, qui etiam mandavit Ignatio, ut rem ipse cum Rege perageret.

Qua-



*Quare Ignatius Simoni Rodriguez longissimam, prudentis-*  
*simam, ac sanctissimam misit epistolam, qua factum est,*  
*ut rebus e Pontificis & Regis sententia compositis, uterque*  
*Ignatio gratias egerit. Illius itaque pars est epistolæ, quam*  
*ex Lusitana Tellezii versione, olim Castellanam, nunc*  
*Latinam sic facio:*

Anno  
1543.

32. Cogitanti mihi quam turpe sit in paucis ingrati  
 animi vitium, atque execrandum non modò apud Con-  
 ditorem nostrum ac Dominum, sed etiam apud omnes  
 qui ad æternam ejusdem gloriam sunt facti; visum est  
 in memoriam tibi revocare, nos semper a primo nostro  
 in Urbem adventu fuisse a Sanctissimo Domino nostro  
 Papa Paulo III. omni beneficiorum genere cumulos, &  
 singularibusque Suæ Sanctitatis gratiis ornatos atque mu-  
 nitos. Deinde, quod universæ notum est Societati (ac  
 tibi in primis, qui coram ades), quantum scilicet Regi  
 Domino vestro ac nostro in Jesu Christo debemus om-  
 nes? Nam præterquamquod Deus Dominus noster plu-  
 res in eum contulit spirituales gratias, quibus eundem  
 voluit in omnibus ad summum suum obsequium & lau-  
 dem promovere: qui tandem nos sumus? Aut unde na-  
 ti, ut Deo Domino id agente, tantus Princeps nostri  
 meminisset? Ac sponte sua, vel suorum consilio, nobis  
 id minimè cogitantibus, Societate nondum ab Aposto-  
 lica Sede confirmatà, tanto studio a Sanctitate Sua in  
 spiritalia regnorum suorum commoda nostrum aliquot  
 postularet, tantæque nos operà tunc vel maximè tue-  
 retur, cum nonnulli Societatem nostram maledictis no-  
 tare, pravisque suspicionibus pervellere conabantur?  
 His accedit eximius ille Regis amor, & prona volun-  
 tas, quam a tuo in Lusitaniam adventu istic perpetuò  
 experiris. Perspecta quidem tibi sunt omnia & explo-  
 rata; nec me latet magnus ille amor, ac benignitas,  
 qua sua Celsitudo nos semper est prosecuta, cum sub-  
 missis, quod alii non solent Principes, vitæ subsidiis,  
 tum secundà pro sua magnitudine voluntate (nostræ  
 verò disciplinæ planè devotà) Collegii fundandi, domos  
 huic Societati constituendi, tam nil tale promeritæ seu  
 a Conditore, ac Domino nostro in cœlo, sive a tali



*Anno* Principe in terra. Qui demum eò tandem processit,  
*1543.* ut quotquot hinc advenas studiorum causà dimittimus,  
 continuè excipiat, suaque gratià tueatur.

33. Atque hæc omnia tibi commemorare volui, ut  
 & tu istic, & hîc ego, quin & omnes, ad majus Con-  
 ditoris, ac Domini nostri obsequium pari studio incum-  
 bentes, integrâ nimirum fide, & summa penitus in eos  
 gratitudine, quibus tanta (secundum summam, & di-  
 vinam bonitatem) debemus, vires omnes nostras e cœ-  
 lo acceptas, nervosque omnes & animi, & corporis  
 in id contendamus, ut contrarios, sanè magnos, na-  
 turæ humanæ hostis conatus infringamus; quibus hic  
 dissidium inter tales, ac tantos viros serere conatur,  
 ac promovere. Et quoniam quæ geruntur, perinde istic,  
 atque hîc nobis, nota tibi sunt, id unum restat, ut,  
 cum omnes tantis nominibus ultra modum teneamur ob-  
 stricti, & vos & nos ad unum magno studio spiritualibus  
 utentes armis (quandoquidem profana in perpetuum ab-  
 jecimus) assiduæ in dies orationi incumbamus, sacrifi-  
 ciis quin etiam hac de re singillatim oblatis, enixè Do-  
 minum Deum nostrum oremus, & urgeamus, quò hanc  
 ipse causam suscipere nè gravetur, præsensque sua be-  
 nignitate remedium rei afferre tam arduæ, tamque di-  
 gnæ, quæ infinitæ ipsius, summæque bonitati commen-  
 detur. Licet autem, quæ Dei est benignitas, planè  
 confidam, hosti rem hanc prospere non cessuram, ta-  
 men non levi complurium detrimento, & offensione  
 fiet, si negotium in paucos etiam dies ita consistat.

34. Cum mihi sermo esset bene longus hac de re  
 eum Cardinali Burgensi (singulari nostrarum rerum om-  
 nium Domino, ac Patrono), is ea in sententiæ meæ  
 confirmationem adjecit verba, quæ non mediocri meum  
 animum consolatione permulserunt: Nempe agebat Car-  
 dinalis: Cum quidam mecum sermonem haberet, eò de-  
 lapsus est ut diceret: Videtur, Domine, Lusitaniæ Rex  
 a Papæ arbitrio, ac potestate velle se subtrahere. Id  
 quod ego ferre non potui, valdeque indignatus repo-  
 sui: quisnam hæc fari audet? Tametsi Papa Lusitaniæ  
 Regem pedibus conculcaret; is tamen nunquam eò pro-  
 cede-



cederet, ut Christi Vicario non obediret. Itane verò *Anno*  
Lusitanam gentem huic vestræ similem arbitraris? Aut *1543.*  
istum Regem Britanno illi comparandum, qui ante quam  
palàm ab Ecclesia deficeret, ab eadem jam dimidia sui  
parte recesserat? Nulla tibi subeat ejusmodi cogitatio  
de Principe, qui tantum religionis, ac pietatis Chri-  
stianæ sensum præseferat. Hactenus Cardinalis.

35. Et quanquam volebam equidem propriam Regi  
epistolam conscribere, me tamen cohibuit & quod, me  
circumspecto, indignum me prorsus tali descriptione de-  
prehendo, & quia te istic cum habeam, illud mihi su-  
pervacaneum videbatur; potes enim ipse prævià reve-  
rentià quamplurimà eundem nostro etiam Omnium no-  
mine convenire. Verum tamen si tibi aliud videbitur,  
ego quidem nec volo, nec opto quidquam vel mini-  
mum prætermittere, quod tanto, ac tam benemerito  
Principi a nostra gratitudine, summaque observantia de-  
beatur. *Hæc Ignatius. Porro Joannes Alvarus de Toledo,*  
*O. P., erat ille Cardinalis Burgensis, cui a Burgensi ad*  
*Compostellanam Ecclesiam translato anno 1551. successit*  
*in Burgensi Franciscus Mendoza, dictus hinc pariter Car-*  
*dinalis Burgensis, qui Valentinam etiam rexit Ecclesiam.*  
*Michaelis causam Bollandiani (quos latuit Tellez) t. 7.*  
*Jul. p. 577. n. 873. referunt in an. 1545. cum Orland.*  
*L. 5. n. 27.*

## LIBER II.

De S. Ignatii Loyolæ Epistolis ab anno 1544. ad 1550.

36. *A*Nno 1544. numerabat Societas Jesu domos, & *1544.*  
Collegia decem, longissimis dissita locorum inter-  
vallis, quibus cum S. Ignatio frequens erat literarum com-  
mercium; ut exteros taceam, quorum pietatem, & amici-  
tiam diligenter ex officio literis colebat. Ex quibus integras  
eas tantum habemus, nondum editas, quas die 14. Jun.  
1544. misit Jacobo Crescentio: fuit autem teste Ribaden.  
L. 3. c. 9. Jacobus Crescentius, nobilis Romanus, inti-



**Anno** mus Ignatii amicus, & ad omnem pietatem semper pro-  
**1544.** pensus. *Hispanicum literarum autographum asservabatur Romæ in domestico Sacello D. Antonii Fratini, Sacri Palatii Apostolici Procuratoris, sub postremum Pii VI. decennium. Hisce ratione temporis præponemus scriptas Ignatio a supremo, Generalique Magnæ Cartusie Priore, Petro de Sardis, testibus Ribadeneyra, & Orlandino, vel de Leydis, ut est apud Bolland. ex fide Theophili Raynaudi: etenim feria V. post Dominicam, Cantate, incidebat an. 1544. in 15. Maji. S. Ignatii ad hanc epistolam responsum desideramus; ut & S. Xaverii ad duas Petri Fabri, quas eidem an. 1545., & 1546. perscripsit, ut Cartusiensium Patrum memoriam faceret sempiternam. V. Boll. Jul. t. 7. p. 482. n. 485.*

37. *Coloniæ, inquit Orland. l. 4. n. 103. 105., res jam bellissimè procedebat, adjuvante Carthusiæ Priore Gherardo Hammontano, cum per Ignatii literas jubetur Faber in Lusitaniam, postulante rursus Rege, & nutu accedente Pontificis, se conferre: qui ne tantillum ab ea, quam tanti faciebat, obedientia discederet, discedendum protinus, quamvis re infecta, decrevit... recedit Colonia Faber 4. Idus Julii. Apud Balthassurem Tellez l. 1. c. 37. n. 1. S. Ignatius, cum de condendo Valentino Collegio ageretur, M. Simoni scripsit, ut eum ex omnibus Conimbricensis Collegii subditis eligeret, quem rei tanti momenti aptissimum judicaret. Quibus acceptis literis P. Didacum Mironem elegit. De eodem, inquit Orland. l. 4. n. 126.: Jacobus Miro acceptis Ignatii literis, Valentiam discedebat, quò ad æstivas studiorum ferias pervenit. Alias autem indicat epistolas, ab Ignatio Conimbricensis Collegii post Mironem Rectori Martino Sancticrucio scriptas, dein prodit ib. n. 129., Martinum sexaginta Conimbricæ socios, ut ex Ignatii eliciebat epistolis, certis legibus, præceptisque munivisse.*

**1545.** 38. *Reliqua non pauca seu deperditarum, sive latentium hactenus literarum anni 1545. licuit hac illac dispersa colligere, integras verò unas ex codice Florentino; quas post octobrem mensem fuisse conscriptas, ipsarum prodit initium, finis verò annum 1545. sine alia temporis nota.*



*sa. Ex eodem codice Florentino cepi egregias D. Joannæ a Cardona Valentiaë datas ad Ignatium epistolas, quibus edendis gratum me Deo, probisque lectoribus facturum esse existimavi. Ibidem extat alia D. Sebastianæ Exarche ad P. M. Ignatium de Loyola Præpositum Generalem Societatis Jesu, Valentiaë data die 10. Jun. 1545., dialecto Valentina conscripta cum hac subscriptione: Molto humile figliola, & serva de V. R. che le soi mani basa. Dogna Sebastianana Exarche. D. Joannam a Cardona sibi familiarem laudat, & non secus, ac Joanna, Ignatium rogat, ut se in Societatem Jesu cooptare dignetur. De Joanna, teste laudato codice, scripsit Valentiaë pia quædam persona P. M. Ignatio quæ sequuntur: Cum hîc ego essem Valentiaë, obiit D. D. Joanna a Cardona, Ducis Cardonensis cognata, die 13. Martii, cujus superest fama sanctitatis, cum haud paulo animo ejus profuerit consuetudo cum P. M. Mirone & Societate, cui adeo se devoverat, & sua sponte paupertatis & castitatis votum emiserat; quin & publicas egit corporis afflictationes, macerationesque complures, addicta pauperum servitiis in nosocomio, in quo scilicet ut pauper obiit, ubi pauperum vulneribus piè osculandis assueverat, idque non mediocriter, quippe quæ Dominum nostrum in omnibus quærebat: multa præterea dicuntur de magno ipsius orandi studio, &c. Valentiaë 1547. Hæc ibi Hispanicè præter vocem mediocriter, quæ ibidem est Latinè. Jam vero licet utraque Joannæ epistola sit notâ temporis destituta, primam tamen ad Junium fere mensem 1545., quo ejusdem ad pietatem comes Sebastianana scripsit, pertinere significant quæ de P. Mirone refert, a quo etiam tradita sibi fuerint exercitia spiritalia sub hebdomadam Passionis, nempe anni 1545.: alteram, qua sæpius jam se Ignatio scripsisse memorat, responsumque ab eo accepisse, verosimilius quidem arbitror datam fuisse consequenti anno 1546.; sed propter paris argumenti genus, & annum planè incertum, putavi a prima non disjungendam. Joannam Cardonam egregiè laudat Orlandinus lib. 7. n. 62. Præcedit epistola S. Xaverii ad Ignatium data 22. vel 27. Jan. 1545. ex nova editione Bononiensi.*



Anno  
1545.

39. P. Tellez t. 1. l. 2. c. 5. miratur vehementer S. Ignatii modestiam, & singularem sui despicientiam, qua Joanni III. Lusitaniæ Regi, eximio Societatis patrono, & mira quadam largitate benefico, quin & Ignatii literarum cupidissimo, nullas tamen ei proprias conscripserit ante annum 1545. Quo tandem scripsit primas omnium, quibus pro acceptis sanè maximis beneficiis gratias agebat, novaque plenus spei bonæ postulabat. Et gratias quidem suo, ac Societatis nomine agebat Regi quam maximas summis grati, demissique animi significationibus. Quoniam verò rescierat vir sanctus magno teneri Regem sciendi desiderio universos singillatim suæ vitæ commutationis eventus, labores omnes toleratos, & ærumnas carcerum; simplici, & aperta veritate morem ei gessit, enarrandis sine fūco insectationibus, vinculis, sententiis a quamplurimis variarum gentium iudicibus pro sua innocentia latis, secundis ubique rerum eventibus. Quibus singillatim expositis, de præcipuo, quod tunc quidem B. Pater agebat, literarum argumento, velle se agebat, Societatis, adeo jam per orbem propagatæ, administrationi se subducere, quòd tot, tantisque negotiis, tametsi piis per se se, ac sanctis, imparem se agnosceret, atque ineptum; nec sibi ab eis vacuum esset tempus, quod agebat, ut ipsemet Deo in quietâ rerum Divinarum, tranquillaque contemplatione uteretur. Denique benignam a Rege petebat facultatem, qua P. Simon Romam se conferret, ut cum eo ceterisque primariis patribus congregatis maturiùs de re tanta decerneret. Hactenus Tellez: apud quem Rex Ignatio respondit, lætari se maximè apertâ jam viâ, qua per se posset liberiùs cum ipso agere; verùm de P. Simonis discessu agebat, eum sibi tunc temporis videri difficillimum, non eò solum quod opus illo haberet animo suo sanctiùs moderando, Principi, nobiliumque liberis erudiendis, ac regni etiam rebus agendis, in quibus prudens ejus consilium sibi esset usui quam maximo; sed ideo etiam quia res Societatis in Lusitania nondum erant ita solidè constitutæ, ut primaria irrigatione deficiente, possent tamen adolescere, ac propagari; porrò videri sibi, pulcherrimis illis plantis magnum imminere periculum, nè tam bonis initiis orsæ tristes haberent exitus, eo absente, qui  
pri-



*primus plantavit ipsas, atque irrigavit. Hisce Regis rationum momentis acquiescens Ignatius, P. Simoni die 14. Nov. ejusdem anni scripsit præter alia: quoniam Rex minimam hanc Societatem tam studiosa voluntate complectitur, seque rebus ipsis, in dies porrò crescentibus, peculiarem Dominum nostrum in Domino universorum præsefert; suæ Celsitudinis est jubere nobis, nostrum autem eidem obedire, ac planè sentire, singulare nobis a Divina Majestate munus in eo concedi, quod illi possimus aliqua in re satisfacere. Eisdem literis mandatum, quo Simonem Romam evocaverat, in aliud differebat tempus perpensis eis rationibus, quibus Rex movebatur, nè Simon e Lusitania discederet. Superioris ad Regem epistolæ argumento benè consonat id, quod apud Garziam lib. 5. c. 4. ad Joannem Lusitaniæ Regem scripsit Ignatius: nolle se quidem pro toto ipso mundo, rebusque ipsius quibuslibet, quidquam eorum non tolerasse, quæ propter Deum passus fuerat. Plura hinc lector cognoscet, quæ apud Ignatianos biographos frustra vestiget.*

40. *Cum Socii Colonienses an. 1545. Senatus decreto separatis in ædibus habitarent, Ignatius in Urbe, & in Hispania Faber, eodem quasi ducti spiritu illos ita collaudarunt, ut ad segregationem illam constanter retinendam per literas hortarentur, quarum hæc erat fere sententia: Licet inter vos tecto sitis, corporibusque sejuncti, Divina tamen ope facilè consequemini, ut fraternis inter vos animis semper esse, versarique videamini; cum & in voluntario disciplinarum studio, & vitæ proposito, susceptisque rite votis tam arcto inter vos nexu ad Jesu Christi gloriam ipsi vos adstrinxeritis. Cujus veluti glutino caritatis, totam hanc conglutinari familiam, & copulari par est. Ceterum Divinæ tutelæ fuerit, ut cujus causâ ista perfertis, is aliquando dispersiones congreget Israelis. Hæc fere illi, tametsi alter ab altero longè distaret, inquit Orland. l. 5. n. 37.; mox n. 38. subjungit: Julius ante Kalendas, & aucti in urbe numero sunt; & prohibente nemine, habitatione conjuncti. Quare has literas ad ineuntem fere annum retulerim.*

41. *Post diem 25. Febr. 1545. Faber, & Araozius e Lusit-*



Anno 1545. Lusitania in Castellam profecti, Salmanticae dein aliquamdiu commorati, Vallisoletum, Regum tunc temporis Sedem, ad 16. Martii appulerunt; hinc Araozius sub Junii finem Complutum, urgente Ignatio, discessit: Complutensibus rebus compositis, Barcinonem recta properavit; cumque ibi domicilii Societatis fundamenta constituisset, Ignatium de re Barcinonensi, & Complutensi per literas docuit. Cui rescripsit Ignatius, videri sibi, ut in Hispanias, ubi & Societatis instituta vulgo nota, probataque jam essent, & antiquae suspiciones excussae, Socii alii mitterentur. Ad extremum Barcinone relicta, Valentiam Novembri in-eunte perrexit. Hactenus Orl. l. 5. ad n. 73.: n. autem 81., aliquandiu, ait, Faber, & Araozius curiam coluerunt; quia illis initiis vehementer intererat nascentem Societatem, & obscuram, & quam Satanas malevolorum sermonibus omni ope conabatur obruere, ante omnia summis probari capitibus, ut inde ad subjectos populos tanquam semen suae propagationis acciperet. Nec tamen cessabat Beatus Pater identidem admonere, ut nulla re nisi obeundis religiosae disciplinae muneribus, solidaeque humilitatis exemplis, cum prodesse saluti communi, tum Societatem evulgare studerent. Nec omnino Araozium laudabat, qui, quanquam non sine publico ingenti bono, tamen plus nimio videbatur Procerum consuetudine uti. Quippe ea erat sapientissimi Patris sententia, non usu Magnatum, & tractatione civilium rerum, quod severissime interdicebat, sed constantibus laboribus, vita irreprehensa, Divini verbi praedicatione Apostolica, terendis Nosocomiis, publicisque custodiis, & id genus caritatis, & humilitatis officiis colligendam esse approbationem, & auctoritatem, quae necessaria est evangelicis operariis, ut labores in sublevandis animis salutariter ponant. Denique quam ipsis religiosis hominibus fugiendas aulas, tam enitendum vita, rebusque gerendis, ut de toto ordine bonus in eas odor ad Dei gloriam penetret.

42. P. Nieremberg t. 4. virorum illustrium in vita P. Araoz: Ignatius, inquit, per epistolas Araozio mandaverat, ut Sedis Apostolicae negotia, aliaque divinum obsequium spectantia, magno studio in Hispaniae Curia  
pro-



procuraret: in quadam autem Julii mensis 24. anni 1545. *Anno*  
 hæc illi: & quoniam ipse scripsi, oportere, ut per an- *1545.*  
 num apud Principem commoveris, vel non ita procul,  
 ubi melius tibi videretur, poteris id omnino facere.  
 Tuus in Domino nostro. Ignatius. Hæc ille. Mihi ta-  
 men haud dubium, quin laudata epistola Fabro potius,  
 quam Araozio sit missa, tum quòd Araozius tunc, ut nu-  
 per vidimus, urgente ipso Ignatio a Curia longè aberat;  
 tum quia teste Orlandino in Vita P. Fabri l. 1. c. 22.  
 huic mandavit Ignatius, ut in Aula Hispaniæ per annum  
 versaretur.

43. P. Pinias t. 7. Jul. p. 577. n. 874. sic ait: San-  
 ctus etiam Pater die 2. Sept. an. 1545. testatur, se au-  
 ctore, ac præsentem, Dominum Portocarrerum reconci-  
 liatum esse Domino Bustamantio. Testimonii program-  
 ma est maximam partem autographum S. Ignatii; cu-  
 jus apographum habeo ex Archivio nostro Romano de-  
 promptum; uti ex alterius epistolæ, quæ ibidem tota  
 autographa est S. Ignatii, & quæ continet procuratio-  
 nem pacis inter Dominum Franciscum Laso, & nobi-  
 lem quemdam Hungarum. Huic anno affigit Orland. l. 5.  
 n. 76. Antonii Moniz Lusitani cum S. Ignatio reconcilia-  
 tionem, cui viam ille publicè per Urbem verberatione pa-  
 ravit: de quo ad juvenis affinem, principem feminam,  
 scripsit Ignatius, stationum sacrarum quas obivit vias,  
 multo sanguine notasse. Eratque illam iteraturus sibi  
 pœnam, nisi ab eodem fuisset inhibitus; ut est cit. t. 7.  
 p. 558. n. 777.

44. P. Bartolius lib. 4. n. 21. laudat B. Ignatii lite-  
 ras 12. Dec. 1545. ad P. Claudium Jajum, Dilingæ tunc  
 temporis rem catholicam strenuè promoventem: quibus ei ve-  
 hementer commendabat, ut quibuscunque rebus posset aber-  
 rantem apostatam Bernardinum Ochinum ad Ecclesiam re-  
 vocaret; quæreret hominem, salutaret, summisque amoris  
 significationibus amicitiam ejus captaret; ac opportuna usus  
 mutui sermonis consuetudine eundem alliceret, ut ad sinum  
 rediret Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam tantà complurium  
 offensione deseruisset. Induceret eum, si posset, ad conscri-  
 bendam epistolam; si hoc minus, ut verbo saltem pœniten-  
 tiam



Anno 1545. tiam exhibeat idoneæ paratam satisfactioni ; paternam ipsi Vicarii Christi benevolentiam, & misericordiam sponderet, quâ rursus eundem excipiat, obviisque ulnis complectatur. Quod si nihilominus timorem præseferret, securum eum redderet a fide, & officio, quod ipsi offerebat, Societatis universæ. Esse se Romæ, patres ibidem esse Lainium, & Salmeronem; a quibus non minus sibi speret, ac rebus suis, quam si de anima Ignatii ageretur. Hæc ille.

1546. 45. Novem integras habemus epistolas anni 1546.; quarum primam italicè scripsit Ignatius die 23. Jan. 1546. Civitati Parmensi, in cujus tabulario asservatur autographa: in hac sermo est de nobili Veneto Andrea Lipomano, qui Societati duo condidit Collegia, Patavii unum, Venetiis alterum. Secundam edidit P. Alcazar, missam 17. Febr. 1546. Doctori Petro Ortiz, quem non minus Ignatii, Petrique Fabri consuetudo, quàm Cæsareæ Legationes posteritati commendarunt. De tertia, data die 10. Aug. 1546., Ribaden. l. 5. c. 2. sic præfatur: Romæ anno 1546. Religiosus quidam, eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante, graviter in Ignatium exarsit; qui etiam jactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, a Perpiniano Hispalim usque, igni se traditurum: idque Ignatio qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem, scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt, &c. Præclaræ hujus epistolæ prototypum e Gaditano Societatis Jesu Collegio Italiam secum tulit ejusdem Collegii Rector P. Raphael a Corduba, a quo integrum accepi, & accuratum ejusdem apographum: monebat autem vir religiosus subscriptionem, Ynigo, seu Ignatius, autographam esse S. Ignatii, reliquum verò Secretarii ejus Polanci characterem. Initio autographi hæc adduntur: Mi Domine. Dicitur Patri Fratri Barberà: Tu quidem &c., quæ sunt a Ribadeneyra prudenter omissa, ut recenti invidia religiosi famæ consuleret; nos autem docent, quænam fuerit tribulatio Barberani, de qua Bollandiani t. 7. Jul. p. 525. nihil rescierant. Porro in veteri Ribadeneyræ versione paucula commutavi justo fortasse religiosiùs, ut verbum pro verbo redderem. V. num. 49.



46. *Quartam Latinè, & Hispanicè dedit Ribadeneyra Anno  
lib. 3. c. 14. Elisabethæ Rosellæ missam die 1. Oct. 1546.; 1546.  
cujus inverso postremo numero annus evasit 1549. in Gal-  
lica versione P. Kouhours lib. 4. De cognomine Rosel, in  
S. Ignatii literis Roser, vide supra n. 9.: Epistolæ occa-  
sionem explicat Ribaden. l. 3. c. 14. his verbis: Feminae  
nonnullæ pietatis retinendæ studio, & perfectionis de-  
siderio flagrantes, a Summo Pontifice impetrarunt, sibi  
ut liceret sub obedientia nostræ Societatis vivere, &  
votis se religionis obligare; idque deinceps fecerunt.  
In harum numero erat Isabella Rosella; quæ cum esset  
matrona honestissima, & optimè de Ignatio merita\*,  
ejus visendi desiderio ex Hispania usque Romam vene-  
rat... Cujus animo Ignatius vehementer alioqui grati-  
ficari cupiens, non potuit tamen hac in re non omni-  
ratione resistere: cum perspiceret, pium quidem esse  
illius desiderium, sed nobis perincommodum, & valde  
ab instituto Societatis alienum. Hac de re multa conge-  
runt Bollandiani t. 7. Jul. p. 487. a n. 413., ubi memoriæ  
produnt sequens S. Ignatii memoriale ad Pontificem:*

47. *Beatissime Pater. Devoti Sanctitatis vestræ ora-  
tores Præpositus, & presbyteri Societatis Jesu in Ec-  
clesia S. Mariæ de Strata, in alma Urbe a Sanctitate  
vestra erectæ, institutæ, & approbatæ, non desinent  
pro viribus, & tenui ipsorum facultate, exercere se  
in quotidianis obsequiis Ecclesiæ Dei, & Domini no-  
stri Jesu Christi, & consequenter Sanctitatis vestræ,  
ejusdem in terris Vicarij. Cum autem presbyteri su-  
pradicti a nonnullis magnis viris, præcipuè in partibus  
Hispaniarum, sollicitentur ad suscipiendam curam Mo-  
nacharum, & mulierum devotè Deo servire cupientium:  
ex nunc ipsi Oratores animadvertentes, hoc unum esse  
magnum impedimentum cæteris officiis, in obsequium  
Dei sibi incumbentibus, ex ipso principali Sanctitatis  
vestræ instituto, & cum adhuc hæc cura exordiri in-  
cipiat, atque impediri posse videatur, & parvum im-  
pedimentum in principio possit deinceps majus fieri;  
ad beatissimos Sanctitatis vestræ pedes humiliter recur-  
runt,*

F 2

runt,

\* Parisiis, & Barcinone additur in postrema editione.



*Anno* runt, supplicantes de gratia speciali, ut in eorum in-  
*1546.* stitutione, ac Societatis confirmatione, quæ pro ex-  
 pressa habeatur de verbo ad verbum, ac exprimi pos-  
 sit, dignetur declarare & decernere, magnum esse im-  
 pedimentum cæteris officiis, & obsequiis Dei sibi in-  
 eumbentibus ex ipso Sanctitatis vestræ principali insti-  
 tuto, curam aliquarum Monialium, vel Sororum, seu  
 quarumcumque mulierum suscipere, aut ipsarum votum  
 aliquod vel obedientiam recipere: ipsosque ad hujus-  
 modi curam mulierum suscipiendam nullo modo teneri  
 debere, nec eorum instituto, & Societati expedire.  
 Non obstantibus &c.

48. *Supplicem hunc libellum exhibitum fuisse Pontifici  
 desinente fere Martio, significant verba Hispanica, avrã  
 medio año, epistolæ primo die Oct. subscriptæ, quæ ali-  
 quot ante mensibus non accuratè sunt reddita, cum sex  
 fere menses jam elapsos desiniant. Libello subnectunt Bol-  
 landiani longius Pontificis decretum, datum die 3. Nov.  
 1546., anno 13. Pauli PP. III., quo declaratur, Isabel-  
 lam Roser, mulierem Barchinonensem, de commissione  
 Suæ Sanctitatis, in manibus Ignatii de Loyola, Præ-  
 positi Societatis Jesu, ... & Franciscam Cruilles, ejus-  
 dem Isabellæ servitricem, obedientiam dicto Ignatio ...  
 atque castitatem, & paupertatem simpliciter in ejus-  
 dem manibus solemniter vovisse, dictumque Ignatium  
 diversis, & quàm pluribus servitiis pro honore, & glo-  
 ria Domini nostri Jesu Christi, & Sanctitatis Suæ ser-  
 vitio esse valde impeditum, & non expedire sibi, nec  
 Societati, hujusmodi mulieres sub ejus cura habere.  
 Et propterea ad ejusdem Ignatii petitionem, ac instan-  
 tiam, Ignatium ... & Societatem ... ab onere, & cura  
 ipsarum Isabellæ & Franciscæ primùm; deinde ... Isa-  
 bellam & Franciscam .. ab ipsius Societatis, & illius ..  
 Præpositi obedientia, religione, cura, gubernio; & vo-  
 tis præfatis exemit penitus, & liberavit, ac vota ...  
 commutavit ... Quodque de cetero dictæ mulieres om-  
 nibus, & singulis indulgentiis, gratiis, facultatibus, &  
 concessionibus, quibus si a dicta Societate exemptæ  
 non essent, gauderent, gaudeant indulsit ... Porro ibi-  
 dem*



dem tribuitur P. Polanco exemplum Brevis de Isabella Roser, & Francisca Cruilles: quo iterum confirmatur quod de cognomine Roser dictum est num. 9. . . Nolarcius sub finem cap. 26.: eandem italicè Roselli vocat, in Hispania dein Abbatissam facit, & opinione sanctitatis defunctam.

Anno  
1546.

49. P. Alcazar edidit præclaras duas S. Ignatii epistolas ad Doctorem Michaelem Turrianum, sive de Torres, quarum prima est data die 9. Oct. 1546., altera die 13. ejusdem Octobris additione subjecta die 18., quo utraque simul videtur missa. Multa in eis & indicantur, & explicantur, quæ in Historia Societatis, & Bollandianis desiderabam. De Cardinali Burgensi vide n. 35., de Anglo n. 20., mox de Carpensi: qui Barbaràn bis dicitur in altera epistola, idem sæpius Barberà seu Barberàn ex n. 45. Septima hujus anni epistola, mense Octobr., die præter morem prætermisso, subscribitur; deprompta est ex autographo, quod exstat in Quirinalis S. Andreae domo probationis olim Societatis Jesu: hinc certò novimus, nonnullis temerè dissentientibus, jam inde ab anno 1546. Simonem Rodriguez Societatis Jesu Provincialem fuisse in Portugallia a S. Ignatio constitutum. Accedit octava ad S. Franciscum Borgiam, quam Ribaden. in hujus vita lib. 1. c. 16. ediderat, ex quo Bouhours Gallicè in vita S. Ignatii, & Bollandiani Latinè t. 5. Oct. p. 246.: verùm Latina hæc versio plerasque S. Ignatii sententias ita effert jejunè, & exiliter, ut pulcherrimum literarum corpus imperfectum, ac rude reliquerit; quare nova, quæ sensum sensui fidelius redderet, omnino fuit elaboranda. Tametsi temporis nota desideratur, tamen hoc anno per autumnum fuisse conscriptam, suadent mihi clarissimi Borgianæ vitæ Scriptores, qui Borgiam prodiderunt, audita Fabri morte, die 1. Aug. 1546. Romæ defuncti, internuncium Ignatio mandasse, qui plenissimam ipsi de rebus suis & publicis & privatis rationem redderet; quo audito, Ignatius hanc per eundem Borgiæ miserit epistolam. Id Ignatio per Fabrum, inquit Orland. l. 6. n. 76., cum Romam venit, significavit ipse silentio, Societatem se pollicitus initurum, cum primum graviora quædam explicasset in sua ditione negotia. Porro internuncium a Borgia missum videre mihi videor



Anno deor in Francisco Rocca Decano Canoniorum Gandien-  
 1546. sium, qui Apostolicorum mandatorum executor erat; dum Gandiæ ipsis Martii Kalendis 1549. excitata est Academia, teste Orland. l. 9. n. 75.; Ignatius enim in laudatis literis die 13. Oct. Turriano scriptis Decanum Roccam bis memorat, qui Borgiæ postulata de libro Exercitiorum, de Collegio, & Academia Gandiensi apud Pontificem urgeret.

50. Quas Orlandinus l. 6. n. 34. anno 1546. affigit Ignatii literas ad Regem Ferdinandum, ne velit in Societatem honores invehere, hujus anni postremas recenseo, mense quippe Decembri conscriptas, eo fere tempore, quo apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 487. n. 412., Ignatio impellente, Cardinalis Carpensis die 4. Dec., & Claudius Jajus 10. Decembris Regi suaserunt per literas, ut instare apud Pontificem, & urgere desisteret, ut Tergestina Cathedra invito Jajo conferretur. Idem antea Episcopatus a P. Bobadilla fuerat repudiatus, ut testantur ejusdem ad S. Ignatium literæ ex Castris prope Ingolstadium 5. Sept. 1546.: Secretarius aliquis regis Romanorum venit ad hanc aulam, & mecum locutus est, ut acceptarem Episcopatum quemdam Tergestinum: cui respondi, quod nostra vocatio esset paupertatis, & non magnificentiae... , ut ajunt Bollandiani p. 486. n. 405.. De Bobadilla, & Jaji Episcopatu obiter S. Ignatius epistola 9. Oct. ad Michaelem Turrianum, in qua Regis Ferdinandi Confessarium, qui Orlandino est Labacensis Antistes, vocat Archiepiscopum, nempe Autocephalum, seu Exemptum, & Græco potius quam Latino more Archiepiscopum. Plurimis Orlandinus de Jajo; de quo ait: quanquam postridie quam ad Regem scriberet (Ignatius), dicebatur in Concilium Cardinalium de Tergestina Cathedra referendum, tamen impetrata per Margaritam Austriacam, cui a Confessionibus Ignatius erat, otii morula, literas ad Regem dedit... , quæ ita Ferdinandi animum inflexere, ut Oratorem suum (Jacobum Lassum) extemplo monuerit, ut inchoata ab actione, & jam penè transacta desisteret. Jam vero Rege ipso mutato, cui gratificari Pontifex vellet, quidni & ipse Pontifex, Ignatii præser-



tim rationibus animo obversantibus, mutaretur? Quem *Anno*  
*multis frustra rationibus ante docuerat, quam ea res So-* *1546.*  
*cietati noxia, quamque periculosa foret: illarum partem*  
*non exiguam affert Ribadeneyra, longe maximam Orlan-*  
*dinus. Ignatius, teste Orl. l. 6. n. 7., pari constantia*  
*tribus, quatuorve Professis Episcopatus oblatos, tam-*  
*etsi nondum lex ulla propria de repudiandis honoribus*  
*lata erat, sed tantum hic sensus inde a principio Pa-*  
*trum insederat mentibus, obfirmato tamen animo recu-*  
*savit. Quaquam ab admittendo Æthiopici Patriarcha-*  
*tus honore, quem tùm nostris Professis Lusitaniæ Rex*  
*deferendum curaverat, Fabrumque nominaverat, non*  
*abhorruit: quod ea muneris legatio non tam honoris*  
*esse, quam multi oneris videretur; nec tam dignitatis,*  
*& copiæ, quam humilitatis, & inopiæ. Quin Æthio-*  
*picam profectionem adeo e re, gloriaque divina sibi esse*  
*persuaserat, ut, si ceteri eam abnuerent, sibi ipse de-*  
*posceret, ni Societas intercederet. Probabant autem*  
*ad id ipse, & Jajus & Lainius, & alii cum rerum usu,*  
*tum morum, atque etiam corporis habitu ante omnes*  
*Paschasium. P. Antonius Bonucci in vita Paschasii Eroet*  
*edita Romæ an. 1713. cap. 6. ex Romano Tabulario pro-*  
*tulit sequentem S. Ignatii de Paschasio in Æthiopiæ Pa-*  
*triarcham eligendo sententiam: Paschasius in primis tantà*  
*est probitate vir, ut a nobis quasi Angelus in Societate*  
*habeatur: deinde præter scientiam, qua pollet, pluri-*  
*imum in visendis, reformandisque Episcopatibus, & Mo-*  
*nasteriis habet usum: quippe qui, præter alia, Nun-*  
*cius etiam Pontificius in Hibernia versatus est; adeo ut*  
*ejusmodi negotia nemo unus e Societate æquè tracta-*  
*rit; ille autem sic ea tractavit, ut ad quamcumque rem*  
*manum admoveret, operam suam mirabiliter probaret.*  
*Nam & valde naturà sedulus est, & quoniam adeo se*  
*obsessum Episcopalibus & conscientiæ causis videbat,*  
*magnam iis studiis diligentiam & curam semper adhi-*  
*buit: quæ res maxime in Æthiopia necessaria est. Po-*  
*stremo satis est ei honesta totius corporis conforma-*  
*tio, satis firmæ vires, & prospera valetudo, ætasque*  
*media, annorum circiter quadraginta. Causas verò, pro-*  
*pter*



Anno pter quas honores Societas repudiabat, has recenset Orland.  
1546. l. 6. a n. 36.:

51. Non enim, inquit, eæ duntaxat, quas ad Ferdinandum epistola brevi perstrinxerat, sed aliæ permultæ causæ gravissimæ Beatum virum incitabant, ut contra primos honorum impetus tanta contentione pugnaret. Ac primum quidem quia cum plerumque ad Ecclesiæ vocentur honores, quos excellens aliqua laus in his familiis, cœtibusque nobilitat, paucis annis lectissimorum hominum flore familiæ ipsæ privantur: & suis veluti exhaustæ medullis, ac succo, quantum amittunt ex viribus, tantum de sublevandæ Ecclesiæ facultate deperdunt. Declarant nobiles in orbe Christiano familiæ, quæ cum excellentium virorum gloria, ac copia non multis annis ante florerent, postea ipsis luminibus ad Episcopatus, & honores evectis, minores haberi sunt cœptæ: nec modo suam Ecclesiæ operam, proximisque de more navare, sed ne se ipsæ quidem satisfutari, ac suis niti viribus potuerunt. Deinde, quia undelatus honos, aliorum, qui silebant, animos sæpè commovet: & qui nihil de honoribus a conspectu remotis, & longe positis cogitabant, eos quoque præsentium fulgore deceptos ad ambitionem accendit. Omnes enim gloria ducimur, & magis virtutis insignia, quam virtutem ipsam plerique sectamur. Porro spectandis honoribus nihil rectè agitur: quia vitiosâ ex mente, velut ex vitiata radice ea quoque, quæ ex ea prodeunt, benefacta vitiantur. Perit & sincerissimus religiosi pectoris candor, ubi tota honoribus mens intenta, per variæ dissimulationis ambages ad eos sollicita pervenire contendit. Itaque nihil in dictis simplex, nihil in convictu sincerum, sed sempiternis fucis, & occultis artibus plena sunt omnia, ut jam in ipsa religionis tecta, pulsâ religione, conspicias mores irrepsisse politicos, & in hæc spiritus domicilia sese Aulam obtrusisse. Et sane hæc in primis Beatum Patrem ratiocinatio commovebat: Ducenti fere nunc in Societate numerantur, qui ad eam accessere humilitate pellecti: horum alii novo honorum accipiendorum instituto quasi jam Societate



Anno  
1546.

tate evanescente offensi diffluent: alios ambitionis sollicitabit illecebra; ex ingressuris vero, quos incitabat amor humilitatis, id est, optimi quique, retardabuntur: & è contrario quosdam ambitio ipsa pelliciet: quo ex semine nihil bonæ frugis sperari possit. Tum vero in tanta studiorum diversitate aliis probantibus honores, aliis damnantibus, præter cetera damna, etiam animorum abalienationes inter Socios, & dissidia necesse erit existere. Hanc, inquam, rationem magni æstimabat B. Pater. Accedit quod cum semel admissis communes in cœtus honoribus existere cœpit ambitio, distrahuntur hominum studia, & laudatissimæ illæ curæ, quas magna animorum consensione in suæ quisque familiæ commodum conferebat, divisæ languescunt; dum spei novæ velificans ad privatas utilitates, ac lucra studium omne convertit; quanto Religionis incommodo, atque pernicie, vel ex privati cujusque familia in communi vita conjicias, quæ tam diu augetur, & floret, dum in ea sua quisque lucra in commune confert, & caritate quadam fraternæ concordiæ in ejus familiæ bonum universi conspirant: Quod si distractis emolumentis, ac lucris, suæ quisque augendæ rei privatim intendat, domus illa brevi dilabitur, & ad inopiam, famemque redigitur. Eadem & in Religione labes, ubi propositis honorum illecebris suas quisque agitare spes incipit: & Religione ipsa posthabita, cui prius, desperatis honoribus, studio omni, curaque serviebat; necesse est, conversis curis, atque vigiliis, suæ deinceps utilitati, gloriæque deserviat. Nec minoris illa momenti, & propria Societatis ratio: quod patefacto in eam honoribus aditu, desideraturi sunt in posterum Romani Pontifices, qui de nostro numero gratuitam, ac voluntariam, non mercenariam operam sibi navent: aut suspicari certe poterunt, spe præmiorum eos duci in suscipiendis, gerendisque negotiis. Ubi autem spes, aut metus intervenit, quæ potest esse in agendo libertas? Quæ quidem eo est necessaria magis, quò graviora sunt illa, quæ gerunt, præsertim apud Dynastas, ac Reges, si legatione fungantur. Quam igitur fidem nostris homi-

5. causa.

6. causa.



*Anno* nibus habeant Pontifices Maximi, si quorum prudentiæ  
*1546.* confidunt, eorum integritati diffidant? Aut quam ha-  
*7.cau-* bituri sunt Reges ipsi, si speratis eos honoribus, &  
*sa.* domi jam conditis agi perspexerint? Quin illud etiam  
 necesse est Pontifices angat, & sollicitos habeat, quod  
 cum rei bene gestæ remuneratio debeatur, multosque  
 ad graves, & varias Ecclesiæ causas prospero sane  
 successu de grege nostro frequenter adhibeant, vix fieri  
 potest, ut in remunerandis cujusque laboribus, ac con-  
 tentionibus æque omnibus satisfaciant; ne ubi par est  
 magnitudo laboris atque virtutis, merito doleat se reli-  
*8.cau-* ctum, qui in honoribus præteritur. Sæpe etiam nostri  
*sa.* homines in gerendis pro Apostolica Sede negotiis, Pon-  
 tificios Ministros, & Apostolicos Nuncios, qui apud  
 Reges, Principesque versantur, tanquam suæ gloriæ  
 æmulos, & adversarios gravissimos sentient, iniquo  
 ferentes animo sibi quenquam in negotio administrando  
 præferri; mittique homines de longinquo, qui suas in  
 partes involent, & in propinquam suæ gloriæ segetem  
 irruant. Nulla enim potest esse concordia, ubi est de  
 honore contentio: & quem extra honoris aleam forte  
 diligas, in honorum concursu non feras. Quid igitur  
 agent, aulicis artibus eruditi, nè speratum sibi gloriæ  
 munus præripiat quisquam? Certe nihil aliud nisi ut  
 eorum clam conatus evertant, consilia, & bene cœpta  
 disturbent, & quidquid illi scitè construxerint, ipsi de-  
 struant; unde necesse sit innumerabilium oriri dimica-  
 tionum semina, & negotiorum expetitos exitus impe-  
 diri. Vel certe religiosi ad eorum se voluntates, quos  
 adversarios reformidant, accommodabunt: cumque iis  
 mutuæ apud Sanctissimum Dominum commendationis  
 inito fœdere, non legationi, sed ambitioni servient.

*9.cau-* 52. Porro ipsa officiorum, ac munerum dignitas,  
*sa.* quæ Societas administrat, si suspicio exoriatur honoris,  
 hebescit quodammodo, & obscuratur. Ut enim si Dei  
 gloriam præclara illa munera tantum spectent, splen-  
 dorem suum obtinent, ita si referantur ad nostram,  
 continuo sordeant, in minimisque ducantur. Quid glo-  
 riosius, aut ad speciem amplius, quam propter Chri-  
 stum



Anno  
1546.

stum itinera longa suscipere, ultimas peragrare terras, certa adire pericula, primariosque inter viros stabilire concordiam? Quid illustrius, aut honestius, quam Religionis proferre fines, Catholicorum tueri partes, Petri Sedem, Pontificum autoritatem, existimationemque Sacri Senatus ab hæreticorum morsibus, latratuque defendere? At si in his gerendis, quæ tantam ex suo genere speciem habent, appareat ab iis, qui ista gerunt, emolumenta perquiri, captari gloriam, mercedem ab hominibus expectari, quam ista subito contemnuntur, & sordent? Ut enim ea, quæ nihil ex se splendoris, ac dignitatis habent, si Dei caritate gerantur, continuo pulchritudinem, & lucem induunt; sic quæ ex sua natura pulchra, & speciosa sunt, si nihil altum spectent, nihil æternum, sed ad privatas rationes, & terrena commoda referantur, in noctem incidunt, & redduntur obscura. Tales autem necesse est, Societatis conatus, & functiones evadant, si in eam inducantur honores. Quid? Quod ipsi Ecclesiæ Præsules, & qui in ea amplum aliquem dignitatis obtinent gradum, nostros jam sibi dignitate pares, & quasi de honore certantes haud æquis oculis intuebuntur? Neque enim magna vacat invidia, habere jam æmulos, atque pares, quos modo subjectos, atque inferiores habebas. Declarat id in viris amplissimis frequens usus, qui cum privatos homines, quamdiu in Religionis humilitate se continent, eximie diligant, eorumque sint peramici familiæ; postea cum & illi ad eosdem evehuntur honores, ubi emolumenta se vicissim expungunt, atque extrudunt, eos continuo deserunt: totaque amicitia repente in simultatem, benevolentia in alienationem commutatur; ut in eorum quoque familiam unde prodierint, eorum sæpe causa iræ, simultatesque redundent. Nec in postremis ea habenda ratio, quod qui vocantur ad honores, cum sæpe in his familiis alios habeant, quibus præ ceteris sint amici; alios, quibus haud ita benevoli, necesse est ut honoris potestatem adepti, faveant illis, his adversentur. Quorum utrique suos item amicos habent, quos suas ad partes adjungant:

IO.  
causa.II.  
causa.



*Anno* 1546. & hi vicissim alios, qui sibi pariter adhæreant, & ad-  
*causa.* jungantur. Quod nihil est aliud, nisi perniciosas fovere  
 factiones, alere in Religione dissidia, Societatem Sanctam  
 dirimere, & corpus omne discerpere, atque distrahere. Ut merito interdum a Summis Pontificibus  
 cautum videas, ne Religiosorum Ordinum Protectores  
 iis præponantur Ordinibus, unde ipsi prodierint; sed  
 eum quisque Ordinem, ac cœtum protegat, qui eum  
 nihil attingat, & in quo nulla possit esse gratiæ iræve  
 suspicio, sed eadem omnes æquitate contineat, ut pax  
 sit membris, & non sint in corpore schismata. Adde  
 quod isti, qui ad amplissimos Ecclesiæ honores & Præ-  
 fecturas ascendunt, sæpe Religiosæ Œconomix, & eor-  
 um, qui præsent, administrationi plurimum obsunt.  
 Nam cum eorum qui parent, sæpe causas partesque  
 suscipiant, si quod rogantur, & rogant, importunis  
 precibus impetrarint, audaces eos, qui parent, in eos  
 qui præsent, reddunt, obedientiam infirmant, atque  
 debilitant; & ex eodem grege complures unius laces-  
 sunt exemplo, ne suos Præpositos vereantur, ac ti-  
 meant: sed excusso disciplinæ jugo audacter ad se con-  
 fugiant, ut quod detrectant, abjiciant; quod concupi-  
 scunt, exorent. Sin autem repulsam forte tulerint, nec  
 quod rogarint, extorserint (Præpositi enim qui res pro-  
 prius attingunt, acrius plerumque vident, quid e re di-  
 vina sit potius, & justam habent denegandi causam);  
 tum isti veluti se contemptos putent, graviter offen-  
 duntur, iras suscipiunt implacabiles; & si qua in re  
 incommodare, adversarique toti Religioni possunt, ob-  
 lata occasione non parcunt. Denique cum ita compa-  
 ratum sit, ut optimus quisque religiosæ vitæ cultor  
 sanctæ humilitatis latebras amet: ut quisque minime es-  
 set virtutis amans, atque adeo etiam ad res pie ac pru-  
 denter gerendas idoneus, ita ambiret maxime lucem,  
 & speciosa munera, per quæ gradum sibi faceret ad  
 honores, & tandem juratæ obedientiæ jugum excute-  
 ret. Qua ex re non Societas modo, quæ suam liberta-  
 tem simplicitatemque tueri non posset; sed universa  
 Ecclesia, quæ ministros rebus agendis, & honoribus  
 admi-



administrandis, parum idoneos haberet, detrimentum haud dubie magnum acciperet. Hæ aliæque rationes B. Ignatii menti obversabantur, quamobrem Ecclesiæ honores quamquam per se bonos, hominum tamen vitio, qui suis emolumentis metiuntur omnia, minus quærendos, præcipue tamen in Societate, & ut noxæ omnis amputaretur occasio, & propter peculiare institutorum ejus genus, existimaret veluti materiam periculorum, segetemque superbiæ, ac totius ordinis perniciem, totis viribus declinandos.

53. Quod illud etiam indicat, maximum meo judicio, atque haud scio, an omnium gravissimum argumentum: quod viri sancti, & omnium jam virtutum absolute perfecti, in quibus haud ita multum periclitatur humilitas, oblatas infulas, togamque purpuream non modo obfirmatis animis, judiciisque recusant; sed ne offerantur, aut per vim obtrudantur, in longinquos sæpe recessus, & occultissimas latebras se se abdunt; non tam de honoribus cogitantes, quam quemadmodum venientem iram effugere queant; ut de se ipse Nazianzenus fatetur. Nec quenquam ex eis sane reperias, si præteritos evolvas Annales, & ab ultima antiquitate memoriam replicas, qui delatos honores, ac magistratus, nisi illustris aliqua divinæ voluntatis significatio facta sit, aut sua voluntate admiserit, aut non strenuè, constanterque repulerit. Longum esset Sanctorum fugas enumerare, & nimium aberraret oratio, si id susciperem: sed plena est omnis antiquitas, plena literarum monumenta, cuique prompta. Quod si Sanctorum omnium judicio, atque sententia non tam ambiendus in Ecclesia Dei, quam fugiendus est honos; quanto magis in his Sanctitatis ordinibus, qui singularem humilitatis disciplinam continent: & ubi pravis, ac propinquis exemplis magis conjuncta, quam dispersa multitudo se inficit, danda est opera, ut omnis gloriæ cupiditas, omnis honorum relegetur ambitio? Libet hoc loco illud Patriarcharum par, geminum Ecclesiæ lumen, nostræ testes proferre sententiæ, Dominicum, & Franciscum. Quorum uterque cum apud Ostiensem Cardinalem ver-

Anno  
1546.

14.  
causa.

sare-



Anno  
1546.

saretur in Urbe, disertis verbis quid de admittendis in suas familias sentiret honoribus, declaravit. Nam cum Antistes ille studio religionis incensus suam deploraret ætatem, quæ tales ferret, & educaret Episcopos, elatos, vanos, & quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi sunt, quærentes; desideraretque nascentis illius Ecclesiæ primordia, in qua Pastores animarum nullis inflati divitiis, nullo fastu tumidi gregem Domini singulari modestia, & caritate regebant, subiit animum priscos Ecclesiæ mores posse facile revocari, si ex novis Dominici, Franciscique familiis deligerentur Antistites; qui paupertatis in studiis, & humilitatis educti, aut prisca illa Apostolorum tempora toti terrarum orbi referrent, aut meliores certe evaderent suæ tempestatis Episcopis. Placuit igitur ex utroque quid in re proposita sentiret, exquirere. Verum hic sancto quodam ex humilitate certamine inter egregios Patriarchas exorto, uter altero prior pio Præsuli responderet, post multa Franciscus, qui primas sibi depoposcerat humilitatis, obedientiæ primas Dominico detulit. Qua vir sanctus impulsus, sententiam paucissimis indicavit, & conversus ad Præsulem: satis, inquit, Præsul amplissime honesto, excelsoque loco Prædicatorum Ordo versatur, si dignitatem suam agnoscat. Nam ego quidem quantum in me erit, nunquam prorsus assentiar, ut mei Ordinis fratres ad altiorem conscendant honorem. Deinde Franciscus magno quodam excitatus ardore perpaucis & ipse suam in hunc modum sententiam dixit. Mei Fratres, Antistes optime, minores iccirco vocantur, ne optare unquam audeant se esse majores, sed ipsa nominis appellatione commoniti, perpetua se in humilitate contineant, insistantque vestigiis humilitatis Christi, quò post hanc vitam ad beatorum veros, & æternos honores evehi queant. Et vos Antistites, si fructus in Ecclesia Dei, quales optatis, nostris ex Fratribus expectatis, nolite illos extollere, sed in ea, qua degunt, humilitate servate: & cum senseritis eos studere gloriæ, & contra suæ professionis propositum sublimes cathedras affectare, comprimite cupiditatem, ambitionem



Anno  
1546.

nem retundite, nec gloriæ stimulis indulgete. Quibus utriusque præstantis Patriarchæ sententiis satis, opinor, declaratum est, quid de accipiendis in his familiis honoribus sentiendum sit. Quod si corroboratis jam vetustate familiis, nec ad eandem formam conditis id curandum, & providendum est, quanto magis huic modò natæ Societati, nec ad ceterarum institutæ formam, sed præcipuo quodam sacramento in speciosis muneribus, atque functionibus Romano obligatæ Pontifici. Nam & novitas ad ferendam tantam vim onerum, atque munerum satis roboris plerumque non habet, & notitia Pontificis Maximi, cujus est egregia in Ecclesiam merita, insignemque virtutem dignis condecorare præmiis, obvios semper habebit, quorum labores, atque virtutem, ex hac sibi addicta cohorte, vel ipsis repugnantibus, cohonestet. Quid igitur iis silentibus, & annuentibus? aut quid ultro quærentibus, aut petentibus? Omnino quod ferendum forsitan in aliis sit, & excusationem justam habeat, id in hac prorsus familia, nisi omnem obstruat honoribus aditum, intolerabile videatur. *Hactenus Orlandinus ad Ignatii mentem more suo gravissimè: nec me tædet, aut pœnitet, præclaræ aded disputationi lectorum causâ describendæ horas nonnullas posuisse.*

54. Bollandiani t. 7. Jul. p. 533. n. 652. ex autographa Ignatii ad Borgiam epistola 1546., quæ Romæ asservatur, hæc produnt: Quantum attinet ad præteritam Dominationis vestræ invaletudinem, alia epistola scripsi, me simul intellexisse infirmitatem cum recuperata salute: ex quo nullam dolendi, sed gaudendi potius, ut mihi videbatur, materiem inveni, credens, id non fore sine aliquo fructus spiritualis incremento. Nunc dum video, quod visitatio hujusmodi, ac lucrum cœperit gloriosi S. Ignatii die, lætitiâ multo majorem in Domino nostro mihi affert, atque etiam, dum persuasum habeo in Dominationis vestræ devotione auctum iri nomen adeo beati Sancti, cui ego afficior, aut, ut minus, affici desidero singulari admodum reverentia, & devotione in Domino nostro. *De his literis circa ver, aut æstatem,*



Anno 1546. tem, ut videtur, conscriptis altum apud alios silentium; alias ad eundem memorat Cienfuegos l. 3. c. 5., Michaeli Turriano traditas Romæ Complutum proficiscenti, quibus afflatam divinitus hujus animæ vocationem, & ineundæ Societatis votum declarabat: has in autumnum referas ex Orlandino, qui lib. 6. n. 73. de Michaele, hoc anno, inquit, per autumnum ex Urbe recedens, accepit multa ab Ignatio in mandatis: interque cetera, ut Gandiam ad salutandum Ducem accederet: quo scilicet mutuo de rebus divinis affatu, tantorum virorum pietas confirmaretur magis, & incalesceret.

55. Laudati Bollandiani a p. 547. multa de S. Ignatii voluntariæ paupertatis amore, de quo literas ejusdem indicat Orlandinus l. 6. n. 6.: Rogatus, inquit, a Lusitanis, ut de fructibus Ecclesiæ quibusdam Collegio decernendis in Urbe transigeret, hanc ipse curam ad Lusitani Regis Procuratorem rejiciendam putavit; quod diceret; magis consentaneum suis hominibus esse divina, & æterna, quam humana, & caduca tractare. Quædam verò, quoniam Societatis moribus minus congruere visa sunt, ea ne per externos quidem confici, tractarique passus est: Nam cum ejus perstudiosus Ortizius opimum Sacerdotium ad alenda nostrorum Compluti studia liberaliter obtulisset, modo unus aliquis e professis per Apostolicæ Sedis auctoritatem animarum procuratori præesset, Ignatius in summa rei numariæ caritate id a Pontifice peti vetuit: actisque tantæ pietati gratiis, rescripsit ad Ortizium, non opes quærendas esse professis, sed fide omni præstandam votæ Deo paupertatis inopiam. Idem Orlandinus l. 6. n. 26. aliud aliarum profert argumentum. Porrò Patres Laynez, & Salmeron ad Conc. Tridentinum Majo mense pervenerant: cum autem, inquit, inter illius Concilii Præsules non deessent, qui novas opiniones quanquam rationi illas quidem admodum consentaneas, in medium afferrent: Ignatius suam ea de re sententiam Lainio, sociisque significavit, serio commonefactis, ne novam ullam opinionem firmis licet rationibus nixam, proferrent in medium, quæ vel ad hæreticorum commenta deflectere,  
vel



Anno  
1547.

vel ad eorum, qui nova sectarentur, opinionem videretur accedere: & quamdiu catholica ab Ecclesia pars non definiretur alterutra, a probabilissimis etiam rebus & assensum cohiberent, & linguam. Quæ de ratione agendi in Concilio monita, sanctissima de more, ac prudentissima, suis in discessu filiis dedit Ignatius, fusiùs a P. Garzia recensentur lib. 4. c. 8.

56. P. Ribadeneyra in Lainii vita l. 1. c. 4. edidit epistolam die 5. Febr. 1547. Ignatio missam a Cardinali Sancticrucio, Concilii Tridentini Legato, quam lectores dignam facillè judicabunt, quæ loco suo inter Ignatianas referatur: nempe ut est Latina ex Italico facta a Bolland. t. 7. Jul. p. 514. Sex tantum habemus hoc anno ab Ignatio conscriptas: quarum prima inedita, 14. Martii 1547. Pistoriensi missa Episcopo, cujus autographum extat in Cathedrali Ecclesia Pistoriensi. Ughelli t. 3. Italiæ Sacræ Franciscus Galigarius (Gallianus Pistoriensi Epistolæ nostræ exscriptori) Roberto Cardinali Puccio coadjutor adhibitus est cum futura successione in Cathedra Pistoriensi, an. 1546. die 10. mensis Dec., successitque paulo post demortuo Roberto; decessit autem Robertus 16. Febr. 1547. ætatis octogesimo tertio, vel quarto (nec enim Ughellus sibi constat), sepultusque est Romæ supra Minervam. Quare deceptus videtur Orlandinus, qui de P. Polanco l. 6. n. 12. narrat: Pistorium autem... postulante de Sociorum numero pio Præsule, eodemque Cardinali Roberto Puccio cum venisset, Præsulem ipsum sanctis meditationibus, ut exoptabat, instituit; rogantemque ut de sui muneris cura sibi aliquid ederetur, & scriptis instruxit, & verbis. Itaque jam sua sponte pius Pastor incensus acriores concepit ignes, & præter illorum temporum mores ad prædicandum Dei verbum induxit animum ingenti gregis commodo, secunda populi admurmuratione. Cardinalis forsitan e Societate Patres Romæ postulavit, at Pistorii gesta sub id tempus Successorem attingunt; quem etiam Polanci verbis salutatur Ignatius an. 1548. infra num. 64. Quam idem Orlandinus l. 7. n. 77. ponderosam, plenamque sapientiæ de studio perfectionis epistolam Conimbricensi missam docuit erudiendo Collegio, eadem Ro-



Anno 1747- *mæ an. 1615. edita est cum aliis Epistolis Præpositorum Generalium, Ad Patres, & Fratres Societatis Jesu, qui sunt in Hispania. De Perfectione Religiosa. Romæ. IV. Nonas Martias. Anno Domini 1547.; teste vero Lancicio Opusc. 5. 6. & 8. data est die 3. ejusdem Martii. Bartolius tamen deinceps Hispanicum nactus exemplar, cui potius fideret, eandem italice vulgavit datam septimo Maji 1547.; qui etiam Maji dies septimus notatur in alio vetusto manuscripto Hispanico, ex quo primævum Ignatii textum Hispanis præsentavi, & Latinam versionem quandoque minus accuratam illustrandam curavi: nam Garzia, & Fluvia novam ex Bartolio nostris dedere versionem. In laudato ms. inscribitur: Scholasticis fratribus Conimbricæ.*

57. *Quanquam epistolâ S. Ignatii de Obedientia, quæ passim circumfertur, non facile absolutius in eo genere quicquam, subtiliusve reperias, ut cum Orlandino loquar; volupe tamen est mihi, aliam huic plane germanam S. Patris de eodem argumento epistolam deprompsisse ex Florentino sæpius laudato ms., datam 29. Julii 1547. ad Scholasticos Societatis Jesu Gandiæ. Ex hac paucula delibavit epistola Bartolius lib. 3. n. 26.; quam etiam laudavit Cienfuegos l. 3. c. 3.; nec dubito, quin verè mihi dixerit bonæ memoriæ vir egregius Joachimus Miralles, eandem olim in Gandiensi Collegio coram se ad mensam fuisse perlectam. Quare sperare juvat, ut quæ in nostro sunt exemplari corrupta, mox alio ex perfectiori corrigantur. Bartolius lib. 3. Italiæ c. 10. in lucem misit Ignatii epistolam ad P. Jajum, datam Augusto mense 1547.; qua hic Bononiæ acceptâ, Ferrariam ita properavit, ut decimo die labentis Augusti Herculem Ducem convenerit. Vix dum igitur ineunte Augusto data videtur epistola, si qua hic Bartolio fides: Orlandinus autem leviter corrigendus l. 7. n. 34. ubi ait: Extremo Julio Ferrariam ex Concilio profectus est Jajus, postulatus ab Hercule Duce, (levi correctione: extremo Julii postulatus, omnia consonant) Nam cum Dux ille aliud vitæ meditaretur initium, pii Archidiaconi Mutinensis colloquiis, qui ei fuerat a confessionibus, incitatus (is erat Guido Guidonius) Sacerdotem optabat idoneum, cui regendi, moderandique a-*  
*nimi*



nimi sui potestatem omnem traderet, & cujus tuto consiliis, & sermonibus acquiesceret. Guido, conquirendi hominis negotio suscepto, nostrorum Patrum, qui in Concilio fuerant, fama permotus, Gallum hominem Jajum, quem Tergestinæ Cathedræ recusatio longè, lateque nobilitarat, appositum, & ad Ducis rationes, & ad Uxoris voluntatem (ea enim Gallis ex Regibus ducebat ortum) existimavit. Ergo datis ad Ignatium, Pontificemque literis, Jajum impetrat. Cujus ut obsequiis Jajus ipse, nutibusque pareret, consulendum sibi putavit Ignatium, quemadmodum cum eo se Duce tractaret. *Tum subdit summam Ignatiani responsi, cujus pars ultima in Bartolio desideratur: verum enimvero conjunctis utrinque textibus, videtur mihi quidem literarum integritas restituta.*

Anno  
1547.

58. Tametsi P. Alcazar notatione temporis destitutam edidit S. Ignatii epistolam ad Collegium Soc. Jesu Complutense, ubi tunc præerat Villanova; cum tamen ex ipsa pateat, Paulo III. Perusiæ versante, fuisse conscriptam, quem nimirum in Raynaldo an. 1547. n. cx. die 20. Sept. 1547. Perusiæ subscribentem invenimus, sub hoc haud dubie tempus conjiciendam existimo. Ejusdem argumentum Orlandinus an. 1547. l. 7. n. 1. his verbis illustrat: Cardinalis Franciscus Mendoza, tum quidem Cauriensis, postea Burgensis Episcopus, cum ex animo Ignatium, Sociosque diligeret, de Collegio instituendo Salmanticæ cogitatione suscepta, Michaëli Turriano, quo plurimum olim in Urbe utebatur, quique hoc demum anno Societatem propius iniit, ejus initia Collegii commendavit. Huic epistolæ Pater Alcazar aliam præposuit temporis nota pariter destitutam, qua S. Ignatius Simoni Rodriguez multis suadet rationibus, ut Stradam Borgiæ voluntati concedat: id quod factum jam anno sequenti 1548. sic narrat Orland. l. 8. n. 57.: Vallisoleti vocatus ex Lusitania Strada, Duce postulante Gandiæ, orsus est verbum Dei, quo consueverat, ardore tractare. Postulaverat eum a Joanne Rege Borgia: & rei Salmanticensis gratia, cui peropportuna in tantis turbis sperabatur ejus dicendi facultas, haud gravatè Simon dimi-



Anno 1547. serat: Ceterum cum certiora nobis desint temporum indicia, postremam labentis anni recensemus. Porrò quæ in superiori ad Complutenses epistolâ Cauriensi dicitur Cardinali ad Turrianum promissa, paulò post videtur scripta; quippe quam Nieremberg, Garzia, & Fluvia, constanter anno 1547. affigunt, edito in Turriani commendationem sequenti fragmento, quod ex Hispanico sic verto: Cardinalis D. Franciscus a Mendoza me rogat, ut aliquos e nostris mittam Collegio Salmanticæ fundando, quod ipse annuis redditibus sancire constituit; cui hoc committam non habeo, nisi Reverentiam vestram, quare poterit unum, vel duos Socios ex isto Complutensi Collegio assumere, & cum eis pro Superiore Salmanticam adire. Hæc Ignatius Turriano scripserit sub finem 1547., ut in eunte anno consequenti Salmanticam se conferret. Porrò Michaëlem illuc a verno, vel etiam hiberno tempore pervenisse, vehementer suadent non Auctores modò gravissimi Ribaden., Orland., & Bollandiani, sed motus ipsi Salmantini contra eum in primis a Melchiore Cano excitati, & ab aliis primùm Dominicanis Patribus, tum a Generali M. Francisco Romæo intra eundem an. 1548. compositi.

59. Bollandiani t. 7. Jul. p. 552. n. 749. apud se ajunt extare S. Ignatii epistolam die 15. Martii 1547. signatam, in cujus tergo hæc erant ex italico versa: Patris Ignatii fratri Francisco de Medde responsoria Perusium versùs super unione Sacerdotum Lombardiæ... Ostendit; quod Sacerdotes Sommaschi Lombardiæ in animo habuerint, unire se se cum Societate. Ex hac, inquiunt, epistola declaratur, Ignatium maximè sibi constitisse in nulla Congregatione Societati unienda. Sub idem tempus conscriptæ videntur ab Ignatio ad Salmeronem literæ, de quibus ex Bartolio Bollandiani eodem t. 7. p. 568. n. 824., dedit, inquiunt, ad Salmeronem consolatorias, ex nimia defatigatione Patavii ægrotum, quibus majorem in modum recreatus, ut primum potuit, responsum hoc dedit: Ex R. V. literis perspexi, quo animi sensu ex hac mea ægrotatione affecta sit. Agnosco reipsa paterni pectoris amorem & viscera, quibus altè inscriptos nos gerit; certoque mihi hoc persuadeo, ejus potissimùm impetra-

tu



tu factum, quod neque medici, neque horum pharmaca confecissent. Addat gratiæ huic Deus, in pauperes suos semper beneficus, ut tanto amor non parcè respondeam, quo R. V. nostrum omnium verus pater consolatur nos omnes, & subleuat. *Hanc a Salmerone Venetiis datam 16. Apr. 1547. refert Nolarcius c. 37., postquam Veronæ, ut ait, ægrotaverat: laudat autem Orlandinum l. 7. n. 24. de gratia per Ignatium impetrata, ubi eam non Veronæ, sed Patavii ait impetratam. Nempe Synodo Tridentina die Martii undecima Bononiam translata, illuc Legatorum jussu discessere Lainez, & Salmeron, Jajus autem hæsit Tridenti ad dies aliquot: verum hic postea impetravit, sibi ut liceret suis Præpositis obsequi, Pataviumque una cum Canisio concedere, mox Bononiam, ut in mandatis Ignatius dederat, perrecturus. Patavii autem ægrotantem summo cum periculo Salmeronem invenit; interimque Lainium per literas Sancticrucius, ut Bononiam properaret, urgebat, & quæ se autore cum Salmerone elucubrasset, afferret: Discessit cum Canisio, . . . Verum eo abeunte, præter spem Salmeron e cubili surrexit, Ignatii videlicet votis, precibusque, ut & ejus, & aliorum ferebat opinio: commodum Tridento Jajus accesserat, & simul ambo Bononiam. Hæc totidem sunt Orlandini verba, qui Salmeronem non modo publico Patrum Consessui die 21. Aprilis, sed reliquis etiam tam publicis, quàm privatis, nunquam non interfuisse significat. Ergo ab eo Bononiæ scriptas crediderim, quas nuper Nolarcius agebat datas Venetiis literas 16. Aprilis.*

60. Cum Lainez, manentibus Jajo, & Salmerone Bononiæ, ante diem Junii vigesimum quartum Florentiam discesserit, ac lustratis dein Perusio, Eugubio, Monteque Politiano, Florentiam iterum sub Adventum redierit; satis apparet, verno tantum hujus anni tempore missas ad ipsum ab Ignatio literas illas longissimas de abdicando Generalatu, ex quarum autographo Hispano Bollandiani t. 7. Jul. p. 492. n. 437. fragmentum hoc protulerunt: Acquiescente Societate, aut media ejus parte, ego tibi do meum suffragium, si alicujus valoris fuerit, & offero tibi cum bona admodum voluntate, & multo cum gaudio animæ  
meæ,

Anno  
1547.



*Anno* 1547. *meæ*, officium, quod ego habeo: & non solum te eligo tamquam dignum; sed, si aliud tibi visum fuerit, offero me ad idem illud, ut eligam quemcumque, quem tu nominaveris, aut quem quilibet ex iis nominaverit; credens, quod, quando sic fuerit ordinatum, futurum sit omnino ad majus servitium, laudem, & gloriam Dei Domini nostri, & ad majus solatium spirituale animæ meæ in divina ejus majestate: sicut verum prorsus est, quod, loquendo absolutè, ego desiderem, me demissè gerendo, onus hoc abdicare. Et sic in omnibus & per omnia deponens omne meum parvum judicium, semper habeo, atque habiturum me spero tamquam multo melius illud, quod tu ipse, & Societas, aut illius pars, prout declaratum est, determinaverit. Quod sic determinatum, per hanc mea manu scriptam, approbo, ac confirmo. *In epistolæ involucro habebatur alia manu: Videtur hæc epistola scripta ad P. Lainez, cum esset Bononiæ in Concilio anno 1547.*

61. *In secretario Regii Cæsaraugustani Seminarii S. Caroli, Collegii olim Societatis Jesu, autographæ coluntur duæ S. Ignatii epistolæ, quarum exempla huc transmisit D. Carolus Gaztelu, Archidiaconus major B. Mariæ Cæsaraugustanæ: qui simul nos docuit, primam diei 5. Maji 1547. totam esse S. Ignatii manu conscriptam, in qua hinc duæ, inde lineæ decem fere integræ ita sunt recisæ, ut ex pauculis notis superstitionibus certus aliorum sensus erui non posse videatur. Ast commodum quod exstantibus verbis non obscurè proditur argumentum, quod fusiùs narratum nobis servavit epistola 13. Oct. 1546. Michaeli Turriano conscripta, ex qua necessarium hujus tenebris lumen accenderis. Quæ quidem exstant perspicua sic verto: Jhs. Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio & favore: cum fieri possit, ut idemet hostis humani generis, quemadmodum hîc sevit; sic etiam istic zizania sua seminaverit, de rebus, quæ nos inter & Dominam Roser contigerunt; rem ipsam, ut gesta est, vobis exponam, quam probè nosse gratum vobis fore non dubito, quanquam de judiciali circa res sententiâ... De multis accusationibus factis, & a magno*



gno personarum numero Romæ contra me, ceterosque domesticos vulgatis, rogante Domina Roser in hanc conventum est conditionem, ut res tota in Cardinalem Carpensensem delata hujus arbitrio finiretur. Dominatio sua Reverendissima *juridicè*, ad jusjurandum adactis domesticis nostris, illius fratrum aut sororum filiis... delata causa coram Locumtenente Vicarii Pontificii, e re sua potius fore videretur: latà dein pro nobis a Judice sententia in accusationes, silentioque indicto de re pecuniaria, siquidem permultis efferebat sermonibus quantacumque domi nostræ impenderat... in defensionem veritatis, in omnibus semper maximum Dei Domini nostri obsequium spectando, qui vos omnes infinita sua summaque bonitate tueatur, & urgeat ad majorem suam laudem & gloriam. Romæ 5. Maji 1547. Vester in Domino nostro. Ignatius. *Hactenus intercisa fœdissimè præposterà, ut levissime dicam, alicujus religionis epistola.*

Anno  
1547.

62. N. larcio initio c. 25. acceptum referimus præclarum literarum fragmentum, quas Ignatius 18. Maji 1547. misit Antonio Araozio, qui eum de amitæ seu materteræ morte monuerat: enim vero Tia Hispanicè, ut Græcè Theia seu Thia, & Zia Italicè, alterutram significat; quare qui Horatianis delectetur præceptis de Latino verborum usu, quæ Græco fonte cadunt, non ægrè feret Græcam hîc a me vocem, minimè detortam, usurpari necessitate cogente. Igitur in hanc sententiam respondit Ignatius: Quoniam qui Thia meæ vitam dedit, eandem & abstulit, laudandus idem in omnibus; non enim est minus sanctus, nec minus bonus, aut in nos misericors, nec minori laude ac intima nostra gratitudine dignus, cum nos percutit, quàm dum munera nobis ac dona largitur; cum ægritudinem ac mortem infert; quàm dum sanitatem donat & vitam: cum præsertim & hæc & illa eatenus tantummodo sint amanda, quatenus grata sunt ac placita sapientissimæ illius atque rectissimæ voluntati. Laus igitur esto sanctissimæ Dei voluntati, qui gloriam inde sibi comparare, ac in dies magis magisque honorari a nobis dignetur & rebus universis. *Hoc anno, teste Orlandi. 7. n. 45., Araozio in Aulam jam reverso provincialis cura*



Anno 1547. cura mandata, secundo a Simone Rodericio qui provinciam Lusitanam regebat, in tota Societate Provinciae praeside.

63. *Alia, quae sine ullo temporis indicio in hunc annum ab Orlandino conferuntur, ejusdem rerum ordinem sectatus recenseo. Itaque l. 7. n. 10. de Ignatio ait: Scribebat ad eos, quos ad Collegia inchoanda misset, ut electo inter ipsos Duci, atque Rectori, tanquam sibi obtemperandum putarent. Cujus rei extat exemplum in epistola ad Gandiae scholasticos. P. Silvester Landinius, qui ob suam in aegritudine morositatem ab Ignatio ad patriam in agro Sarzanensi, ambiguus de sua sorte dimissus fuerat, inter assidua propriae alienaeque salutis studia post mensem Augustum optatissimas accipit literas ab Ignatio, Se in Sociorum numero retineri. Quarum ad aspectum provolutus in genua palmas, & mentem pariter in caelum sustulit; Deoque gratias egit, quem plurimis, attentisque sacrificiis, ut placaret, elaborarat: totidemque pro re impetrata curavit: Ita ib. n. 32. Haec alia n. 52. de Francisco Borgia, qui cum de condendo CaesarAugustano Collegio cum Ignatio per literas communicasset, Ignatius purum ad eum obsignatum suo chirographo folium dedit, cui pro sua Dux ipse prudentia, habita rerum, locorumque ratione, quidquid videretur inscriberet. Tum n. 54.: Dux Borgia sub aetatem Catalauniae quoque se Monasteriis Virginum impertiit, curavitque, ut meliores illa mores, qui jam obsoleverant, prima ex antiquitate repeterent: Ignatioque apud Sedem Apostolicam rogatu Principis, a quo binas super ea re literas acceperat, strenue adjuvante, restituti sunt. Huc spectare videntur ejusdem S. Ignatii literae superiori anno Turriano conscriptae. Denique n. 61.: Valentiae Miro informabat ad orationem usitato secessu: ex eoque numero Theologiae Doctor, & Dei verbi praedicator eximius se se ad nostros adjunxerat: sed quoniam teneriore, ac molliore in suos animo videbatur, nec satis tanti beneficii vim, magnitudinemque perpendere, consultus Ignatius non dubitavit in tanta operarum penuria, vel ornatisimum virum de suo coetu dimittere; ne male posito*



sito fundamento, aut quavis postea ventorum procella nutaret, aut miserandas ederet aliquando ruinas.

Anno  
1547.

64. Bartolius in vita Italica S. Francisci Borgiae, edita Bononiae an. 1681., lib. 2. c. 2. prodidit S. Francisci operam & singularem prudentiam apud Philippum Hispaniae Principem in comitiis Regni Aragoniae Monzone in oppido ita placuisse Principi, ut palam ipsi fecerit, se in primum suum Oeconomum pro tempore quo Rex demum foret, eundem elegisse. Quo ille nuntio percussus non alium habuit, cujus uteretur consilio & auxilio praeter sanctum suum parentem & praefectum Ignatium, cui rem totam commisit; ut pro sua prudentia tutissimum illud iniret consilium, quo se ab imminente non levi periculo tueretur. Ignatius itaque Paulum III. Pontificem adiit, eidemque Ducis Gandiense conceptum de ineunda Societate votum exposuit; quin & ipsum rogantem, a se jam fuisse in Societatem admissum. Tum subdidit periculum illud, quod ipsius votis ab Hispaniae Principis consiliis imminebat; quibus fieret, ut Ecclesia tanti viri singulari privaretur exemplo, qui neglecto mundo religiosum cultum indueret, cum vel maxime in Germania Lutherus ecclesiasticum ac regularem statum in execrationem trahebat, votorum ac solennis professionis vincula dirumpebat omnia, religiosis vacuabat coenobia, mundum complebat apostatis. Sed cum Borgia primum deberet liberorum necessitati consulere, Ducisque personam aliquamdiu gerere, quae religiosum habitum non deceret; dispicere porro sua Sanctitas dignaretur, num expediret facultatem ei concedere, qua divino obsequio per solennem professionem in Societate adscriptus externam Ducis formam retineret, bonaque sua tamdiu administraret, quamdiu rebus domesticis recte constituendis opus esset. Quibus auditis mirifice gavisus Pontifex meminuit etiam Breve, quinque ab hinc annis eidem Francisco a se missum (datum die 6. Mart. 1543., teste eodem Bartolio l. 1. c. 8.), quo de Joannis patris sui morte solabatur, adjectis ad ejusdem virtutum exemplum hortamentis: his autem filii gestis mirifice parentem superari. Quidquid verò S. P. Ignatius suggererat, optimum factu judicavit: actutumque Breve Apostolicum mitti jussit, quo libera facultas dabatur Hispaniae



Anno 1547. Magnati (idque loco nominis, quod non vulgari oportebat), ut se Deo, ac Societati Jesu religiosis votis in forma professionis solennis obstringeret; quibus tamen non obstantibus, aliis etiam annis quatuor res suas, non secus ac antea, seculari habitu administraret. Cum Apostolico Brevi suas etiam S. Ignatius literas Francisco misit. Hactenus Bartolius, qui nec Brevis Apostolici, nec S. Ignatii literarum tempus notavit; nec alibi temporis hujus notationem invenio. Porro autem quod dicitur Breve quinque ab hinc annis datum die 6. Mart. 1543., si de quinquennio solido intelligatur, plus quam mense superat Borgianæ professionis tempus a Bartolio constitutum, de quo mox dicendum; ast de incepto etiam quinquennio intellectum, Ribadeneiræ sententiam evertit, alteram confirmat. Ut igitur & a communi loquendi modo, & a congruo rerum gestarum ordine, quoad ejus fieri potest, non recedam, Apostolicum Breve desideratasque S. Ignatii literas sub finem 1547. conjicio; elapsis nempe a die 6. Mart. 1543. annis quatuor ac novem vel fere 10. mensibus, ut non ineptè quinque ab hinc annis dictum videatur; ac satis etiam temporis supersit, ut perlatis ad Borgiam literis solennem Gandiæ professionem emitteret die 1. Febr. 1548. Borgiæ ad Ignatium preces, & impetratam ab hoc ipsi Apostolicæ Sedis facultatem paulo aliter prodiderat Ribadeneira in vita Hispanica lib. 1. c. 17., cujus maximam partem prætermittit Latina Schotti versio apud Boll. t. 5. Oct. p. 246., ubi relatis Ignatii ad Borgiam literis, quas n. 49. recensui, hanc capituli summam subjungit: Hisce lectis litteris, Franciscus gaudio pœne exsiliit, quod ex sua ipse potestate exisset, & Ignatio se, ut cœpit, commisisset. Omnia itaque satagere, ne longius fieret, quò citius se se vinculis expediret. Optabat jam tum vota concipere religiosorum hominum ritu. Quam rem, litteris illius adductus Ignatius, a Pontifice Max. impetravit. Anno itaque salutis M. D. XLVII., votis nuncupatis solemnibus, Sociorum numero adscriptus Gandiæ est. Nempe Kalendis Februarii anno 1547., ut ibidem ajunt Bollandiani: Ribadeneira quadriennium, de quo nuper Bartolius, tam cit. c. 17., quàm iterum c. 20. inculcat; de quo ta-

men



men nihil in Schotto, & Bollandianis: ceterum hi p. 171. Anno  
 n. 85. gestis Monzonensi in conventu anni 1547., & in 1547.  
 Catalauniæ monasteriis, breviter perstrictis, hæc subdunt:  
 Per idem quoque tempus rogari per Ignatium Paulum  
 III. petiit, ut sollemnia Societatis vota profiteri priva-  
 tim sibi liceret, ac interim res publicas privatasque ad-  
 ministrare, donec liberorum familiæque necessitati pros-  
 pexisset. Facta hac sibi a Pontifice potestate, nihil cun-  
 ctandum ratus, non exspectato quidem Araozii cun-  
 ctantis adventu, in sacello Collegii Gandiensi sollemnia  
 Societatis vota emisit Kalendis Februarii, S. Ignatio  
 martyri sacris, anno 1548., paucis tamen consciis, So-  
 ciis nempe Collegii Gandiensi, ut ait Alvarus, Ducis-  
 que Filiis, ne res in vulgus dimanaret. Tantæ festina-  
 tionis porrò causa fuit ut aulæ Philippi Principis præ-  
 fecturam, de qua illi imponenda agebatur, effugeret.  
 Hæc illi: qui si ut Alvarum Cienfuegos, sic etiam Barto-  
 lium, & Ribadeneiram ipsum legissent, longè uberiores  
 & accuratiores de Borgia commentarium concinassent, plu-  
 ribusque illustrassent & correxissent Latinam Schotti ver-  
 sionem, quæ sæpius exigua est potius epitome, quàm plena  
 & accurata versio. Borgia, teste Bartolio, sine illa festi-  
 natione ad solennem professionem se præparavit, jejunia,  
 corporis afflictationes, orationes, eleemosynas, omnia du-  
 plicavit & auxit, generali adjecta totius vitæ exomologesi:  
 quin & Araozium exspectavit, quo sacra peragente reli-  
 giosæ professionis formulam apud ipsum sub sacræ commu-  
 nionis tempus recitavit: quam manu propria conscriptam  
 & subscriptam S. P. Ignatio misit; & etiam nunc, inquit,  
 in hoc tabulario Romano habemus: ex qua illorum hi-  
 storiam corrigantur, qui aliena a vero de die, & anno scri-  
 pserunt... ait enim ad calcem formulæ: Gandiæ hodie,  
 S. Ignatii die, ac primo Februarii 1548. Huic Bartolii  
 testimonio uti planè certo adhæsit Cienfuegos. Præterea, si  
 Bartolio fides, non agebatur de imponenda Borgia Philippi  
 Principis, sed Philippi mox Regis, præfectura; tametsi  
 Philippus volebat quidem, ut idem a se non discederet.  
 Hac de re Orlandinus an. 1547. l. 7. n. 55., Araozium,  
 ait, confirmandi sui gratiâ Barcinonem Monzone fuisse tra-



Anno 1547. ductum. Quoniam autem, *subdit*, id temporis de constituendo Principis *Æconomus* Duce Borgia, qui Societatis ineundæ votum superiore anno conceperat, agebatur, Araozius ea de re Ignatium commonendum putavit, ut quid factu opus esset, secum ipse perpenderet, dispiceretque an privato professionis ritu Ducis esset animus confirmandus, modo ratio aliqua iniri posset, qua vel ad tempus, quoad liberorum necessitati consulere, ei liceret suas administrare, ac dispensare fortunas. Non neglexit quod prudenter suggerebatur, Ignatius: tacitoque nomine hanc illi a Pontifice potestatem & profitendi privatim, & administrandi ad certum tempus res privatas æque, ac publicas impetravit. Non equidem mirum, & Araozium & Borgiam propriis quemque literis eandem apud Ignatium causam egisse. Jam verò Orlandinus an. 1548. l. 8. n. 59.: Is, ait, hoc anno Professionis vota solennia tum meriti amplioris, tum firmiter constantiæ causa, domesticos intra parietes nuncupavit... & per Apostolicam ei Sedem licebat adhuc bona sua, privatamque rem *toto tractare triennio*, & ipsam quoque administrare rempublicam. Cujus professionis gratia Provinciale Araozium evocaverat, & sacro Purificationis Deiparæ die incredibili jucunditate animi, iis se se votis, ac sacris vinclis astrinxit. Ribadeneira & Bartolius Orlandino videntur adversari, dum hic triennium, illi quadriennium significant Borgiæ concessum. Orlandino consonat Polancus epistolâ Romæ data 14. Dec. 1550., qua Borgiam ait solennia nuncupasse Societatis vota, obtenta a Paulo III. facultate bona sua per annos tres retinendi... ipsosque tres annos Majo proximo anni 1551. finiendos. De hoc triennio, vel quadriennio altum apud Bollandianos silentium: qui tamen probant t. 5. Oct. p. 177., S. Franciscum abdicato jam principatu in Carolum filium, & induto Societatis cultu, Sacerdotio fuisse initiatum die 24. Maji 1551.; prævia nimirum Caroli V. facultate, data Augustæ Vindelicorum die 12. Februarii 1551. Ribadeneiræ & Bartolio, perperam Idib. Feb. apud Schottum & Bollandianos. De die 1. Febr. 1548. Bartolii assertum contra Ribadeneiram & Orlandinum distributè,



confirmant Bollandiani t. 7. Jul. p. 525. 533. & 707.,  
 producto P. Ignatii Pini Romæ degentis testimonio in hæc  
 verba: Ipsius (Borgia) professio religiosa, cujus exem-  
 plar ante me habeo inter apographa nostra Roma-  
 na, signatur Gandiæ hoc die S. Ignatii primo Februarii  
 MDXLVIII.; consentiente chronico manu P. Hieronymi  
 Natalis conscripto, his verbis: MDXLVIII. Professio  
 P. Francisci (Borgia) primâ Februarii. Postremo autem  
 loco sic disserunt: Apographum professionis ex archivio no-  
 stro Romano P. Ignatius Pinius huc misit, quæ exscripta,  
 inquit, manu P. Polanci: ipsa autem professio authentica  
 est exarata cifris; & sic missa S. Ignatio soli: nempe ne  
 posset innotescere aliis; cum S. Franciscus Borgia necdum  
 mutasset vestes, nec negotia familiæ expedisset. Professio-  
 nem itaque emisit die S. Ignatii martyris prima Febr.  
 anno 1548., secundum apographum Romanum: sed a  
 Ribadeneira in nostri S. Patris vita Matritensi anni 1594.  
 lib. 3. c. 11.; necnon in vita S. Francisci Borgia, ibi-  
 dem loci, eodem anno atque auctore edita lib. 1. cap.  
 17. signatur annus 1547. Qua clausula viri gravissimi non  
 obscure significant, duplici Ribadeneiræ testimonio pro an-  
 no 1547. vocari saltem in dubium annum 1548. professio-  
 nis Borgianæ. In promptu habeo vitam S. Ignatii Matri-  
 tensem a P. Ribadeneira editam an. 1605., simul de more  
 compactam cum vita S. Francisci Borgia ibidem ab eodem  
 edita an. 1594.; nec ullam S. Ignatii vitam edidit Riba-  
 deneira Matriti an. 1594. simul cum vita Borgiana: error  
 facile condonandus. Porrò in utraque solus indicatur an-  
 nus 1547., non autem mensis, nec dies professionis Bor-  
 giæ, qui ex aliis fontibus hauriuntur. Præterea in vita  
 Borgiana Dux, inquit, professionem emisit anno 1547.,  
 ut scripsi in vita Patris Ignatii lib. 3. c. 11.: quare se-  
 cundum hoc testimonium nullam addit primo firmitatem;  
 nec apparet, ipsum vidisse aut cognitam habuisse profes-  
 sionem illam autographam, quam alii deinceps conspexe-  
 runt. Quin & sine illa, ex adductis Patrum Polanci, &  
 Hieronymi Natalis testimoniis videretur a Ribadeneiræ sen-  
 tentia recedendum. Denique de quadriennio, vel triennio,  
 dicam breviter quæ sentio. Cum superius satis, ni fallor,  
 sit

Anno  
1547.



Anno 1547. sit declaratum, Pontificiam facultatem Borgiæ fuisse concessam in finem vergente anno 1547. ; hinc alii ad annum 1551., cujus mense Majo finis concessi temporis implebatur teste Polanco, cui ut Societatis scribæ concessa facultas ad manum esse debuit, vulgari calculo quadriennium computarint ; alii verò accuratiùs a professionis anno 1548. ad 1551., triennium : ceterum laudata Polanci epistola vix dubitare sinit, quin Pontificia facultas sit concessa in annos tres, ac tres præterea vel quatuor menses ; quòt planè interjectos a die 1. Febr. 1548. ad mensem Majum 1551. Polancus non ignorabat. Atque hæc Ignatianis literis, quæ Borgianæ professionis tempus quoquo modo spectant, illustrandis in unum collecta, quo mihi fuerunt graviora, eo fore posteris utiliora crediderim. Jam verò literis, quas cum Brevi Pontificio misit Ignatius Borgiæ, non videri sibi ajebat ex usu & officio esse, ut palàm religiosum nostrum ageret ; nisi tunc demum, cum ipsi nihil jam negotiorum intercederet cum mundo, nec mundo secum circa res etiam domesticas. Quo enim decore, quo exemplo, quove ad virtutem incitamento, videas Societatis Jesu religiosum tractandis matrimoniis ac liberorum nuptiis occupatum ? Fortunis utentem, contrectantem nummos, res privatas ac publicas administrantem, cœptaque negotia conficientem ? Valde nimirum intuentium oculos offenderet religiosus cultu, & actu Princeps ; duabus scilicet personis adeo diversis in unam conjunctis, seu potiùs unà duobus vitæ institutis secum pugnantibus intentà. Ita fere Bartolius lib. 2. c. 1.

1548. 65. Constat quidem, annis etiam 1548. & 1549. per multas literas quaquaversus a S. Ignatio fuisse missas ; nihilominus non nisi binæ cujusque anni hactenus ad me integræ pervenere, duæ nimirum ineditæ anni 1548., ac totidem jam editæ 1549. Prima inedita die 28. Jan. 1548. missa fuit ad Pistoriensem Episcopum, de quo supra n. 56. ; ejus autographum religiosè Pistorii colitur apud nobilissimum virum Coriolanum Montegnanium. Altera 24. die consequentis Martii data ad Petrum Contarinium, postrema, est illarum quatuor, de quibus anno 1527. num. 7. Orlandinus hoc anno 1548. l. 8. n. 125. : Porro, inquit, ad incitandam Sociorum virtutem, acuendamque in animis  
tuen-



tuendis industriam, Nicolao Lancillotto, & Paulo Camerti, Antonio Criminali, & Alfonso Cypriano primis omnium apud Indos ex B. Ignatii literis in Societatis corpus adscriptis Coadjutorum Spiritualium delatus est gradus. Extant etiam num Lancillotti literæ ad B. Ignatium, quibus ei maximas pro collato munere gratias agit. Extant & Criminalis Latinæ simplici stylo, in quibus tamen magnæ virtutis multa interlucent lumina, . . . sed ipsammet epistolam, ut S. Martyris reliquias infra vulgabimus: *nempe lib. 9. n. 116., ex quo superioribus Ignatianis illam subnectemus. De Criminali S. Xaverius ep. 2. lib. 3. Ignatio sic agebat: Antonius Criminalis in Comorino Promontorio cum sex aliis e Societate versatur. Enimvero is, mihi crede, vir sanctus est, & ad has terras excolendas natus, . . . Aliam addo S. Xaverii ad Ignatium datam 20. Jan. 1548. ex lib. 2. ep. 19. edit. Bonon.*

Anno  
1548.

66. *Apud Bolland. t. 7. Jul. p. 544. 545.: De obedientia, puncta Patris Ignatii super profectioe in Siciliam 1548. Romæ. Ex Italico: Hæc sunt Capita rerum, quas noster Pater in Jesu Christo M. Ignatius proposuit domesticis omnibus die 27 Februarii 1548., concedendo unicuique terminum trium, quatuorve, aut quinque dierum, ut se colligeret, & Deo se commenderet, iisque consideratis, se determinaret ac scriberet, quomodo se in eisdem dispositum inveniat: cum iudicet dictus Pater noster in Jesu Christo, quod non sit aptus ad hujus Societatis institutum, si quis se non accommodaverit in omnibus rebus sequentibus, prout vera obedientia requirit: Ceterum, ait Bollandianus, ne puncta illa cuiquam mira aut exotica videantur, observandum est; quod, tametsi vir sanctus exigeret tantam in illis obedientiam, ipse tamen prudentia præditus singulari, in imperando haberet maximam rationem talentorum uniuscujusque. Tum subdit ex P. Ludovico Gonzalez: Pater noster quadam vice dixit: Ego valde desidero in omnibus generalem quamdam indifferentiam &c. Et sic, præsupposita obedientia & abnegatione ex parte subditi, expertus sum bonum admodum successum, sequendo propensiones.*



Anno  
1548.

67. *Jam vero res a S. Ignatio propositas ex Italico ita refert*: Prima. An se inveniat indifferentem, ut eat in Siciliam, dum id mandatum est, aut ut non eat; illam partem magis approbans, quæ a Superiore sibi fuerit imposita, cujus gubernationi se se subjecit loco Jesu Christi. Secunda. Casu quo eundem sit, an se inveniat indifferentem ad acceptandum quodlibet munus, quod sibi fuerit impositum; quale esset, si literatus eat, ut serviat in rebus ac ministeriis corporalibus: illiteratus autem, ut doceat Theologiam, aut Græca, aut facultatem aliam, quam non intelligat; & an hac in re sibi videatur expedire, quod per obedientiam sibi foret impositum. Item missus ad docendum, an sit dispositus ad acceptandam quamlibet e lectionibus quatuor, id est, Theologiæ scholasticæ aut positivæ, philosophiæ, aut litterarum humaniorum. Tertia. Missus, ut sit scholasticus, an sit dispositus, ut acquiescat studio quolibet facultatis sibi indicatæ; cujusmodi sunt grammatica, aut philosophia, aut theologia; & quolibet lectore, sibi designato. Itidem iturus ut ministret, an se promptum inventurus sit ad culinam, & quodlibet aliud ministerium. Quarta. An sit dispositus curare præterea, ut quidquid sibi ostensum fuerit, illud reputet magis conducere; submitiendo sanctæ obedientiæ jugo non executionem dumtaxat, sed etiam judicium proprium, ac voluntatem; illud sibi convenientius reputando, illo acquiescendo, seque consolando, quod Superior ejus judicabit magis expedire ad particulare, & universale bonum; demonstrandoque, sibi esse fiduciam, fore, ut divina providentia ipsum regat, ac gubernet per suum Superiorem.

68. *Quæ Bollandianus addit de Jacobi Lhostii obedientia, qui an. 1546. primus e Societate Sacerdos Siciliam intraverat, eadem elegantius prodiderat Orland. l. 8. n. 27. his verbis*: Huic B. Ignatius in Siciliam abeunti dedit (uti erat solitus) in mandatis, ut octavo quoque die ad se perscriberet: quod ille executurus, quamvis sæpe non esset, cui daret literas, & decantare sæpe eadem cogeretur, nullam tamen elabi patiebatur hebdomadam,



Anno  
1548.

dam, quin aliquid exararet: malebatque tabellariorum penuria plenos diu reservare fasciculos, dum dandi se facultas offerret, quam nimis prudens in parendo videri. Acciditque nonnunquam, ut cum quid scriberet nihil esset, hoc ipsum tamen scribere non puderet, nihil illa hebdomada ab se gestum. Cujus modestia pariter, minimeque ficta obedientia mire captus Ignatius affirmavit confessionem illam longe sibi gratiorem fuisse, quam si multa, ac præclara gessisset.

69. Paulo post tempus emissæ professionis, de quo superius n. 64., datæ videntur a S. Ignatio literæ, ab Orlandino lib. 8. n. 71. in hunc modum expressæ: Prudens Pater Ignatius nimios reformidans ardores, utendum suo jure censuit, & moderari cœpit in filio, quod dissimularat in Duce. Duci quippe nullos unquam frænos ardoris iniecit, ut quo acriora essent inchoata studia virtutis, eò radices ageret altiores summæ constantiæ. Nihil enim tam firmat animum ad constantiam, quam perennis exercitatio virtutis: qua paululum intermissa, sæpe labat, mutatque sententiam, & quasi sua destitutus esca languescit. At ubi magna, longaque opera usum, & facultatem peperit, firmavitque, & suam Dux fidem professionis vinculis obligavit, in tutoque quodammodo posuit suæ constantiæ bonum, tum demum B. Pater adhibere modum tantis contentionibus cœpit, & suis quasi finibus coërcere exundantes ardores. Principio igitur gratias agere Deo jussum de iis, quæ ad eum diem, eo opitulante, gessisset, hortatur illum, ut quoniam alia ætas, statusque conditio alios mores, aliam vitam postularet, ex nimio precationis otio partem aliquam in literarum studia derivaret, & ad infusam divinitus disciplinam adjungeret eam, quæ studio comparatur humano. Majoris quippe, agebat, esse virtutis, munerisque divini variis in locis, officiisque frui caris amplexibus Dei, & ejus gloriæ honorique servire, quam idipsum quærere aut unius intra loci cancellos, aut in unius muneris, precationisve functione. Deinde quoniam frequenti ex inedia stomachus crebrò languebat, nec legi mentis suæ repu-



Anno  
1548.

gnabat admodum lex membrorum, temperatis jussit uti jejuniis, & consentaneo victu firmare vires: ut cum æque corpus, atque animam accepisset a Deo, paratus esset utriusque rationem ei reddere, qui dedisset: nec sineret corporis obtundi robur, & deperdi vigorem; quo semel amisso, minus esset deinceps ad sua munera, & functiones idoneum. Quod autem ad quotidianam verberationem attinet, quoniam propositum erat in honorem quondam passi, & dilaniati verberibus Christi, non prius verberandi sui finem facere, quam vim aliquam cruoris effunderet, vetuit in posterum Pater sanguinem mittere, & hujus loco lacrymas jussit fundere, quas aut suarum, alienarumve commemoratio noxarum, aut cælestis aliqua contemplatio, suavissimusque Christi amor exprimeret. Has enim piæ mentis actiones omni ex parte frugiferas esse, corporisque exercitationi, ex Apostoli sententia, multis partibus antecere. Ipsam vero corporis exercitationem eatenus in laude poni, quoad rectori animo in comparandis sibi suis de cælo donis ancilletur, & serviat. His finibus, atque cancellis asperiori Borgiæ vitæ præscriptis, nihil erat amplius, quod in eo vel detereret, vel desideraret Ignatius.

70. *Idem Orlandinus l. 8. a n. 63. ante quidem laudat, sed posterius scriptas non obscure significat alias Ignatii epistolas, cum absoluto Gandiensi Collegio, pridie, inquit, ejus diei, quo gloriosus Christi in cælum celebratur ascensus, novas in ædes migratum est... voluit autem disciplinis Dux Borgia filium suum Alvarum inter nostros operam dare: sed aliò Alvarus convertit animum. Cumque idem Compluti duobus liberis suis Ferdinandus Vega percuperet, quanquam eum deinceps aditum ceteris aperiri non est passus Ignatius; tali tamen viro de Societate tam merito, ut etiam ipsi Duci non negandum putavit. In tam felici rerum cursu illud erat incommodi, quod & qui Collegium administrabat Oviedus, & qui publicè docebat Franciscus Onofrius in spatio, stadioque pietatis nimia uterque contentione curabat; prorsus ut Ignatio frænis viderentur egere...*

Am-



Anno  
1548.

Ambo ad Ignatium scripsere, veniam ut se saltem ad septennium ab usu hominum removendi concederet, rationibus multis orantes... Sensit continuo vir experiens Ignatius, & in spiritibus internoscendis cœlesti quadam prudentia præditus periculum fraudis: nec dubitavit patrum vota, ac postulata damnare: quæ non modo a susceptis vitæ rationibus abhorrent, verum etiam vehementer cum studiorum præclarè cœptis, tum animarum lucris officerent. Quomodo enim vir in primis sapiens eorum probaret consilium, quos ex acceptis Dei donis, muneribusque naturæ primaque vocatione, & successu rerum satis intelligeret ad homines tuendos, ac conservandos natos? eosque dona illa non pro se accepisse duntaxat, verum etiam pro aliorum communi salute, ad idque vocatos? Nec vero in hoc vitæ genere vias, rationesque deesse adipiscendæ evangelicæ perfectionis. Fallebat nimirum homines, nondum solitariam vitam expertos, vitandi leves culpas cupiditas, tanquam eas omnes vitare possemus, vel non plurimæ etiam solis irreperent: vel metu levium culparum magna essent facta prætermittenda. Nam etsi omnia debent posthaberi culpæ vel levissimæ, quæ quidem prudenter, deditaque opera contrahatur, non tamen majora officia, in quibus periculum sit levium culparum, continuo sunt postferenda minoribus, quia tutiora hæc sunt. Adest enim majoribus ex obedientia, & caritate conatibus auxilium a cœlo uberius, & caritas operit multitudinem peccatorum. Ad extremum nihil magis formidandum est, quam ne privati otii studio animarum causæ, ad quas Deus vocet, prætereantur. Sed sunt nonnulli, ut B. Pontifex Gregorius\* admonet, qui magnis ditati muneribus, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum prædicatione refugiunt: secretum quietis diligunt: secessum speculationis petunt: de quo, si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum, prodesse potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris u-

\* Pa-  
storal.  
c. 5.



Anno  
1548.

nigenitus, ut multis prolesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? Hoc igitur, quod Gregorius admonet, animadvertens Ignatius, ut medicinam cominus Oviedo faceret, accersendum eum Romam putavit. Sed quoniam Duci aliter visum, qui discessum patris supervacaneum esse jam scripserat, supersedit. Testabatur autem Ignatio Dux ipse, secum Oviedum ea de re contulisse, & suam sibi aperuisse sententiam; se autem respondisse, quanquam ad actionem revocanda mens illa non videbatur, esse tamen, quod Deo gratias ageret, cujus liberalitate medios inter homines præmia solitudinis obtineret: & cum actuosæ vitæ fructibus ac præmiis, Monachorum posset merita sine monasticæ vitæ laboribus adipisci: addebatque toto eo temporis intervallo, quo expectabatur ab urbe responsum, in magna illum tranquillitate animi, & æquitate fuisse: nec tum fuisse minore, cum accepto responso, quod petebatur, negatum est. Bonarum quippe, & humilium est mentium non pertinacem in sua esse sententia, sed facilem se præbere, & se se flectere adversus Præpositorum sententias, atque judicia. Quo circa recte in iis literis Dux sentiebat, quidquid in Oviedo ex eo solivagæ vitæ consilio speraverat Satanæ, id ipsum funditus amisisse, seu obedientiæ sacrificio, seu merito solitudinis: idemque scripserat de Onofrio. Et sane hic, si quisquam, locus Oviedi obedientiam illustravit. Rescripsit enim ad Ignatium ingentem se ex responsione ejus percepisse lætitiâ: certoque credere profectam a Deo: ac proinde sibi plane esse persuasum nihil rerum omnium conducibilius sibi, nihil aptius inveniri, quam quod B. Patris præscribebat epistola. Igitur tranquillum se animum, ac lætum habere: & in obtemperandi proposito ita fixum, ut si forte pro suis peccatis in aliquod ruere crimen permetteretur, speraret tamen de bonitate divina facturam eam improbitati suæ modum in eo, ne quando amabilem obedientiæ nexum rumperet. *Multa ibidem graviter Orlandinus de ipso argumento, quæ nostro videntur non necessaria, alienum tamen non arbitror admonere, apud Bartolium l. 3. n. 20. Oviedum,*



ac Onofrium severè ab Ignatio fuisse objurgatos, adjectis minis scissionis, quæ nimirum Schismatis auctoribus deberetur; qua etiam de re prudentissimas S. Francisco Borgia misit literas, ut eos revocare in viam studeret; sed ubi deteris oculis viderunt Deo minimè placere, quæ Dei vice agentibus displicerent, ultro ipsi in viam nullo ejus labore rediere.

Anno  
1548.

71. De Salmantinis turbinibus anno 1548. cum in Michaelem Turrianum, tum in Societatem potius universam concitatis obiter supra dictum n. 58.; de quibus Orlandinus l. 8. n. 52. in hæc verba: Quoniam autem Canus, ut diximus, quò sua probabilius de Antichristi præcursoribus somnia venditaret, plusque Societati fidei derogaret, auctoris existimationem, ac famam exprobrandis ejus vinculis, & judiciis sæpe dilaceraverat, misit Ignatius exemplar editi testimonii a Bernardino Conversino urbis Romæ Præfecto de suis, suorumque moribus, deque iniquis malevolorum criminationibus, & calumniis; quò luculentissime, & perpetua ejus declarabatur integritas, & calumniatorum notabatur iniquitas: ad hoc autem testimonium literas privatas adjunxit, in quibus amplam faciebat Michaeli Turriano, Francisco Stradæ, & Joanni Alvario potestatem, quodvis suo nomine adeundi tribunal, & in judiciis publicis, si quando reddenda esset instituti nostri ratio, aut privilegia exhibenda Pontificum, se sistendi. Verum hæc tum Salmanticam sunt perlata, cum jam mendaciis nixæ calumniæ sua sponte prope conciderant, nec desiderata sunt amplius ab Urbe tot diligentiae præsidia. Mox narrare pergit eadem, qua Salmanticæ divina providentia sub idem tempus fuisse Compluti similes turbas compositas. Tum subdit n. 58.: Barcinone versabatur etiam tum Araozius Provincialis, ... Causa moræ Principis pietas fuit, quæ reformandis Catalauniæ Monasteriis, accepto per Ignatium ab Apostolica Sede diplomate, præposuerat Araozium.

72. Enim vero hasce res omnes cogitanti mihi nullum aptius occurrebat tempus, cui adscriberem præclarum obedientiæ specimen Araozii, quod anno prætermisso producit  
Bol-



Anno 1548. *Bollandiani t. 7. Jul. p. 543. ex Bartolio l. 3. n. 26.:* Deliberata perfectæ obedientiæ ab suis exactio sic illos privatim rei cujuscumque affectu nudaverat, ut inceptis etiam ad Dei gloriam tentos ingentibus, si ad se revocaret, mox iis absisterent; & jussi munus aut sedem mutare, falcem continuo a messe animarum, quamvis uberrima, ejus ad vocem perinde amoverent, ut si Dei vocem, non hominis, audissent. In his Antonius Araozius Barcinone fructu incomparabili laborans, vix ab Ignatio per litteras monitus, inde quantocyus interiora Hispaniæ peteret, illico paruit, nihilque aut sibi meriti, aut illi populo utilitatum maximarum, aut summæ gloriæ ipsi Deo, suo illo discessu periturum causatus, in hæc verba respondit. Quod mandas, aliò commeem Septembri ineunte, *paratus sum & non sum turbatus*. Cum bono Deo, æterno meo & optimo Domino, non modo integrè, sed valde alacriter obsequar, securus planè ac certus, tuam & Christi ipsius redemptoris mei unam esse vocem, quam oves ejus audiunt. Tametsi quoscumque is nuntius pervasit, plurimùm conquerantur, tantum hinc bonorum, quæ fieri cœperant, auferri. Et fiebant sanè: tantum enim quod agam, suggerunt, ut si me velim omnibus commodare, compellar mihi ipsi deesse. Quare partes mihi noctium decerpo, quibus, quod interdium non potui, meo animo impendam. Confessionibus audiendis, & quidem haud raro de omni vita; tradendis Exercitiis Spiritûs, conciliandis inter primarios discordiis gravibus, ita absorbeor interdum, vix ut etiam liceat rem sacram facere. Quod ideo refero, ut te animæ meæ commiseratio capiat.

73. *Eodem t. 7. Jul. p. 704. de literis die 8. Sept. 1548. datis ad P. Didacum Laynez Venetias:* In Archivio nostro Romano est epistola S. Ignatii tota autographa ad Lainium Venetiis commorantem Hispanice scripta; e cujus apographo hæc verto: Ego hoc die Dominæ nostræ natali celebravi, Missam applicans Magnifico Domino Joanni, ut recenter nasceretur in spiritu, Divina majestate justum ac rectum ei dante judicium, in eo, quod prætere videtur: illud quippe non obtinens,  
si-



sicut ego sine dubitatione mihi persuadeo, & in cœlo & in terra non parum perdet. Id quod cum mihi dolet in quolibet, prout debet, proximo, tum multo magis, quia est frater Domini nostri Prioris &c. Nempe, ut multis narrat Orlandinus, Andreas Lipomanus Prior S. Trinitatis, Collegio Societatis Patavii a se constructo Prioratum B. Magdalenæ donaverat. Adversabatur autem Societatis causæ, & egregiæ pietati Prioris ejus germanus frater, Eques ille quidem honestissimus, sed qui adjecto ad Prioratum oculo, quem jam diu spe devoraverat, & designaverat filio, totis pugnabat viribus, ne eo alieni potirentur. Quocirca Lainius, cum transigendi negotii nullum exitum reperiret, Ignatium per literas monet, quo res sit loci, & ad placandum cœleste numen semel sacris operetur, hortatur: fecit, quod rogabatur Ignatius, & Lainium postea de sacrificio Natali die Beatæ semper Virginis rite facto certiorem facit, & bono animo esse jubet, spe injecta minime dubia felicitis eventus. Nec sane alium, ac prædixerat, exitum habuit. Octavis ejusdem Virginis feriis habito Rogatorum concilio, cunctorum fere suffragiis adjudicatur Societati possessio... Nec minus & ad placandos adversarios, & ad confirmandam in bonorum animis Societatis opinionem prudens Ignatii liberalitas valuit, cum annuam aureorum quadringentorum ex accepto Prioratu pensionem sponte sua Nepoti Prioris obtulit. Quamquam Priori quidem longe fuit Patris animus gravior, quam liberalitas: maluitque vir pius Deo intactum, & illibatum esse quod dederat, quam id cum carne, & sanguine dispertire.

74. *Alterius Ignatianæ epistolæ argumentum exhibet Orland. l. 8. n. 39. his verbis: Quoniam Carthusiæ Coloniensis Prior Gerardus aliquot piacularia postularat grana, Ignatius ei septem numero misit, admonens se ab aliis, quibus unum ex iis traderet, solitum exigere, ut, si totius vitæ generalem Confessionem nunquam instituissent, primo quoque tempore instituerent: ac deinceps Eucharistiam, & Exomologesim singulis ut minimum mensibus instaurarent. Quas condiciones B. Pater ad-*

Anno  
1548.Lib.8.  
n. 20.



Anno 1548. adlebat pro singulari sua Ecclesiasticarum rerum veneratione: & quia semper illuc habebat intentam prudentissimæ suæ mentis industriam, quemadmodum animas ad divinæ gratiæ statum ipsa adjuvante gratia revocaret. Addidit grati animi ergo Coloniensi Priori, ejusque Monasterio, Societatis meritorum plenam communicationem. *Huic anno 1548. Bartolius in Borgiana vita l. 2. c. 3. videtur adscribere S. Ignatii epistolam ad Carolum S. Francisci filium natu maximum, ac postea Ducem; in cujus laudem, inquit, ac singularis virtutis commendationem habeo Patris S. Ignatii epistolam, qua ipsum hortatur ut suam etiam conjugem Ducem sibi similem reddat. Uterque enimvero peractis spiritualibus exercitiis P. Barma moderatore, cui apud Bolland. t. 5. Oct. perperam agnomen Parma tribuitur, vitæ suæ rationem ad æternæ vitæ regulas conformatam instituit.*

1549. 75. Anno 1549. Societas Jesu Domos seu Collegia 22. numerabat; & tamen nullam habemus integram epistolam, hoc anno ab Ignatio filiis suis conscriptam. Quam autem habemus ad Lusitaniæ Regem datam 19. Januarii 1549., vulgavit P. Alcazar sine inscriptione, quacum accepimus exemplum autographi, quod in Valentina Metropolitana Ecclesia religiosè colitur. Ex hoc duxi haud dubiè corrigendum Monte-Simò, quod sub initium dedit Alcazar, cum sit in autographo M.<sup>te</sup> Simò, seu Maestre Simon; quo nomine Magister Simon Rodriguez & ab Ignatio & ab aliis appellabatur. Altera 24. Januarii 1549. ad M. Joannem de Avila Hispanicis, Latinis, ac Italicis typis circumfertur: nos eam recudimus ex Lancicio opusc. 9. n. 260.; in cujus argumentum hæc Orlandinus l. 9. n. 59.: Florebat per id tempus in Bœtica sanctitatis, & eloquentiæ Apostolicæ nomine, totaque celebrabatur Hispania Joannes Avila experientissimus virtutis Magister, idemque Scriptor egregius: cujus quantum voci ejus provinciæ ætatisque populi, tantum stylo posteræ totius pene Christiani Orbis debent ætates. Hunc Ignatius pro ea caritate, quæ Sanctorum inter se animos nectit, edocendum putavit de Salmanticensibus turbis; quidque ipse pro majore Dei gloria providendum contra censu-  
suis-



Anno  
1549.

suisset, allatis undique ex Sanctis Patribus, atque Doctoribus testimoniis ostendens, prorsus fuisse curandum, ut fama hujus Ordinis, quæ necessaria est causas animarum tractantibus, quantum fieri posset, integra servaretur. Quibus literis Avila peramanter, & officiose rescripsit, Dei donum, & munus prædicans, quod sibi ab ipso jam inde Societatis exortu intelligere, ac sentire datum esset, id manifestum Divinæ Sapientiæ opus esse, magnamque ejus, cum in eos, qui Societati se adjicerent, tum in ceteros, qui per eam in virtute erant profecturi, misericordiam, atque clementiam. Probavitque consilium B. Patris, ut ab Sede Apostolica præsidium adversus eos, qui divino operi se opponerent, peteretur, quo eorum frænarentur ora, qui sermonibus suis, sive recta ex mente profectis, sive perversa, in suspicionem illud vocarent: Verumtamen nunquam post conditum orbem, non fuisse virtutem quæ exerceretur, ac vitium quod exerceret. Nec tam cœlesti Domino placere famulos suos rebus præclare gerendis, quam adversis alacriter, & cum fiducia perferendis. Atque alioqui verus a simulato servus, quo internosceretur, inquit, nisi præsto sit, quasi lapis Lydius, insectatio? Aquila pullos suos objectu Solis explorat, metalla Argentarii coticula, Christus famulos suos receptibiles camino humiliationis. Denique qua via caput præcessit, hac subsequendum est membris. Quæ ideo libenter commemoro, quia reipsa in hac sancta Societate fieri confido. Hæc & id genus multa ad Ignatium Avila. *Hisce Ignatianis ratione temporis præpono Xaverianam, ex duabus quas eodem die 14. Jan. 1549. ad Ignatium scripsit, longiorem; quæ prima est lib. 3. edit. Bonon.*

76. *Idem Orland. lib. 9. n. 74. alias Ignatii literas his indicat: Barcinone, qui Provinciæ præerat Arauzius, ad dicendi labores, ceteramque sui muneris sollicitudinem adjunxit etiam curam corrigendæ muliebris disciplinæ in earum claustris, atque cœnobiis. Quarum quæ a Beata Clara nomen habent, cum suas ad pietatem progressionem ex præceptis, doctrinaque nostrorum*



*Anno* animadverterant, summo studio ab Ignatio postularunt,  
*1549.* ut ipsarum Societas obedientiam admitteret: eaque de  
 re scribi etiam ab Araozio voluerunt: qui quanquam  
 alieno ab ea re animo erat, tamen ne regiam foeminae  
 commendationem, quod innuerant, interponerent, mo-  
 rem iis gerendum censuit. At Ignatius non modo foem-  
 inarum postulationi non obsequendum, sed Araozium  
 insuper accusandum putavit, qui ad id negotii, quod  
 ab hujus disciplinae rationibus plurimum abhorreret,  
 quoquomodo propendere animo visus esset. Mox sub-  
 dit, *Araozium Gandiae ipsis Martii Kalendis adfuisse: qua-*  
*re Ignatii literas longe priores significat. Bollandiani t. 7.*  
*Jul. p. 488. n. 421. ex epistola Hispanicè scripta die 5.*  
*Apr. 1549. ad Monachas Ulviam & Bajadellam hoc edunt*  
*fragmentum: Auctoritas Vicarii Christi clausit portam,*  
 ne admittatur ullum regimen, aut superintendentia re-  
 ligiosarum, supplicante id Societate in principio, quia  
 judicabat, quod esset ad majus Dei Domini nostri ob-  
 sequium.

77. *De eodem argumento quæsitus Ignatius a Messa-*  
*nensibus, seu Mamertinis Siculis rem prudenti lenivit tem-*  
*peramento, ac declaravit, apud Orlandinum l. 9. n. 15.,*  
*& Aguileram Hist. Prov. Sic. t. 1. p. 29.; nam teste Or-*  
*landino, cum a religiosis foeminis Messanensibus rogaretur*  
 Societas, ut eas ad pietatem informaret, consultus Igna-  
 tius respondit; non abhorreere ab institutis nostris, si  
 earum semel confessiones exciperentur: utilius tamen  
 fore, si spiritualibus primæ hebdomadæ exercitiis ad re-  
 ctam peccatorum confessionem erudirentur. *Et teste*  
*Aguilera, Patri Natali de excipiendis sacrarum Mamer-*  
*tinarum Virginum confessionibus consulenti rescripsit I-*  
*gnatius: non videri alienum ab institutis nostris, earum*  
 semel confessiones audire; sed utilius fore si spirituali-  
 bus primæ hebdomadis exercitiis ad rectam culparum  
 expiationem informarentur. *Conferantur hæc cum sequen-*  
*tis anni 1550. die 22. Febr. datis ab Ignatio literis ad*  
*Abbatissam Messanensem, quarum autenticum exemplar*  
*singularis amicus D. Ignatius Guerra mihi comparavit:*  
*his enim docemur, eodem die 22. Febr. Ignatium Hierony-*  
 me



mo Natali de postulatis Monialium perscripsisse; nec obscure significatur, nullas hactenus misisse ad ipsas ea de re. Quare gravissimos illos Scriptores ignoratione temporum laborasse, annumque antevernisse, suspicio est.

Anno  
1549.

78. Laudatus Aguilera plures hoc anno memorat S. Ignatii literas; nam primum t. 1. p. 28.: Ignatius, inquit, de forma jejuniorum consultus rescripsit: placuisse sibi, ne Collegium Mamertinum ab institutis universæ Societatis recederet.... sed adjecit: ab institutis Societatis non esse alienum, ne videremur Mamertinorum voces omnino contemnere, diebus Veneris, ac Saturni ab ovis, & caseo temperare. Deinde p. 30.: Ignatius Natali scripsit, ut si quos Siculos, Societatis adeundæ cupidos deprehenderet juvenes, & nostræ disciplinæ institutis opportunos, eos suo adderet numero, & Cornelio Visavæo instituendos traderet. Tum p. 34. 35.: Crebris literis urgebat Ignatius, ut tirones, quoad ejus fieri posset, separatim viverent: parta demum idonea domo, Natalem admonet, ut tironibus eò deductis, interiori aperiat aditum, exteriori obstruat januam; unus ipse sit omnium Rector, una mensæ communio: Visavæus autem qui tironum esset institutor, Rectori obtemperaret. Tirones præter contubernii, mensæque societatem, ne colloquium quidem cum reliquis commune haberent; sed a gymnasio, privatisque studiis non abstinerent, dum in Collegio viverent. Denique p. 92. 93. ex P. Codreto: P. Natalis normam quandam domesticæ institutionis (vulgo Regulas appellamus) conscripsit, illi haud multum dissimilem, qua tum Romæ utebantur: conscriptamque ad R. P. Ignatium misit, qui quasi novi fœtus prospero incremento vehementer oblectatus lubens approbavit. Nulla hujusce rei mentio in Bibliotheca Societatis.

79. Aliarum præterea desiderium acuit Orlandinus, cui l. 9. n. 45. 20. 49. Rodulfus Cardinalis Carpensis Meldulam profecturus, quod ei erat paternum oppidum, ad puerorum, ac multitudinis catechesim Paschasium Broet, Bononiæ tum strenuè laborantem, sibi commitem voluit. Verum postea revocantibus Bononiam



*Anno* 1549. occupationibus, Carpensis nomine ad Ignatium scripsit, ut operæ suæ Vicarium, & qui bene cœptis insisteret, illuc mitteret. Missus est referente Paschasio, Stephanus Capunsuccus Aretinus... Studia literarum, ut ætas illa ferebat, & exiguus numerus Sociorum, satis tum Bononiæ, tum Patavii calebant... Ignatius autem adeo erat de nostrorum in literis progressionem sollicitus, ut eorum ad se juberet epistolas nondum castigatas a Magistro transmitti: Messanenses verò grammaticæ magistros, ut superiorum etiam classium, quo incitarentur ardentius, oportuit ex Ignatii præscripto singulos singulis ad eum hebdomadis de rebus suis accurate perscribere. Veronæ Salmeron, quò Ludovici Episcopi doctissimi rogatu se contulit, inusitato conventu sacras literas explanabat; variisque in locis, atque cœnobiis sæpe dicebat... Sed discedendum Bellunum fuit Julii Antistitis electi rogatu ex illustri Contarenorum familia. Cujus quidem postulationi priusquam Ignatius annueret, beneficium censuit S. Trinitatis Priorem Lipomanum commonefaciendum: quo admonito, atque consulto, profecturus in eam Salmeron Civitatem, quam peracerbis inter se odiis dissidere cognoverat, piæ præsidia præcationis ab Ignatio postulavit. *Porro Julius Contarenus Ughelli t. 5. jam inde ab anno 1542. electus Bellunensis Episcopus, Gaspari Cardinali amplissimo Nepos successerat. Salmeron autem apud Ribadeneiram in ejus vita, Quadragesimæ sacris concionibus dicendis Bellunum venit: quo fit, ut epistolare hac de re commercium ineunti anno debeat.*

80. *Enarratis, quæ Belluni a Salmerone præclarissimè sunt gesta, subdit Orlandinus n. 51.: Constituerat Ignatius hoc ipso tempore Salmeronem in Germaniam una cum Jajo, Canisioque destinare. Quorum hic e Sicilia nuper accitus venerat; ille Ferrariæ apud Ducem Herculem residebat. Missionis causa Baviaræ Dux fuit, acerrimus Catholicæ religionis vindex Guilielmus, qui dum suæ ditioni, nationique consulit, memor ingentis desiderii, quod Ingolstadii reliquerat Jajus; quantumque & autoritatis, & benevolentiae in iis Germaniæ*  
par-



partibus sibi ipse conciliasset, tres a Pontifice Maximo de Societate Theologos, qui in Ingolstadiensi Academia sacrarum literarum scientiam traderent, & in iis nominatim Jajum impetraverat. Id cum Pontifex significasset Ignatio, Ignatius, quos nominavi, delegit: ac ne Dux Hercules repugnaret, qui multum, ac libenter utebatur opera Jaji, cum Cardinali Farnesio egit, ut & propinquum suum Ducem de ea profectioe per literas admoneret, quo æquiore animo pateretur ab se se Jajum ad tempus abesse, & Jajo ipsi profectioem illam Pontificis nomine propriis literis imperaret. Facta a Duce potestate Jajus, & reliqui duo ex Ignatii præscripto convenere Bononiam, in eo nobili gymnasio, quo plus apud Germanos, præsertim hæreticos haberent autoritatis, Doctoris gradus ac titulos suscepturi. Cardinalis autem Jo: Maria de Monte, qui postmodum ad Pontificatum eVectus est, & legatione tum Apostolica fungebatur, id Episcopo Catharino negotii dedit, qui... die B. Francisco sacro Doctoris eos insignibus honestavit. *Episcopum Catharinum, si quæris, Lucam intelligo Bisantinum, de quo in Catharensibus Ughellus t. 7.*

Anno  
1549.

81. *Frequens hoc anno indicat Orland. a n. 26. literarum commercium Ignatium inter & Joannem de Vega, Siciliae Proregem, Eleonoramque Proreginam, quæ summa celeritate Panormitanum Collegium intra labentem annum instituit, & absolvit. Accedit, quod Lainio in Siciliam profecturo, Neapolitana civitas, & Abbas Sancti Severini, apud quem is diversatus, & commoratus erat, R. P. Ignatium per literas obsecrarent, alium ut omnino sufficeret. Datus igitur Bobadilla, Lainii vicarius industriæ, adjuncto sibi Comite Michaele Ochoa Navarro, qui malè Ochoa in Orlandino n. 32. Eodem lib. 9. n. 81. ita Orl.: Cum Patres antiquiores Ignatius, & qui ceteris auctoritate præstabant, in annum, qui consequitur Jobelæi, in Urbem per literas, multa cum iis de Societate, & Constitutionibus consultaturus, invitasset: visum est ei, ut Dux quoque Borgia (quanquam non dum vestem religionis induerat) ad Urbem accederet. Qui vero sine*  
sua



Anno 1549. suæ Provinciæ, Collegiique magno damno abesse non possent, ii loco ne commoverentur. *Addit Cienfuegos lib. 3. cap. 10. Borgiam ab Ignatio statim post Pauli III. mortem, quæ incidit 10. Nov. 1549., sub Jobelæi obtentu Romam fuisse vocatum, ut Societatis vestem indueret, Ducali deposita; jussumque, iter ut quam primum carperet. Sequenti anno 1550., inquit Orl. lib. 10. n. 37., Autumno ineunte suum egressus Oppidum, non sine honesto, nobilique comitatu equitum ferme triginta... Verùm Joannes Polancus, qui Roma die 14. Dec. 1550. scripsit Patri Violæ accuratissimam de toto Borgiæ itinere, Romam adventu, rebusque ibidem ab eo jam gestis, epistolam; Gandiâ, inquit, Romam discessit sub finem Augusti proximè elapsi... Cui aderant equi seu jumenta viginti dumtaxat, vel 25. Numero autem 1. ejusdem lib. 10. Hispaniæ & Lusitaniæ provinciis Indiam, inquit Orland., Præposito ei Xaverio, hic ipse annus adjunxit: quibus missæ ad Xaverium literæ indicantur, de quibus infra n. 84. Nempe Sociis e Lusitania in Congi regnum, & Lusitana citerioris Africæ præsidia missis anno 1548., vere autem 1549. procedente Societatis coloniâ in Brasiliam advectâ, æquum Ignatio visum, ut nova in India provincia constituta, hanc a Lusitana Promontorio Bonæ Spei determinaret. De Brasiliæ provincia deinceps an. 1553. erecta, vide n. 141.*

1550. 82. Non longas quidem, sed illustrandis Ignatii gestis utilissimas habemus ejusdem epistolas septem, plerasque ineditas, anno 1550. conscriptas; quibus alia lumen afferunt partim nondum edita, partim non ita obvia. Prima, eaque inedita, 22. Febr. 1550. ad Bartholomæam Spadaforam, Abbatissam Messanensem, italicè asservatur autographa in Monasterio Messanensi S. Mariæ de Alto, ut fidem faciebat die 3. Jul. 1795. ejusdem Abbatissa R. D. Angela Gordone: de cujus argumento videndus superior num. 77. Altera, etiam inedita, italicè scripta 31. Maji 1550. ad Herculem Ferrariæ Ducem, autographa existit in tabulario Ducali Mutinensi; proditque nova quædam de P. Silvestro Landinio, & de Ferrariensis Collegii fundatione, quæ fugerunt Orlandini diligentiam l. 10. a n. 80.

Ter-



*Tertiam septimi Julii ad P. Simonem Rodriguez, ex autographo Latino Collegii olim Soc. J. Cordubæ Tucumanensis edidit in notis ad Ordinationem Apost. 80. bonæ memoriæ vir D. Dominicus Muriel, a sanctitate, prudentia, & doctrina clarissimus. Quartam die 9. ejusdem Jul. 1550. missam ad exercitum Hispanum, qui Duce Joanne Vega Tunetani regni urbem, cui Africa nomen, oppugnabat, memoriæ prodiderunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 490. n. 125.: utraque simul fere data epistola singulares continet Jobelæi gratias, a Julio III. Ignatio concessas. De his Orlandinus l. 10. a n. 1. in hæc verba:*

83. Indicto, ac proposito toti Christiano Orbi Jobelæo, quo grex cunctus suum ad Pastorem, ut est in more positum, vocabatur, Ignatius Pontifici supplicavit, ut Societatis hominibus, qui pro Ecclesia, & animarum salute in locis disjunctissimis versabantur in India, Brasilia, Congo denique, & propiore Africa, nec sine magno rei Christianæ damno ad Urbem conferre se poterant, promerendi Jobelæi copiam, potestatemque cum Christianis earum regionum, atque Neophytis faceret: simul & quid ejus merendi gratia faciendum præscriberet, indicaret. Pontifex blando oculo Ignatium intuitus, ut animi sui significaret affectum, quod attinet, inquit, ad elargiendum Sociis vestris absentibus Jobelæum, id libenter elargior, hac tamen cum parsimonia, &, ut ejus verbis utar, cum restrictione, ut omnem meam in hac re potestatem cum Societate vestra communicatam velim; liceatque fratribus vestris tanto a nobis intervallo disjunctis & Ecclesiæ Thesauris, & largissimis hujus anni condonationibus gaudere; ad easque promerendas quidquid visum fuerit, vestro arbitratu præscribere... Nec modo Indiis, ultimisque terris, sed compluribus etiam, qui propius ab Urbe aberant, Jobelæum Ignatio postulante concessit: ut multis Messanæ Societatis amicis, multis etiam Venetiis, ac Lutetiæ, copiis quoque in Africam cum Vega Prorege Siciliæ barbarorum profectis ad bellum: similiterque Societatis hominibus in Germania: Salmanticæque & Gandiensi civitati universæ propter  
exi-



*Anno* 1550. eximiam Ducis Borgiae pietatem, atque virtutem. Tam singulare beneficium alio non minore munere liberalis Pontifex cumulavit. Nam cum moris sit toto Jobelaei curriculo privilegiorum usu cunctis Religionum Ordinibus interdicare, quibus Apostolicae Sedis auctoritate fas est, a retentis, reservatisque peccatis confitentes absolvere; Societati tamen Jesu voluit ea, quae concessa nuper essent a Paulo, hoc quoque anno salva, atque intacta ubique terrarum relinqui. Quocirca Societatis Praepositos, ac Rectores, qui ab Urbe aberant, per literas Ignatius monuit, ut & ipsi ad animorum commodum privilegis illis uti pergerent, & alios aliquot e Societate nominarent, quibus eam potestatem, in excipiendis praesertim sacris confessionibus, tuto committerent. *Idem fusius ib. n. 91. de Jobelaeo Africanis militibus impertito.*

84. Non dubito, quin de hoc Jobelaeo, serius in Orientem perlato, loquatur Xaverius ad Ignatium in epistola die 9. Apr. 1552. conscripta; quam Ignatianis suo postea loco inseremus. Videtur autem Xaverius Ignatii epistolam cum dicto Jubilaeo in India accepisse, postquam aliis ejusdem literis Malacae acceptis cum primum Cocinum appulit, Januario mense respondit. Sic binis Beati Parentis literis totidem Xaverius responderit. Hujus ad priores responsio non obscure significat, se per eas Praepositum Indiae Provincialem constitui; quod Orlandinus superiori anno factum nos docuit n. 81.

85. Quinta, quae Latina est, & inedita, extat Romae autographa in Ecclesia Sanctae Mariae de Suffragio, data 13. Jul. 1550. ad P. Hieronymum Domenech. Quae autem in hac memorantur ad eundem missae Februario & Martio praecedentibus, duae illae videntur, quas Silvester Maurolicus in Oceano Religionum in Societatis Jesu laudem refert in Sacrario Messanensi religiosè asservari; additque per eas Domenechum ab Ignatio Hispanià in Siciliam evocari. Habeo equidem e Codice Florentino a me depromptum exemplum epistolae P. Joannis Hieronymi Domenech ad Ignatium Valentia datae postremo die Oct. 1551., qua se iterum a Siciliae Prorege, ait, illuc avocari, cui tamen rescripserit,



Anno  
1550.

rit, de se ab ipso apud Ignatium agi oportere, a cujus nutu omnino pendeat. Ac anno tandem 1553. Domenechus ipse, teste Orlandino, Siciliae factus est Provincialis, magna deinceps cum laude tali defunctus munere. Verum Orlandinus quàm multa de Siculis Domenechi rebus gestis, tam pauca de Valentinis; quæ accuratè, & prolixè in laudata epistola ad B. Ignatium referuntur: in summa Socios Valentinis decem recenset, tres Sacerdotes, Scholares 4., & 3. Laicos; se quidem dare operam catechismis, exercitiis domi, ac foris tradendis, concionibus habendis, excipiendis vero sacris confessionibus minime posse accurrenti multitudini satisfacere: jam vero M. Balthassarem tam gnavum esse operarium, ut pro tribus plane laboret; qui Compluti per triennium, & eo amplius Medinæ auditor, in doctrina præsertim de moribus præstans evaserit. Soldevillam Catalaunum, theologiæ studiosum, recens in socium cooptatum, cum primis laudat: Parram, & alios studiorum causa Gandiam missos, quatuor in Lusitaniam, alios Romam. Atque hæc cursim, ut aliorum acuam diligentiam.

86. Sextam, ut Claudio Jajo missam 1. Aug. 1550. protulit in lucem P. Ignatius Agricola in Historia Prov. Germ. Superioris Soc. J. t. 1. Decad. 1. p. 23.: Aloysius, inquit, Lipomanus, Veronensis Episcopus, impetrarat a Pontifice, ut Claudius Jajus sibi urbique Veronensi concederetur, nec reluctabatur Ignatius, quod Lipomanæ genti plurimum deberet, ex qua Andreas Lipomanus primum Italorum Collegium Patavii, tum aliud Venetiis sancivit... Liceat hîc mihi literas Ignatii ad Claudium Jajum, quibus eum primo Veronam excitat, recitare, ut liqueat, quo spiritu vir sanctus ad suos scribere, & erga Bavarix commoda ferri consueverit. Verum enim vero, missis plurimis errorum id genus causis, primas epistolæ ipsius periodos conferenti mihi cum gestis Jaji, & Salmeronis anno 1548. cum apud Orlandinum, tum etiam apud ipsum Agricolam, manifestum est hanc epistolam non fuisse Jajo, sed Salmeroni missam. Nam primæ literarum periodi nos docent eum, cui mittuntur, fere ante biennium Veronæ verbi Dei interpretem egisse,  
M unde



*Anno* unde præcipiente Paulo III. ut Bavariæ Duci satisfacere-  
*1550.* ret, Ingolstadium missus fuerat; cuius absentia vehe-  
 menter permotus Episcopus Veronensis non destitit in-  
 stanter agere apud Julium III., donec impetravit, ut  
 eo rediret, unde fuerat evocatus.

87. *Atqui hæc omnia Orlandinus, nullâ epistolæ hujus  
 mentione facta, in unum Salmeronem refert an. 1548. 1549.  
 1550.; aperteque tradit, Jajum Ferrariæ Ducis rogatu  
 apud ipsum ab an. 1547. ad 1549. Ferrariæ degisse: id  
 quod ipsemet Agricola an. 1548. n. 147. non obscure indi-  
 cavit, cum prodidit, S. Ignatium per Alexandrum Card.  
 Farnesium effecisse, ut Claudio cum bona Herculis Fer-  
 rariæ Ducis, qui eum sibi filiisque Confessarium dele-  
 gerat, venia Romam reverti liceret, Sociumque futu-  
 rorum laborum Alfonso Salmeronem accipere. Adde  
 quod in eadem epistola ait S. Ignatius: in locum tuum  
 destinamus Doctorem Nicolaum de Gaudano: atqui eo-  
 dem etiam Agricola teste ad an. 1551. n. 2. Nicolaus Gau-  
 danus, cum Ingolstadium appulisset, Sancti Pauli episto-  
 las, quas intermiserat Salmeron, explanandas resumpsit.  
 Itaque non dubitavi, hanc epistolam Salmeroni potius,  
 quàm Jajo inscribere.*

88. *Fuit Gaudanus Belga, teste Orl. l. 10. a n. 96.,  
 primus Veneti Collegii Rector, ab Urbe missus: sed An-  
 dreas Lipomanus Ignatium commonendum putavit, ut,  
 si ei videretur, & Proregis cum pace fieret, Andream  
 Frusium e Sicilia revocaret in Gaudani locum. Paruit  
 B. Pater viri benevolentissimi monitis: &, dum Fru-  
 sius Venetias mittitur (mitti enim nisi anno vertente  
 non potuit) alterum suffecit Andream e Patavino Col-  
 legio, cui Galvanelli cognomen. Gaudanum vero cum  
 Petro Schorichio Ingolstadium ire jussit Salmeronis in  
 locum, quem Veronæ Pontifex Julius, Lipomano Præ-  
 sule postulante, concesserat. Gaudanus autem prius-  
 quam in Germaniam se conferret, ex Ignatii præscri-  
 pto Bononiam venit, ubi publicum doctrinæ testimo-  
 nium, & honorifica Doctoris insignia, antegressis non  
 sine laude consuetis periculis, ac judiciis accepit...  
 Veronæ Salmeron totum obduxit annum. Cupientem  
 ad*



Anno  
1550.

ad Urbem accedere, quo cum Patribus antiquioribus vocabatur, Lipomanus Episcopus vetuit, tum ne suas Pater conciones intermitteret, quas variis locis habebat frequenti conventu, tum ut sibi ipsi ad edenda ea, quæ de Sanctorum vitis elucubraverat, usui foret.

89. *Septima, nondum edita, die 11. Nov. 1550. data ad Ferrariensem Ducem, autographa servatur Italica in Mutinensi Ducali tabulario. Quæ de Ferrariensis, Gandiensisque Ducum tractatu hæc ait epistola, paria sunt iis, quæ Polancus in laudata ad P. Violam epistola 14. Dec. consequentis indidem scripsit: & quoniam plura in ea video, quæ a præstantissimis Societatis Jesu Scriptoribus & silentur, & commutantur, juvat eam saltem ejusdem partem huc afferre, quæ cavendis aliorum erroribus usui esse possit: quam Latine sic reddo: Ad res materiales quod attinet, præter duo Gandiensa Collegia, & subsidia pro aliis etiam Societatis jam collata in Oñate, Compluti, aliisque in locis, dum Ferrariam pertransiret, Ducem ejus, cognatum suum, adegit ut illud tandem Collegium efficeret, quod velle se facere jam dixerat; quare certiores inde reddimur, locum eidem invenisse, tametsi quis ille sit nondum sciamus; quin & certam designavit summam alendis Scholasticis, dum redditus annui sanciantur. Bononiæ pariter egit cum Vicelegato, qui est Genuensis Archiepiscopus Sauli, de Collegio quod vult constituere, certamque præ se tulit voluntatem inchoatæ jam fabricæ acriùs promovendæ, ut quàm primum postulandi videantur qui Collegium illud ingrediantur. Florentiæ verò cum Duce, ac Ducissa cognata sua, colloquutus, constituit ut copiæ quanto-cius mittantur Collegio Pisis, vel Florentiæ condendo: ita prorsus, ut meo quidem judicio, coloniæ tres appetente jam sequente anno in tria illa oppida sint mittendæ. Hic autem Romæ præscripsit, ut Collegio condendo domus quædam & areæ coemantur, in quibus, adjunctis nonnullis redditibus, ducatorum millia ultra duodecim impendet. Præterea facultatem petiit a Pontifice, ut de redditibus ecclesiasticis ducatorum ad tria*



Anno 1550. millia in id converteret, ut eorum media pars huic Collegio, altera Hispaniensibus aliis obveniret; & quamquam res nondum est transacta, sua tamen Sanctitas velle se illi morem gerere significavit. *Mitto alia, ut quorundam morositati & genio nonnihil indulgeam.*

90. *Ex his verò lector, ut libuerit, judicabit de Orlandino l. 10. n. 45. sic de Borgiâ narrante: Et Genuæ illius urbis Antistitem, & Ferrariæ, Florentiæque Duces suis ut in urbibus Societatis Collegium constituerent, Bononiæ verò Sedis Apostolicæ Legatum, ut inchoati Collegii primordia promoveret, hortatus est. Doleo equidem gravissimam Polanci epistolam latuisse, & Orlandinum, & diligentissimos Borgiæ scriptores, etiam Bollandianos t. 5. Octobris: quibus eximia hæc Polanci epistola, si fuisset in promptu, Borgianæ vitæ illustrandæ clarissimam lucem attulisset.*

91. *Si minus inter Ignatianas epistolas, quarum est longè alius & stilus & forma; certè inter Ignatiana hujus anni monumenta, & literarum ejus fragmenta, collocanda legitima ejusdem pactio, quæ autographa Romæ servatur Italica in Sacello Illustrissimorum Dominorum Testa Piccolomini, quam latine sic reddo: Ihs. Ego Ignatius de Loyola Præpositus Generalis Societatis Jesu, promitto meo, totiusque Congregationis Domus hujusce nostræ Romanæ nomine juxta pactionem peractam inter Magnificum Dominum Camillum Stallam, & bonæ memoriæ fratrem nostrum carissimum Dominum Petrum Codaccium, fenestras domuum, ex eodem Domino Camillo emptarum, e regione ordinariæ suæ habitationis, ita fore aperiendas, ut lumen excipiant, quin ad prospiciendum pateant; quod si ad prospectum patuerint, eidemque Domino Camillo placuerit, ut nonnisi recipiendo lumini sint usui, promitto me ad omnem ejusdem voluntatem planè initum pactum servaturum: in cuius fidem huic subscribo, apposito nostro solito Sigillo, hac die 17. Oct. 1550. Ignatius. Paucis Ribadeneira l. 5. c. 2., pluribus autem Maffejus l. 3. c. 9. commendat Ignatii mansuetudinem in acerbissimis vicini cujusdam injuriis perferendis, qui triclinii parietes luminis causa per-*  
fo-



forare volenti B. Patri per summam contumeliam restitit : Anno  
nomen ejus videtur ex hoc epistolio innotescere . 1550.

92. A Bollandianis t. 7. Jul. p. 573. n. 858. laudantur S. Ignatii literæ encyclicæ ipsius manu subscriptæ Idibus Januarii 1550. , quibus Societatis nostræ Superioribus omnibus præcipit in virtute sanctæ obedientiæ , ut per se , vel per alios ad ipsum scribant : qui sunt in Italia vel Sicilia , singulis hebdomadis : qui in Germania , Flandria , Gallia , Hispania , ac Portugallia , singulis mensibus : qui in India , singulis annis . Excipit Superiores Domuum , qui duorum numerum non excedunt . In iisdem porro literis scribit Sanctus Pater incitamenta quædam ad acuendam diligentiam ; uti conficitur ex iis , quæ notavit documentorum Ignatianorum Romæ pro me collector , Latine in hanc sententiam a me reddita : Ego , inquit vir sanctus , enitor , ut bis scribam præcipuas literas , quod rem contineant alicujus momenti , & multas etiamnum schedulas . Et hasce ipsas bis scripsi mea manu . Quanto magis similiter debet facere quilibet e Societate ? Eorum namque est dumtaxat ad unum scribere : at meum est scribere ad vos omnes . Et possum dicere ex vero , ista altera nocte nos inivisse rationem , quod literæ , quas nunc mittimus quaquaversum , numero accederent ad ducenas & quinquaginta . Et si qui sunt occupati in Societate ; ego persuasum habeo , quod , si non sim multum , non sim tamen minus occupatus quam ullus , & cum minore valetudine corporis . His addunt ex Orlandino l. 7. n. 12. ; B. Pater ad gloriam Dei latiùs celebrandam , ad confirmandam inter se compagem corporis universi , conglutinandosque in dies magis universorum animos , simulque excitandos sancta æmulatione , & exacuendos in publicæ procuratione salutis excogitavit , ut quarto quoque mense de rebus , quas ubique gereret , mutuis se se literis cuncta Societas admoneret . Qui mos diu saluberrime viguit , donec Societate ipsa crescente , semestres ; dein etiam annuæ literæ datæ sunt . Has persequabatur hoc anno ( 1547. ) vias vigilans Pater , quibus familiam suam ad meliora proveheret . Eodem t. 7. Jul. p. 632. n. 1152. asserunt Bollandia



Anno diani, Lovanii apud nostros servari literas patentes, manu propria a S. Ignatio subscriptas Romæ Idibus Januarii anno 1550., quarum chirographi ectypon æri incisum exhibent.

93. Ex Orlandino l. 10. n. 108.: anno 1550. cum Lutetiæ nullus esset Societatis professor, B. noster Pater Joannem Baptistam Violam, qui Parisiis versabatur, per literas jussit in manibus, sinuque Claramontani Episcopi ex formula ab Urbe missa solemnia vota concipere. Quod & præstitit die 25. Augusti mensis: quare Ignatii literæ datæ videntur mense Julio. Sub idem tempus, ut conjicio ex eodem l. 10. n. 36. 47., Ignatius, admonente præsertim tantæ sanctitatis, & religionis anno, statuit Professos Patres, qui ab Urbe aberant, quod diu jam concupierat, convocare, ut cum eis de Societatis summa conferret, constitutionesque ab se perscriptas, & perpolitatas, priusquam in lucem ederet, inspiciendas traderet, & Generalis Præpositi se se, ut deinde patuit, abdicaret munere. Patres vero qui ex Hispania Romam expectabantur, erant hi, Araozius Provincialis, Gandiæ Rector Oviedus, Franciscus Strada, & Jacobus Miro; quibus accessere alii tres, Petrus Tablares, Emmanuel Sa, & Franciscus Rojas. Hi omnes optanti, petentique Duci Borgiæ, quem cum ceteris invitatum ab Ignatio supra diximus, se se comites adjunxerunt. Simonem expectabat Ignatius maxime, quod quanto major in Lusitania moles erat rerum, tanto ipse potuerat experimento, usuque plura deprehendisse: eoque pluris intererat communem Patrum sententiam coram ab illo cognosci, & rationem vitæ, formamque publicæ administrationis, quam ex Romano hausisset fonte, in suam referri provinciam. Sed vetuit Rex ante anni insequentis exordium proficisci. Post Orlandinum scripsit P. Tellez egregiam Societatis Lusitanicæ historiam, cujus t. 1. l. 3. c. 15. refert, S. Ignatium an. 1550., missis ad Joannem III. Lusitaniæ Regem literis, ab eo petiisse, ut P. Simoni per eum liceret Romam ad generalem conventum se conferre; ac simul eidem etiam Simoni scripsisse, ut bonâ cum Regis venia Romano itineri statim se committeret. Utrumque



que B. Pater impetravit : Hæc ille , in speciem Orlandino contrario .

Anno  
1550.

94. Octobri mense 1550. Ignatius , a Cardinalibus aliisque Romanis Magnatibus rogatus , Borgiæ nuntium cum literis Viterbium misit , quibus eum rogabat , ne honores , sibi Romam subeunti paratos , detrectaret , eamque Deo voveret sui victoriam , nempe invito divinitus provisam , quam in suscepto itinere aliàs etiam obtulerat ; se amanter ipsum rogare , ut libens illam suam peregrinationem non exigua propriæ molestiæ merito coronaret , quam probè sciebat eidem allaturos Romæ delatos honores , quos ut in Hispania effugeret , tantum iter susceperat . Hæc partim Bartolius in vita Borgiana l. 2. c. 4. , partim Garzia in vita S. Ignatii , Alvarus , & Bolland. t. 5. Oct. p. 174. Jam vero Orlandinus lib. 10. n. 109. de Sociis Parisiensibus ait : Matrona pietate præstans , pecuniæ summam quandam , unde fructus caperentur annui , Societati legarat , modo quaterna sibi , suisque Missarum sacrificia quotannis ab ea persolverentur . Quam pecuniam Ignatius , cum propter adjectas conditiones , vel in magnis rei familiaris angustiis , recusasset , quod ab institutis suis abhorreret ; pia mulier sublatis conditionibus pecuniam illam in partem census , atque proventus simpliciter , & absolute dedit . Habitabat igitur in ædibus Claramontani ( Episcopi ) Societas , dum ex disciplina , & in quadam quasi Collegii forma , Deo & animis serviebat : sed paupertate premente , tres e domesticis in Collegio Longobardorum studiis suis invigilabant . Quo in Collegio cum e Provisoribus unus , penes quos ea procuratio erat , e vita migrasset , in ejus locum Collegarum omnium studiis , atque suffragiis Viola sufficitur : is ipse , qui Prioris paulo ante munus , honoremque respuerat . Sed rem non probavit Ignatius , qui quamvis non esset nescius , Provisores illos nulla teneri lege sui muneris obeundi intra septa Collegii , licuisseque Violæ vel apud suos partes illas obire ; tamen ad declinandas ab religiosa tranquillitate alienas tricas , susceptam jussit ab eo provinciam sine mora deponi , & tres insuper illos de Societate discipulos , qui in eo contubernio inopiæ cau-



Anno 1550. causa residebant, inde migrare, conjungique cum suis.

95. De Indicis, ac Japonicis rebus legendæ in primis Xaverianæ epistolæ, ignem plane Apostolicum atque Divinum spirantes, quibus e Japonia redux non modo Socios omnes in India sibi jam Provinciali subditos inflammabat, sed ipsum etiam Lusitaniæ Regem, universamque Societatem. Binas in his habemus ad Ignatium mensibus Januario, & Aprili 1552. conscriptas, quibus eidem hoc anno 1550., & 1549. scribenti respondere Xaverium, paulo ante n. 84. significavi. B. Ignatium autorem extruendi catechumenorum domos in India hoc anno refert Orlandinus l. 10. n. 119. his verbis: Cum multi vel ab ipsis militibus nulla instructi catechesi consignarentur, interdumque non satis consentaneis, decorisque rationibus adducti, idque multorum fons esset malorum, autor fuit per literas B. P. Ignatius, ut Catechumenis domicilia extruerentur, ubi diuturna deliberatione, tractandisque Christianis ritibus, & ediscendis, ad ea mysteria paratiores venirent. Præclarum accedat literarum fragmentum Goani Episcopi Joannis Alburquerque ex S. Francisci Ordine, quas ad Ignatium Cocino dedit 28. Nov. 1550., apud Bartolium Parte I. Asiæ lib. 3. p. 223.; e quibus Nolarcius pauca delibavit c. 18., ubi rectè monuit, Joannem tunc unicum fuisse totius Orientis Episcopum.

96. Debeo, inquit, R. vestræ has literas de Operariis, quos hîc habet, & testis oculatus, & probè expertus eorum agendi vim, exempli lucem, sanctitatem vivendi, doctrinam, conciones, confessiones, juvandis Lusitanis; peregrinationes istorum regnorum, infidelibus, ethnicis, Mauris, eorumque uxoribus, & liberis convertendis, tingendis sacro fonte, & instituendis in suscepta fide: devoratas præterea (ut hæc melius præstent, & expeditius) difficultates linguarum discendarum in promontorio præsertim Comorino. Rem animarum tam strenuè agunt Patres Societatis hujus sanctæ, & opem tam validam Episcopis jungunt in sustinenda mole imposita muneris, ut quidquid habemus, possumus, obtinemus, id omne ab iis sit; & expuncturi sint nobis multos annos flammis lustralibus alioqui



Anno  
1550.

a nobis exigendos, labore quem nobis commodant, ad salutem eorum quos nostro periculo curandos accipimus. Præ aliis equidem Præsulibus hoc illis peculiariter nomine obstringor, ut qui degam inter tot populos adoratores lignorum, & lapidum, quorum multos Patrum industria, virtusque concionum ad agnitionem Dei unius, & Augustissimæ Triadis, adduxit. Porro hîc eorum singillatim gesta nec putem posse me stylo consequi, nec mei temporis occupationes patiuntur: breviter dicam eos esse luminaria accensa ad discutiendam hujus barbariæ cæcam noctem; Deo laus, & honor, Sanctorum suorum ministeria tam illustria operanti. Ego illis quæcumque in utilitatem animarum ex me optaverint, libenter concedo, quidquid est in me potestatis, & auctoritatis singulis ultrò, plenèque impertio, unumque me censeo de Societate hac sancta, tametsi vitâ iis valde absimilem, valdeque imparè. Omni eos favore prosequor, & amo in Jesu Nazareno, sed amore candido, furo procul, & simulatione. Sedes iis, & Ecclesias tribuo ubi degant, & unde ad opus alienæ salutis exeant: digni sunt quos suis identidem literis R. vestra consoletur: mandandum quoque videretur P. Magistro Simoni Rodericio, ut operarum suppetias iis ex Lusitania mitteret; est enim vastus regionis ager, operarii pauci, & immensa laboris materia. *Hactenus Bartolii Latinus interpres. Consonat Joannis Lusitaniæ Regis erga Societatem studium, Xaverii profectò literis inflammatum, quas eidem annis 1548. & 1549. conscriptas libertate planè Evangelica, modestia summa, singulari prudentia, divino simul ardore incensas admiramur. De Rege itaque Lusitano hæc Orlandinus l. 10. n. 131.:*

97. Tantis apud Indos rei Christianæ incrementis, tamque industriis, frugiferisque Societatis laboribus Lusitaniæ Rex Joannes ex Antistitis Goani sermonibus, & gravium virorum commemoratione permotus in regio consilio, Senatuque decrevit, suffragante etiam Ludovico Regis fratre, & verbis amplissimis eandem Societatem ornante, toto ut Oriente ubicumque ea Collegium haberet, habiturave esset aliquando, præsto ei



*Anno* forent ad omnem nutum in propaganda Christi fide,  
*1550.* Neophytisque juvandis non modo Ecclesiae universae,  
 verum etiam Regii omnes Praefecti, ac Magistratus sup-  
 peditandis opportunitatibus omnibus, necessariisque sub-  
 sidiis. Tantumque Patribus pro sua pietate Rex tribuit,  
 cunctis ut Praetoribus aequae praesentibus, ac futuris id  
 mandati dederit; ut quocumque Patres ingredi rei Chri-  
 stianae causa percuperent, nullo eis loco, subsidioque  
 deessent; & quidquid illi vel ad amplificandum Christi  
 cultum, vel ad conformandos hominum mores necessa-  
 rium in praesidiis judicarent; id ipsi de eorum senten-  
 tia, atque consilio sine ulla haesitatione praescriberent.  
 Commendatitias etiam literas ad Pontificem Julium Co-  
 nimbrica dedit, quae docebant quantas fruges, utilita-  
 tesque illorum Patrum genuisset adventus, . . . Proinde  
 Simonem Rodericium ab se Romam consulto mitti.  
 (Namque in sequenti anno Rodericius Romam venit)  
 ut suo nomine, quae ad secundum rei Christianae cur-  
 sum pertinere viderentur, exponeret: cui paternae be-  
 nignitatis aures patere faciles vellet, & quae in rem  
 postularet, large concedi.

98. *In his multa fuisse non dubito, quae Xaverius  
 suis ad Regem, Simonem, & Ignatium literis etiam atque  
 etiam rogaverat, ut a Sede Apostolica in Indorum gratiam  
 impetrarentur. Quae idem Xaverius ep. 11. & 15. libri 4.  
 novae editionis de sua narrat provinciae seu novae Praeposi-  
 turae finibus a Promontorio Bonae Spei ad extremum O-  
 rientem, conferenti mihi cum Ignatii epistola Nonis Ju-  
 lii 1550. Simoni Rodriguez Praeposito ejusdem Societatis  
 in Portugalliae regno, & transmarinis regionibus citra  
 Indiam, quem anno jam 1546. primum Portugalliae Prae-  
 positum constituerat; vix superest dubium, quin Ignatius  
 utriusque provinciae fines definierit, Xaverio Indiae Praepo-  
 sito Provinciali constituto anno videlicet 1549. teste Orl.  
 l. 9. n. 1. Si tandem aliquando ipsae Ignatii ad Xaverium  
 patentes literae comparuerint, nullus erit dubitandi locus.  
 P. Gaspar Barzaeus de Regis Ormuziani perfidia, qua sibi  
 persuasam & certam catholicam religionem hostili timore  
 perterritus rebus humanis posthabuit, haec scripsit Ignatio:*  
 Sum-



Summo animi dolore sum affectus, cum viderem tantam e manibus elabi prædam, quæ vel sola reliquam mihi vitam redderet opulentam: quod ego totum gravibus meis peccatis, a quibus tantum malum est ortum, attribuo. Sed & mœror hic meus aliunde me torquet, quòd verear, ne sit ortus ab occulta mea superbia, quasi studii mei ac industriæ debeat esse fructus, quod solius Dei est opus, omnia, ut libet, sancta sua voluntate disponentis. Licet autem crescente in dies conversorum multitudine ipse me consoletur, non tamen possum tam acerbam illam memoriam a mente mea depellere. Ita ex Bartolio in Asia Italica Barzæi vita edita Bononiæ apud Benaccii hæredem, cap. 9. Cum Barzæus Ormuzianum emporium a medio anno 1549. ad autumnum usque 1551. excoluerit, incerti temporis epistola visa est huic anno tribuenda.

Anno  
1550.

## LIBER III.

De S. Ignatii Loyolæ Epistolis, & mutuis aliorum officiis  
ab anno 1551. ad 1553.

99. Pares numero superioris anni, nempe integras septem anni 1551. Beati Parentis literas hinc inde collegi. Harum primæ ad Patres Romæ congregatos anno 1550., a P. Ribadeneira Latinè jam inde ab an. 1572., deinde Hispanicè anno 1605. vulgatæ libr. 4. c. 1., tum ab Orlandino l. 10. n. 68. denuo in Latinum accuratius conversæ, in lucem sine temporis nota & subscriptione prodierunt; hinc eadem prorsus ratione Italicè Gallicèque redditæ, facile vulgo credebantur anno 1550. conscriptæ, donec Bollandiani t. 7. Jul. p. 492. ex manuscripto Romano tradiderunt, eas fuisse 30. Jan. 1551. obsignatas: huic consonat ms. Florentinum, ex quo integram subscriptionem descripsi. Inscriptionem ex Hispanica Ribadeneiræ ad verbum reddimus, quam non minus Florentina probatur: Patribus, ac Fratribus universis Societatis Jesu. Latina Ribadeneiræ versio adeo imperfecta visa est Orlandino, ut accuratiore alia

1551.



Anno 1551. opus esse censuerit; nec mihi ex attenta utriusque collatione dubium superest, quin Orlandiniana longè sit præferenda. De postrema solum periodo dubitabam, quis cui sit præferendus. Subjiciam lectorum oculis verba Hispanica, & utriusque versionem, ut quisque pro libitu in re ambigua dijudicet. Verba Hispanica: tomando el todo en su divina y mayor alabanza y gloria para siempre; Ribadeneiræ versio, illud etiam quæso, ut meam hanc petitionem, atque obsecrationem, optimam in partem accipiant; Orlandini, accipiente ipso omnia in majorem suam laudem, & gloriam æternam. Mihi non displicisset hæc alia: referentes omnia in ipsius divinam, majoremque laudem, & gloriam sempiternam.

100. Anni sub exitum, inquit Orlandinus l. 10. n. 47., jam Romam primæ autoritatis Patres convenerant; quibus B. Ignatius inspiciendas constitutiones tradit. Hinc conatur abdicare Generalatum, data ad Patres congregatos epistola: sed jubetur pergere in Societatis administratione. Hoc Ignatius responso accepto, pergit Orlandinus l. 10. n. 71., cum animadverteret ad optatissimam fugam cunctos jam sibi aditus interclusos, paucos post dies periculosum in morbum lapsus reputare secum ipse magna cum voluptate cœpit, num compendiarum alia via se se Deus eo vellet onere liberare. Sacro igitur Natali Domini die cum unum, & alterum sacrificium continenter eo, quo consueverat ardore animi, & contentione fecisset, virium languore tabescens gravi correptus est morbo. Ribadeneira in postrema vita Hispanica gravem hunc morbum affigit anno 1550.; quod Orlandino consonat. Verùm uterque gravissimus auctor, & alii passim ipsorum asseclæ, ex laudatæ epistolæ subscripti temporis ignoratione non leviter rerum ab Ignatio gestarum ordinem perturbarunt. Atque hæc posteris indicasse, instituto meo sufficiat.

101. Secundam 26. Febr. 1551. datam ad Alfonsum Ramirez de Vergara, Doctorem Complutensem, & Diœcesis Conchensis Visitatorem, edidit P. Alcazar. Plura in hac breviter indicantur, quæ haud difficile ex superius dictis intelligas. Porrò Alfonsus non Complutensi modò, sed Conchen-



chensi etiam Collegio pro parente fuit. Tertia, inedita, subscripta 6. Apr. 1551. autographa servatur in sacrario Cathedralis Ecclesiæ Ferrariensis. Exterior ejus inscriptio ex Italico ad verbum reddita: Admodum Magnificæ Dominae meæ in Domino nostro Dominae Margaritæ Gigliæ, & Fantucciæ. Bononiam. In ejusdem testamento ad 14. Julii 1574. appellatur: Prudens mulier Domina Margarita quondam Johannis Antonii de Giliis, vidua & olim uxor Domini Johannis Francisci de Helphantutius Bononiæ civis Capellæ S. Mariæ de Mascarella. De Helphantutius ex apographo ad me misso fideliter descripsi, minimè offensus scribarum id genus aberrationibus. Nunc a Bononiensibus hæc agnomina Gigli, & Fantuzzi dicuntur; domus autem Fantuzzia Senatorio in ordine nobilissima stemmati suo Elephantem inscribit. Haud dubium, quin de laudata Margarita loquantur Bollandiani t. 7. Jul. p. 513. n. 544. his verbis: Eo temporis puncto, quo Romæ (Ignatius) decessit e vita, Bononiæ splendescens, inclytusque apparuit nobili matronæ viduæ, Margaretæ Delis nomine, & Societatis amantissimæ. Atque illa sine cunctatione visum narravit P. Francisco Palmæ (corrigere Palmio), rectori collegii, cujus ad aures solebat animi noxas eluere: mortuumque indicavit, ac se vidisse confirmavit, adeoque nativis eum coloribus depinxit, ac si eum antea cognovisset, quem revera viderat numquam. Ribadeneira in epitome vitæ Ignatianæ Flori Sanctorum adjuncta in editione Matritensi an. 1601. t. 2. p. 855. idem planè refert de Margarita Gillo; cui, ait, in ea visione dixit: Margarita, ego quidem jam abeo, vide me tibi Societatem commendare. Ubi a Ribadeneira Gillo redditur more suo Italicum Giglio, quod vulgò Lis est Hispanis, & Gallis, unde ortum videtur Bollandianum Delis, pro de Lis.

102. Quarta, item inedita, ad Civitatem Parmensem data 18. Apr. 1551., ex autographo Italico Tabularii ejusdem civitatis deprompta est. Quinta vero; pariter inedita, descripta est ex Italico autographo Tabularii Ducalis Mutinensis: inscribitur exterius Illustrissimo & Excellentissimo Domino Dom. Ferrariæ Duci; data 23. Maji 1551.



*Anno* Rossetti *præsul*, de quo epistola, Orlandino l. 11. n. 28. Alfonso Rosetus, is, qui non ita post ejus urbis renunciatus est Archiepiscopus (*pro* Episcopus), qui Ducis nomine ad Ignatium scripsit, ut sibi quoque de suis copiis aliquid impertiret. *Sexta*, quæ una est omnium præstantissima, 1. Jun. 1551. a Joanne de Polanco Ignatii scriba ejusdem nomine scripta P. Urbano Fernandez Collegii Conimbricensis Rectori, edita est a P. Alcazar, non modo a Polanco subscripta, sed ab Ignatio etiam ipso consuetâ sua notâ sigillata. Eadem est in ms. Florentino inscripta Rectori Portugalliæ: est quidem Patris Alcazar apographum accuratius fere Florentino; hoc tamen nonnulla suppeditat, quibus illud & augetur, & emendatur. *Septima* foris inscribitur: Magnifico Domino meo in Jesu Christo Domino Antonio Minturno, apud Illustrissimum Dominum Ducem de Monteleone. Neapolim. Data 16. Aug. 1551. D. Andreas Galan, a quo eam accepi, ad ipsius marginem monebat, archetypon hujus epistolæ servatum olim in Sacratio Domus Professæ Societatis Jesu (Neapoli): Antonium vero Minturnum fuisse præceptorem Camilli, Comitis de Borello, filii Marchionis (sic ille) de Monte Leone; virum planè doctrina, & eruditione commendatissimum, Episcopum primum Ugentinum, dein Cotroniensem. Hactenus vir eruditus. Plura de Minturno Ughellus t. 9. Dux, de quo epistola, fuit abs dubio Hector Pignatellus Montis Leonis Dux, e præcipuis Collegii Neapolitani autoribus cum Prorege Petro de Toletto, apud Orlandino l. 11. n. 15. Vide n. 114.

103. Hi literas, subdit, ad Ignatium dederunt, ut in proximam Quadragesimam concionatorem ad se semitteret, quocum ipsi agere, ac deliberare de re Collegii possent. Missus est Salmeron... sed hic non ita post revocatur in urbem, ut Tridentinum ad Concilium, Pontifice jubente, se conferat... Dein scripsit Prorex ad Pontificem Maximum, & Cardinalem Carpensem, scripsit etiam ad Ignatium, ut ad initia jacienda Collegii de suo numero destinaret. Spondit Ignatius omnino duodecim ad occasum anni, Bobadillamque præmisit. Interim Montis Leonis Dux ad eos, qui mittebantur, excipiendos conduxit ædes, easque rebus omnibus,



bus, quæ vel ad domesticam habitationem, vel ad tradendas publice disciplinas usui esse videbantur, instruxit... Huc socios Bobadilla deduxit, simul ac Neapolim mense Decembri, duce, rectoreque Andrea Oviedo, venerunt. Postridieque, dum ex Ignatii mandatis salutaturi Ducem tam de Societate meritum adire volunt, Dux antevertit, & eos comiter invisit... Erat autem ea de B. N. Patre, vel de ejus familia claros apud viros opinio, ut prius quam ex ea quisquam Neapoli compareret, Ignatii prudentiæ, atque pietati Montisleonis Dux, Comesque Montorius Orborum domum, quo cum aliis vitiis hæreses irrepserant, per literas commendarint; rogarintque, ut ejus loci procurationem Florentio cuidam Pauletto Sacerdoti Gallo, quem fama erat e nostris in Sicilia vivendi disciplinam hausisse, sua autoritate committeret. Erat is Florentius moribus probatissimis, Societatemque diu in votis habuerat: sed cum legibus nostris, quod alienæ religionis cultu aliquando usus esset, excluderetur; studebat domesticæ sanctitati, & vitam suam e Societatis disciplina, institutoque temperabat. Ad hunc cum scripsisset Ignatius, ut illius, quam dixi, domus procurationem acciperet, paruit ille monenti, & Deo placendi studio, quod imponebatur, onus accepit. *Mirarer, si e tanto Ignatii cum viris clarissimis epistolari commercio sola Neapoli superesset ejusdem ad Minturnum epistola.*

104. *Quoniam Orlandinus inter præcipuos Collegii Neapolitani autores, qui literas ad Ignatium dederunt, Hieronymum etiam Fonsecam dinumerat, gerendum hîc morem censeo viro erudito, qui ex Hieronymi opere de Prædestinatione in 8. sine loci, nec anni annotatione, sed, ni fallor, edito Neapoli hoc anno 1551., hæc ad me humanissimè in eruditorum gratiam transmisit: Dominici Hieronymi Fontis sicci, equitis Galletii, Arcis Cosentinæ Cæs. Præfecti, virique Prætorii, Brevis, ac optimè dilucidatus de Prædestinatione Tractatus. Opus dictum Petro Toletto, Marchioni de Villafranca, Proregi Neapolitano. Sed ante hanc dicationem extat alia ejusdem autoris: Ad Reverendum Dominum, & virtutibus*

or-

Anno  
1551.



Anno 1551. ornatissimum, ac sacræ paginæ Magistrum Ignatium de Loyola Generalem, ac totius principalem Fundatorem insignis Ordinis Jesus, Hieronymus de Fonseca.

Ignati fulgens Hispanæ gloria gentis  
 Qui regis Unigenæ sacra, chorumque Dei,  
 Scripta licet magno sint hæc, addicta Toletis,  
 Cujus in Hesperia nomen utraq; viget;  
 Ut tua, quæso tamen, relegas, partemque cohortis  
 Exiguam vestræ me precor esse putes.  
 Et merito cum sis illi pietate secundus  
 Est tibi versandum religionis opus.

105. *Nolarcius cap. 25. ex epistola data 7. die Martii 1551. ad nobilem feminam Isabellam, fortè Roser, hoc addit fragmentum: seu benè res obveniant, sive malè, ita sum animo comparatus, ut eodem sim ad omnem Dei Domini nostri voluntatem promptissimo. Suo etenim divino amore, ac providentia reget omnia, rectisque suis itineribus longe perducet melius, quàm nos aut expetere possimus, aut cogitare. Ex Orlandino l. II. a n. 29. Ferrariæ Dux Hercules Collegium Societatis sancivit anno 1551., acceptis, quas paulo antea recensui, Ignatii literis die 23. Maji conscriptis, sociisque octo, Rectore Joanne Pelletario. Ergo plurimas, inquit Orland., Ignatio gratias egit Dux per literas: & per eam occasionem ab eo prece contendit, ut unum aliquem ex iis, quos miserat, Gynæcei, quod Ferrariæ materna quondam pietas excitaverat, procurationi præficeret. His verò postulatis Ignatius, quoniam institutis suis senserat adversari, quanquam ex Duce Sociorum spes ferme omnes Ferrariæ, fortunæque pendebant, non dubitavit abnuere. Nec iniquo tulit animo repulsam egregius, & pius in primis Dux; sive quod intelligebat, nostrorum jam integritate perspecta, non sibi ab iis sine causa gravissima negatum iri, qui privatis emolumentis, commodisque posthabitis, nihil nisi de alienis commodis cogitarent; sive, quia proprias, ac multas ab Ignatio rationes acceperat, cur fœminarum molestissimum onus Socie-*



cietas dudum ab se repelleret: quibus ipse non poterat non acquiescere: præsertim quòd in extremis Ignatij literis addebatur, Societatem ei contubernio, cum res exigeret; seu pabulo divini verbi, seu excipiendis semel atque iterum in anno singularum Virginum confessionibus minimè defuturam. Ribadeneira l. 3. c. 14. apud Boll. t. 7. Jul. p. 709. n. 270. Ferrariæ Ducem, ait, ab Ignatio postulasse, ut nostri curam sacrarum Sororum ejus Monasterii, . . . ad tempus susciperent: sive, ut ait postrema vita Hispanica; que diesse licencia a los nuestros, para que algunos dias tuviessen cargo de un Monasterio. . . . Tum subdit apud Bollandianos: Et Pincia quemdam ex nostris, qui lacrymis feminarum pene coactus, & obedientia victus, persimilem curam acceperat, ubi rescivit Ignatius, deponere jussit: Hæc tantum ibi; ast in posteriori, quam dixi, vita hæc fere ad verbum Latinè reddita: Et Pincia, cum nostri (sola quarundam Monialium importunitate, & lacrymis, principum etiam virorum precibus, obedientiaque Superiorum Societatis in Hispania, qui ab eis victi id ipsis mandarunt) quarundam Monialium curam suscepissent, id ubi rescivit Ignatius, deponere jussit, quod & factum. Nihil enim studiosius curabat, quàm ut Societatis institutum integrum servaretur ac viciens: & ut Socii rebus in illis Domino nostro servirent, quas in suum obsequium ab ipsis requirit; non autem in aliis a propria vocatione alienis: in quibus suà gratià non ita præstò adesse solet, ut in iis, ad quas ab ipso vocantur, aut eisdem uti voluerit.

106. Hoc anno 1551. Paschasius Broettus primus Italiae Provincialis ab Ignatio constitutus: nam teste Orland. l. 11. n. 35., quoniam extra Neapolitanum, Siciliaeque regnum, Collegia per Italiam constituta non pauca, vel inchoata jam erant, placuit Ignatio, tot occupationum oneribus presso vigilias suas, curasque dividere, eaque Collegia, veluti in unam redacta provinciam Paschasi curæ committere. Huic in Italia primum extra ea, quæ dixi, regna Provincialis tituli dati. Duas Paschasi ad Ignatium epistolas datas Ferrariæ, primam die



Anno die 2. Maji 1551., secundam post sex menses, memorat  
 1551. P. Antonius Maria Bonucci in Paschasii vita Romæ editæ  
 1713. a p. 74. Multis Orlandinus a n. 9. initia Florentini  
 Collegii describit, e quibus ad rem nostram hæc excerpo:  
 Florentini Ducis uxor Eleonora Petri a Toletto Neapo-  
 litani tum Proregis filia Jacobum Lainium ex Sicilia  
 revocatum, interposita Summi Pontificis autoritate, nu-  
 tuque, Pisas, quò cum Duce se contulerat, evocavit.  
 Hic inchoata jam Quadragesima Lainius diebus festis  
 divina præcepta... explanabat... non destitit oppor-  
 tunè de collocando Pisis, Florentiæve Collegio (ut ab  
 Ignatio in mandatis habuerat) agitare cum Ducibus...  
 Quamquam autem Cosmus non ita calebat: Eleonora  
 tamen maxime ardens, summam pecuniæ quandam Du-  
 cis nomine, quandam etiam suo quotannis in id spon-  
 dit, Lainium cohortata, ut ea de re ad Ignatium quam  
 primum scriberet: se quoque literas ad eum daturam;  
 & ut Dux ipse ad suum in Urbe Legatum ea de re  
 scriberet, perfecturam. Oblatæ sunt insuper ad habi-  
 tandum ædes, ... & ea denique omnia, quæ ad con-  
 flandum Collegii corpus tuendosque de Societate duode-  
 cim usui forent. Scripsit, uti receperat, ad Ignatium  
 Lainius, & Ducum mentem exposuit: simul admonens,  
 ut e suo numero duodecim ad exordia novi Collegii  
 designaret: & quoniam sibi discedendum propediem es-  
 set Tridentum ad Œcumenicum Concilium jussu Ponti-  
 ficis, Elpidium Ugolettum, si ita videretur, e Pata-  
 vino Collegio sibi sufficeret: qui & ceteris præesse  
 posset, & simul urgeret Collegii recentis initia. His  
 acceptis literis Ignatius Elpidio per literas mandat, uti  
 quamprimum se Pisas conferat: (*Tridentum, lapsa fere  
 Julio, Concilii causa Lainius, & Salmeron pervenerunt,  
 ib. n. 36.*) ipse verò Sociorum Romæ manipulum in-  
 struit, adjuncto, qui hos omnes regeret, Ludovico Co-  
 dretto, eosque ad Pontificem duci jubet, ut proficiscen-  
 tibus bene precatus, de more veniam, & comteatum  
 daret. Hæc agenti, & meditati afferuntur Pisis ab  
 Elpidio literæ, rem Collegii frigere, hæere studia Du-  
 cum, & ab discessu Lainii in sententia non manere:  
 quod



quod ea conditione dicerent se postulasse Collegium, ut apud se, & in sua ditione Lainius permaneret. Sensit Ignatius apertam Satanæ fraudem; nec tamen ab incepto desistere, quin etiam multo acrius, quasi nihil de immutata Principum voluntate ex secundis literis accepisset; ex primis Lainii rem totam gerere: propterea quod integrum sibi non esset, admonito jam de Ducum voluntate Pontifice, instituta deserere. Ergo sine cunctatione de Societate duodecim, ut Lainius scripserat, Florentiam destinat, sperans fore, ut ipse religiosorum, quos postulassent, conspectus Ducum animos permoveret.

Anno  
1551.

107. De hac fundatione duas Ignatii ad Eleonoram Hispanicis extare literas in Veteris, ut ajunt, Palatii Ducum tabulario, & a se lectas, coram mihi affirmavit vir clarissimus Galluzzius, Tabularii Generalis Florentini custos: quare de Ignatianis literis, quæ ab aliis etiam mihi indicabantur, planè certus alterius tabularii custodem supplicem adeo, ut earum mihi exempla dare non gravetur. Verùm ille mihi, peregrino scilicet nauici, sæpius ad ipsum redeunti constanter respondit, se illas non invenire. Juvat hinc earum lenire desiderium plæclaris Ignatii documentis, quæ Ortl. l. 11. n. 13. prodit his verbis: Extant præcepta, ac monita, quæ B. Pater tradebat iis, qui novas in colonias per id tempus dimittebantur, & vim legum nondum aliis promulgatis, habebant, & his quoque sunt tradita, qui Florentiam abiere. Tria, inquit, vobis proposita esse debent Florentiæ, primum ut Societas ipsa conservetur, atque proficiat cum pietate, tum literis: deinde ut civium animis consulatur; postremo ut Collegii rationes ad perpetuitatem stabiliantur. Ex primo autem pendent duo sequentia. Quanto enim meliores ipsi fueritis, tanto adminicula vos præbebitis aptiora, quibus & ad animarum salutem, & ad firmamenta Collegii divina manus utatur. Igitur eo quisque sincere dirigens mentem, ut nolit quærere, quæ sua sunt, sed solum quæ Jesu Christi, magnum assumat animum, generosamque voluntatem, ac serium studium, ut omnino velit verus, ac fidelis Dei, ac Domini nostri servus



*Anno* esse: seque probare per omnia, cuicumque addicatur  
*1551.* muneri, cum abdicatione perfecta suæ voluntatis, at-  
 que sententiæ, subjiciens se gubernationi divinæ per  
 sanctæ obedientiæ arbitria sive ad humiliores procura-  
 tiones, sive ad altiores adhibeatur: crebrisque & ar-  
 dentibus precibus ab omnium largitore bonorum insi-  
 stite, hoc ut vobis donum concedat: & Rector hæc  
 eadem identidem suis in memoriam revocet. Quoad  
 ejus fieri poterit, Romanæ Domus, atque Collegii cum  
 in oratione quotidiana, & examinatione conscientiæ,  
 & reliquo usu pietatis disciplina servetur, tum præser-  
 tim in custodia obedientiæ, & usu non habendo cum  
 externis, nisi prout Rectori videbitur. Quotidie domi  
 Scholastici per vices exercentur habendis super men-  
 sam concionibus, unam duntaxat horam præmeditati.  
 Et certis diebus super proposito argumento variis lin-  
 guis etiam græce declament ex tempore. De suo quis-  
 que in doctrina progressu & aliorum sollicitus sit. Scri-  
 ptio sit frequens, & collatio, ac disputatio: ex usuque  
 erit ad auditorum quoque exterorum inflammandam pie-  
 tatem, si octavo quoque die, aut certe quintodecimo,  
 qui longius in eloquentia processerint, scribant dili-  
 genter orationem de Christianis virtutibus, coramque  
 condiscipulis accuratè pronuntient. Quod vero ad ci-  
 vium utilitates pertinet, præter assidua precationum au-  
 xilia, eas per hæc maxime curabitis; primum omnibus,  
 qui accesserint, latinas tradetis, græcasque literas; si-  
 que locus feret, etiam hebraicas: seduloque auditores  
 & disputando exercebitis, & scribendo. Deinde qua-  
 que hebdomada semel, seu diebus Dominicis, seu quo  
 alio die Christianam eis doctrinam exponetis: curæque  
 erit, ut quotidie ex ea partem memoriter discant: Præ-  
 terea adnitemini ut magis magisque probis moribus ex-  
 colantur. Audiant sacrum quotidie, concionem sacris  
 diebus: semel in mense noxas confessione detergant:  
 ab execrationibus, jurandique pravitate, ac dictis fœ-  
 dis abstineant. Videbitis quoque num ad juvandos cle-  
 ricos sacrarum literarum schola aliqua, aut quæstionum  
 conscientiæ, aut subtilioris doctrinæ futura sit usui:  
 præ-



præcipueque curabitis, ut errores cognitos habeatis, qui serpunt hoc tempore, ut internoscere eos, redarguere, & extirpare possitis. Diligenter ad Sacramenta frequentanda Confessionis, atque Communionis, quotquot dabitur, traducetis, & ad ea ministranda promptam ipsi, & alacrem operam conferetis. Exemplis vitæ, religiosaque consuetudine utilis esse civitati quivis potest. Ad exercitia spiritualia hebdomadæ primæ multos, ad omnia nonnisi, qui perfectionis statui videntur idonei, licebit adducere. Suo tempore custodiis publicis atque valetudinariis nunc opera, nunc alloquio, idoneaque cohortatione, nunc Confessionibus excipiendis adeste. Ac semel ut dicam, quæ fuerint in Urbe pia opera cognoscite: eaque sive per vos, sive per alios conamini promovere. Ad extremum ex multis juvandi proximos viis, prudentia quæ cuique tempori, ac loco aptiores sint, edocebit, dum semper spectetur divini obsequii major fructus, ac bonus Societatis odor, ratioque habeatur munerum, quæ propria Collegiorum sunt. Porro ad Collegii firmitatem, quæ singulis diebus cuique in precibus, & sacrificiis ad majorem Dei gloriam curæ esse deberet, utile erit eorum, qui maxime adjumento queant esse, conciliare, tuerique benevolentiam modestia, sinceraque observantia, & vera significatione virtutis. Hæc ferme erant monita, quibus Collegia id temporis tanquam legibus regebantur. Addebatque ad extremum B. Pater, ut octavo quoque die Romam de rerum statu literas darent, quo opportune juvari, regique possent. *His moniti Florentiam extremo Novembri pervenerunt.*

Anno  
1551.

108. *Autor nobis est P. Longarus Oddi in Vita P. Petri Canisii cap. 6., plures Germaniæ Principes & Episcopos, datis hoc anno 1551. ad Ignatium literis, quemque pro se Canisium postulasse: Ignatii responsa desiderantur. Eiusdem pariter ad Ferdinandum Romanorum Regem responsa desiderantur, quæ hoc anno ineunte, ac finire dari potuerunt, ad duas videlicet Ferdinandi epistolas, quarum primam dedit Augustæ Vindellicorum die XI. Dec. 1550., alteram Viennæ Austriæ 4. Dec. 1551.: utramque ediderunt*



Anno 1551. *runt Bollandiani t. 7. Jul. p. 496. Prima inscribitur: Venerabili, devoto, nobis dilecto Ignatio de Loyola, Societatis Jesu Præposito. Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex semper augustus &c. Venerabilis, devote, nobis dilecte. Cum videamus hoc nostro sæculo, in quo diversa prava dogmata, & magnæ undique hæreses consurrexerunt, summam, si unquam antea, necessitatem exposulare, ut opportuni de intertenendis, alendis, & educandis doctis, piis & catholicis viris rationes in-  
 eantur, qui non solùm sanâ præsertim sacrarum literarum doctrinâ, sed etiam bono vitæ & morum probitatis exemplo, juventutis instituendæ curam gerant: (existimamus enim hac via & ratione tum veteris orthodoxæ & catholicæ fidei & religionis nostræ christi-  
 næ pro salute hominum tuendæ & conservandæ, tum rebus publicis pro illarum felici incremento bene recteque regendis & gubernandis magnopere consultum iri:) perspiciamus autem Collegia illa, quæ Societati Jesu noviter erigi cœpta sunt, magnum ea in re fructum afferre posse in locis & provinciis illis, in quibus erecta fuerint: Nosque ob id statuerimus, huic Societati in civitate Vienna, archiducatus nostri Austriæ metropoli, Collegium primo quoque tempore erigere, instituereque, in quo unâ cum Societatis fratribus etiam juvenes, & adolescentes, qui ad literarum studia aptiores videbuntur, alantur, & in sacris literis erudiantur, ut illinc deinde, tamquam ex quodam virtutum seminario, aliqui in numerum fratrum ipsius Societatis, aliqui vero ad concionandi munus, item ad Parochias aliaque Ecclesiastica beneficia piè laudabiliterque ad ædificationem scilicet regenda, nec non ad alia munia in rebus publicis obeunda, pro uniuscujusque ingenii captu, habilitate, & animi inclinatione suscipi & eligi possint; censeamus autem cum primis utile fore, quo hujusmodi Collegii institutio eò rectius, majorique cum fructu fiat atque procedat, si duos in hoc principio ejusdem Societatis fratres adhibuerimus, qui interea temporis, dum ea, quæ ad hujusmodi Collegii erectionem  
 nem*



nem & constructionem pertinent, curabuntur, in Univer-  
 versitate illa nostra Viennensi sacrarum literarum lectio-  
 ne, & doctrina, studiosorum animos præparent, inci-  
 tent, & alliciant ad hujusmodi studia amplectenda; &  
 præterea iis quoque, quibus construendi hujus Collegii  
 curam demandabimus, consilio suo præsto sint; atque  
 erectionem ipsam diligenter juvent, & promoveant:  
 Idcirco devotionem tuam per quam impensè hortamur,  
 & requirimus, velit pro sua, quam in hac Societate  
 Jesu obtinet, autoritate, curare, atque efficere, ut  
 honorabilis Claudius Jajus, ejusdem Societatis profes-  
 sor, qui ob ipsius præstantem in sacris literis doctri-  
 nam, vitæque probitatem & modestiam, nobis jam pri-  
 dem notus, ac gratus, & charus est, ac cum eo alius  
 quispiam etiam ejusdem Ordinis, qui Sanctissimo D. N.,  
 cui etiam hac de re scripsimus, atque devotioni tuæ  
 probabitur, sese eam ob causam Viennam conferant,  
 a nobis honestam, & necessariam intertentionem, do-  
 nec Collegium erigatur, habituri; ibique legendo, &  
 docendo, firmioris hujus Collegii structuræ, & institu-  
 tionis veluti fundamenta quædam jacent, atque consti-  
 tuant, sicuti devotionem tuam pii hujus instituti nostri  
 juvandi & provehendi causâ perlibenter, omnique stu-  
 dio facturam, planè speramus; id quod erga eandem  
 devotionem tuam datâ occasione benigniter recognosce-  
 mus. Datum in nostra, & Imperiali civitate Augusta  
 Vindelicorum die XI. mensis Dec. anno Domini 1550.,  
 regnorum nostrorum Romani 20., aliorum verò 24.  
 Ferdinandus.

109. *Altera ejusdem ad eundem epistola 4. Dec. 1551.*  
*inscribitur:* Honorabili, religioso, devoto, nobis dilecto  
 Magistro Ignatio de Loyola, Societatis nominis Jesu Præ-  
 posito Generali. Romam. Ferdinandus divinâ favente cle-  
 mentiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ & c. Rex. Ho-  
 norabilis, religiose, devote, nobis dilecte. Postquam  
 ante menses aliquot, ut nosti, nos apud hanc nostram  
 academiam Viennensem ad gloriam Dei omnipotentis,  
 nec non pro augmento sanctæ catholicæ religionis no-  
 stræ Collegium fratrum Societatis Jesu erexerimus. ei-  
 dem.

Ann.  
1551.



Anno demque certos, & sufficientes redditus, seu proventus  
 1551. annuos assignaverimus, quibus sese fratres illi sacris  
 literis incumbentes commode alere, & sustentare pos-  
 sint; nunc autem nobis ostensum sit, duos istos theo-  
 logos, doctorem Claudium, collegamque suum, quos  
 tu nobis misisti, satis magnos istos labores, qui ipsis  
 incumbunt, tam publice privatimque legendo, quàm  
 summam quamdam doctrinæ christianæ, quæ in lucem  
 edita, nostræ ætatis hominibus cum magna utilitate pro-  
 poni queat, componendo, vix ferre posse: idcirco ma-  
 gnopere cuperemus adhuc unum, aut alterum ejusmodi  
 doctum, & pium tuæ Societatis theologum in dictum  
 Collegium a nobis hic institutum adsciscere seu coopta-  
 re, qui jam dictis duobus viris, in colenda vinea Do-  
 mini laborantibus, suam quoque piam operam, & au-  
 xilium præstarent. Et jam duos tales insignes theolo-  
 gos ejusdem Societatis tuæ, & Germanicæ nationis in  
 academia Ingolstadiensi esse audivimus, quos tamen tu  
 isthic aliò transferre decreveris. Licet autem nos hac  
 in re Illustrissimo Alberto, comiti Palatino Rheni, Du-  
 cis superioris, & inferioris Bavarix filio, consangu-  
 neo, & Principi nostro charissimo, præjudicium aliquod  
 inferre nollemus, prædictos duos viros ex suo gymnasio  
 in nostrum hoc Viennense traducendo; tamen si tu istos  
 isthinc avocare, & in alium locum transferre omni-  
 no statuisses, te benigne requirimus, quòd nobis eos  
 concedere, nec aliò quàm in nostrum hoc Collegium  
 Viennense transmittere velis. In quo sanè facturus es  
 rem non modo ad conservationem studii sacrarum lite-  
 rarum, sanctæque catholicæ, & orthodoxæ religionis  
 nostræ propagationem, in primis appositam & conve-  
 nientem, verum etiam nobis valde gratam, & omni  
 gratià, regiàque nostra benignitate erga te recogno-  
 scendam. Datum in Civitate nostra Vienna die 4. men-  
 sis Dec. anno Domini 1551. regnorum nostrorum Roma-  
 ni 21.; aliorum verò 25 Ferdinandus.

110. De prioris epistolæ argumento ex Oril. l. 10. n. 102.  
 103. hæc delibo. Habebatur, inquit, Cæsareus Augustæ  
 Conventus; & Jajus ut in tanta nobilium frequentia  
 stre-



strenuam, atque salutarem navabat operam gentium diversarum mortalibus . . . . ubi cum Urbanus Labacensis Antistes plurimum illi tribueret, specimenque de cetera Societate ex eo caperet, Regi Ferdinando, cujus confessionibus, & eleemosynis præerat, valde suasit, ut ad Viennensem Academiam aliquot de Societate Theologos advocaret, & ad perennem commoditatem ipsi Collegium Societati Viennæ fundaret. Accepit libenter pius Princeps eum sermonem: cumque ex aliis, & ipso Jajo, quæ Collegiorum nostrorum essent instituta, quæ opportunitates cognosset, omnino induxit animum rem primo quoque tempore ad effectum deducere: deque ea literas ad Ignatium, atque ad ipsum Pontificem continuo dedit, quæ in exitu anni perlatae sunt Romam. *De Claudio Jajo Sotuellus in Biblioth. Soc. J. : Anno, inquit, 1551. exeunte Junio Viennam Austriae missu S. Ignatii, e Bavaria venit, ad exordia Collegii, quod in ea Urbe Ferdinandus Rex moliebatur fundare. Jaji Collegam, de quo altera Ferdinandi epistola, Schorichium fuisse discimus ex Oril. l. II. n. 39., ubi ait ipsum & Jajum ex Bavaria missos. Duo verò insignes illi Theologi nationis Germanicæ ex Academia Ingolstadiensi, de quibus eadem epistola, abs dubio erant Petrus Canisius, & Nicolaus Gaudanus ab Oril. laudati lib. 10. n. 101. his verbis: Cum Ferdinandus Rex Romanorum jam Societatis Collegium Viennæ excitasset in Austria, supraque ceteros Socios Theologorum par a Pontifice postulasset, Canisius simul & Gaudanus (nam Schorichius ante discesserat) Viennam translati, summo & Academiae & populi Ingolstadiensis dolore, ac Duce etiam perinvito. Sed obediendum Pontifici fuit, & Ignatio, qui ut Alberti quoque pietati faceret satis, commodatos eos potius Ferdinando, dum & Ingolstadii maturitas adesset condendi Collegii, quam traditos scripsit: nihilo tamen minus quo moras abrumperet, discedendi spatium diem ab acceptis mandatis quartum decimum præfinivit. Hac ibi per errorem, forsitan typographi, ad annum inchoatum sæculi tertium, & quinquagesimum referuntur: Sed P. Agricola ad an. 1552. n. 2. & 15. ineunti 1552. eadem*



Anno dem adscribit, & Orlandinus ipse l. 12. a n. 40. Canisium, & Gaudanum anno 1552. Viennensibus annumerat. 1551. Ut autem verum sit ex Orl. l. 11. n. 39., quod anno 1551. Viennæ Romanorum Rex Ferdinandus tredecim ab Ignatio viros in primis navos, & ad rem gerendam industrios impetravit; id certè post datas quarto Dec. literas ab eodem Ferdinando contigerit. Ex his porrò Ferdinandi literis apparet, Summam Christianæ Doctrinæ, quæ triennio post edita est a Canisio, qui non minus pià quàm erudità panegyri Jaji funus honestavit, ad hunc esse magnà ex parte referendam: tanti enim viri lucubrationes usui fuisse Canisio quis dubitet? Nec enim, hac perlecta epistolà, fas est de Jajo dicere cum Orl. l. 14. n. 43.: sed is, antequam opus aggredereetur, vitam absolvit. Accedit, quod postremis Ferdinandi literis videtur Ignatius respondisse epistola, qua teste P. Longaro Oddio in Canisii vita cap. 7. ei suggerebat, ut Canisium & Gaudanum ipse a genero suo Alberto, Bavaricæ Duce, Viennensi Collegio impetraret. Ex eisdem Ferdinandi literis collegerit Matthias Tannerus in Societate Europæa, Canisium fuisse Viennam evocatum anno 1551.

III. A Bollandianis t. 7. Jul. p. 501. editæ sunt plures Alberti Bavaricæ Ducis ad Ignatium literæ, quarum primæ die 25. Jul. 1551. datæ inscribuntur: Reverendo in Christo Patri, syncere nobis dilecto, Ignatio Præposito Societatis Jesu Christi in Urbe, amico nostro, Romæ. Reverende Pater, amice in Christo syncerè nobis dilecte. Vacantibus Vicecancellariatu Studii nostri universalis Ingolstadiensis, ac Canonicatu, & præbendà ecclesiastica Eystettensi; quòd tam hoc officium, quàm dictus canonicatus & præbenda a primæva institutione, ac fundatione ad doctores tantùm theologiæ spectent, & pertineant, quem admodum confirmationes desuper Sedis Apostolicæ, a Paulo II. Pontifice emanatæ, volunt, statuuntque: Vestri Ordinis etiam dilecto nobis magistro Petro Canisio confratri, qui summa cum laude, nec minori cum fructu sacras ibidem profitetur docetque literas, utrumque offerri commisimus. Nam & plures, & clarissimi nominis theologi, quique superiori-

bus



Anno  
1551.

bus temporibus eo functi sunt, fructusque, & reditus, & proventus eidem officio annexorum canonicatus & præbendæ perceperunt. Nec existimavimus, quòd prædictus Petrus hoc officium, quod dignitatis tantum nomen, nec laborum onera habet, aut emolumentorum specialium commoda percipit, non suscepturus foret: verum excusationis suæ rationes attulit obedientiam, ac paupertatem; quibus cum vobis, & ordini vestro ex voto addictus sit, non sibi licere significavit, absque vestro tamquam sui Superioris consensu, sæpe dictum officium suscipere. Volumus igitur Dilectionem vestram scire, quod iam innotuisse vobis arbitramur, Reverendum in Christo Patrem, & D. amicum nostrum, honorandum Episcopum Eystettentem, ipsius Universitatis nostræ verum Cancellarium existere: quandoquidem autem ob alia graviora negotia, apud Universitatem adesse non potest; habet qui vices suas apud eandem gerat: hic Vicecancellarius nuncupatur: nec aliud quod agat, habet, quam in collatione graduum licentiæ, doctoratus & magisterii, promovendi potestatem candidatis imperiatur, ac oratione convenienti Scholares ad studia, & morum decentiam adhortetur: ab aliis verò omnibus profanis negotiis Universitati in secularium administratione incumbentibus omnino liber, & immunis est. Ceterum, ut dignum est, eo habetur in honore, quo Cancellarius ipse, cujus personam repræsentat. Cum igitur nullus rectius Episcopi vices gerat quàm ille, qui in eodem vitæ statu existit, ac religione, eruditione, prudentia, vitâ denique quam maximè par est; uti theologi istud officium hactenus semper commissum fuit, facile a vobis nos impetrare posse persuasum habemus, ut Dilectio vestra tamquam Superior, & Præpositus, penes quem omnis est autoritas hujusmodi concedendi, intuitu nostro consensum, & assensum præbeat, quo præfatus magister Petrus Canisius sæpe dictum Vicecancellariatum acceptet, eoque fungatur, & canonicatus præbendæque supradictorum emolumenta percipere valeat: in quo nobis rem gratissimam, toti verò Studio Ingoistadiensi nostro exoptatam, & desideratam facie-



*Anno* 1551. tis: Nosque, ut pro ea dignitate tam ipse Canisius; quam ipsius collegæ in omnibus necessariis honorificentius, splendidiusque tractentur, efficiemus.

112. Porrò cum adhuc in ea simus deliberatione, quemadmodum vestri Ordinis Collegium apud nos erigatur, uti aliquando ex nostris cum literis, tam nuntiis Dilectio V. intellexit: ac ut ipsum institutum opus perficiatur quam primùm, cupiamus; perneceesse est, ut ultra hos duos a vobis ad nos missos magistros, Petrum, & Nicolaum, adhuc vestrâ operâ alios duos, vel tres viros doctos, quibus præcipue Ordo vester præcellit, conducamus. Nam certè, crescente discipulorum numero, immensis, & continuis laboribus isti præsentés soli minimè sufficient: defatigati enim succumbent tandem. Quapropter iterum a Dilectione vestra petimus, ut nobis quam primùm significet, quot, & quales adhuc nobis cum primis ad dictam Universitatem mittere valeat: eo enim intellecto, necessaria illis in viaticum ordinabimus, ne quid incommodi patiantur; sed honorificè, ut digni sunt, tractentur. Hoc vos pro pietate vestra erga afflictam Remp. Christianam, ex cuius usu, & utilitate hæc facimus, & nostro singulari erga Ordinem vestrum, devotoque studio, necnon propensissimo animo, haud difficulter facturos, non ambigimus; ad omnia, & universa commoda vestra quamcumque operam & benevolentiam nostram Dilectioni vestræ, Ordinique sibi commisso offerentes, pollicentesque. Datum ex civitate nostra Monacensi 8. Kal. Augusti anno 1551. Albertus Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, superioris & inferioris Bavariæ Dux &c. *Corrigendus hinc Orlandinus l. 10. n. 100., ubi anno 1550. adscribit Ignatii responsum ad priorem hujus partem de Canisio: Idem, ait, ab Duce Alberto, universaque Academia in Procancellarii, qui excesserat, locum sublectus est, & magnis precibus ex Ignatio postulatus: sed nec humilitati, nec paupertati Societatis administratio talis, cui & Canonicatus Aistætti adjunctus erat, satis est visa congruere. Nec sane e republica erat, cum ea procuratio in totam vitam demandari sole.*



soleret, tantam viri virtutem Academiae uni affigi. Anno  
 113. Bartolius in vita S. Francisci l. 2. c. 7. tradit, 1551.  
 D. Joannem Borgiam, secundum Francisci filium, ejusdem-  
 que in Oñate socium, de nimio patris in semetipsum rigore,  
 asperrimoque vivendi genere, S. Ignatio clam scripsisse,  
 ut quam nec ipse precibus, nec alii rationum momentis im-  
 petrare ab illo poterant moderationem, pro sua ipse autori-  
 tate & potestate vi obtineret obedientiae, quae sola posset  
 patris ardorem cohibere. Mox aliam indicat biographus S. I-  
 gnatii epistolam, qua eidem praecepit; ut e suis latebris ad  
 animarum salutem in apertum prodiret; tum illico ejusdem  
 Apostolico ardori oblatum fuisse patentem latissimè campum,  
 copiamque segetum amplissimam, cum a D. Bernardino de  
 Cardenas, Navarrae Prorege, humanissimis literis Pampe-  
 lonem vocatus maximam de se conceptam opinionem potens  
 in opere & sermone longè superavit. Tribus tantum heb-  
 domadis ibidem commoratus, nondum Octobris die postre-  
 mo discesserat, autore Bartolio: non itaque, postquam e  
 Navarra per Alavam Ognatum rediit, postremis anni 1551.  
 tribus quatuorve mensibus Vergaram, ejusque agrum ex-  
 coluit, ut produnt Bollandiani t. 5. Oct. p. 179. n. 117.  
 P. Alvarus Cienfuegos lib. 4. c. 3. & Bartolius l. 2. c. 8.  
 egregias produnt missas ad Ignatium literas mense Dec. 1551.  
 ab Oppido Vergara, ipsiusque Vicario Domino Solis, & a  
 Domino Beltrano Lopez, Domus Ozaetae Domino, e quibus  
 in Borgiae simul, & Ignatii laudem Latine reddo, quae sunt  
 a Concilio, Magistratu, Senatuque Vergarensi conscriptae:  
 Paternitati vestrae totus qua latè patet Christianus Or-  
 bis summum debet quoad ejus fieri potest, officii quod-  
 vis, & gratitudinis genus pro Divinarum, Spiritualium-  
 que rerum lumine, quod in tantis hujus saeculi tenebris  
 quaquaversus diffundit. Sed montanus hic tractus no-  
 ster prae quavis alia regione singularia tibi praestare de-  
 bet, ac maxima officia, quod tantum huc luminare mi-  
 seris, tamque sollicitum excitatorem, Patrem videlicet  
 Franciscum, Ducem antea Gandiensem. Vergara nunc  
 est adeo prorsus in aliam ab ea immutata, quae ante  
 illius adventum erat, ut (omnia scilicet duobus hisce  
 verbis complectimur) nec illa quae olim appareat, nec  
 pla-



*Anno* 1551. planè seipsam agnoscat. Qua de re a cunctis mirifici produntur questus, ac doloris sensus, dum se vident eodem propediem fore privandos: instanter eum rogant, ut apud ipsos maneat; vir autem sanctus respondet, se quidem paratum esse ipsorum commodis animorum se totum præstare, suosque labores omnes, ac sudores cum ipsa vita in eisdem impendere, modò id sibi mandetur obedientiâ. Verùm de seipso, sui que usu nec velle sibi esse, nec nolle: quod propter Deum inter alia vel in primis propriam etiam abjecerit voluntatem, adeoque perperam ex ipso peti, quod a solo Superiorum ejus arbitrio, ac voluntate pendeat. Datum die 6. Dec. 1551. *Aloisia Borgia, S. Francisci soror, de qua iterum n. 138., magnis ornatur laudibus a Bartolio l. 4. c. 9.; ubi dein narrat, eam magnopere studuisse interposita etiam provincialis Araozii autoritate, Franciscum fratrem ex Oñatensi recessu domum suam adducere, quo posset diurno fere itinere pervenire: hæc ipsi misit aræ ornamenta, & sacrificam omnem supellectilem, graphice elaboratam & acu a se pictam, qua Lojolæa in domo peragendæ primæ liturgiæ usus est. Verùm omnia incassum, ut e cara sibi solitudine vir sanctus amoveretur. Quare pia soror idem a S. Ignatio literis flagitavit, cujus vel nutu fratrem ad se venturum sciebat, tametsi ultima etiam abesset in India. Cui Ignatius respondit, rogare se ipsam, ut Deo illud suum desiderium offerret & in sacrificium donaret, nec Patrem Franciscum privaret merito, nec alios tantæ virtutis exemplo, quæ quidem est propria religiosi viri, mortui ut sint omnibus vel carissimis hujusce mundi rebus. Certum hujus epistolæ tempus videtur brevitatis gratiâ prætermissum, ejusdem tamen argumentum vix dubitare me sinit, quin sit in hunc annum 1551. commodè referenda.*

114. Idem Cienfuegos lib. 6. c. 11. edit Borgia ad Ignatium eximiam responsionem, datam Cñate die 23. Julii, anno prætermisso; quam Ignatianis hujus anni 1551. adjunxi ob ejus præstantiam, & rerum varietatem, quæ ab Ignatio ipsi dicebantur, & ipse vicissim renuntiat. Eximii biographi parum accurata, & incuriosa temporum notatio



non leve mihi facessit negotium, ut omnia, quæ a Borgia Anno  
 breviter indicantur, huic potiùs anno, quàm sequenti con- 1551.  
 gruere statuerem. Borgia enim vero Cardinalitiæ dignitatis  
 metu quarta die Febr. labentis anni Romà noctu aufugiens  
 tantâ celeritate in Cantabriæ montes se contulit, ut ibidem  
 diuisione filio renuntiata, & Ducali cultu cum viliori Socie-  
 tatis Jesu habitu commutato, 23. Aprilis 1551. teste Bar-  
 tolio l. 2. c. 6., Ignatio scripserit, Oñatense Collegium a  
 se construi jam cœptum infra mensem planè absolvendum:  
 dictum factum. Majo videlicet proximo absolutum, teste  
 Alvaro l. 4. c. 5. Addit Bartolius, Borgia die 8. Sept.  
 consequentis migrasse in novum illud S. Mariæ Magdalenaë  
 Collegium. Pauperrimum hoc diversorium ita Borgia pla-  
 cuit, ut ad Ignatium nusquam se alibi libentiùs, quàm in  
 hoc paupertatis domicilio commoraturum, perscripserit; ex  
 Boll. t. 5. Oct. p. 177. n. 111. Mensis Maji die 24. Oñate  
 Sacerdotio initiatus ab Illustrissimo Gaona Calagurritani  
 Episcopi suffraganeo, vicina quæque oppida, Vergaram in  
 primis, Apostolicis lustrabat concursationibus, Pampelonem  
 usque, Victoriam, & Bilbaum digressus: proximo autem Mar-  
 tio die 19. 1552. Vergara in Castellam profectus tot in ea  
 urbes, & oppida divino verbo illustrasse dicitur, ut vix  
 Oñatem ad Julium mensem redire potuerit. Sed præstat  
 laudatæ epistolæ tempus ex ipsa definire. Vergaræ, inquit,  
 Sancti Petri die concionari cœpi: primaria scilicet Ec-  
 clesia, S. Petro dicata, a Borgia nondum Clerico Sacra-  
 mentorum causa frequentabatur; ubi proinde jam Sacerdos  
 anno 1551. ejusdem Apostoli festo die concionari cœpit.  
 Præterea M. Miro tunc ad tempus Conchæ postulabatur,  
 qua de re inter Mironem ipsum, & M. Domenechum (Va-  
 lentiæ degentem) deliberandum erat: atqui, teste Cienfue-  
 gos l. 4. c. 4. p. 237., P. Miro Aprili mense 1552., quo  
 Borgia Salmantica versabatur, Lusitanæ præerat provin-  
 ciæ. Nec quod addit de superstitionibus octo mensibus ex an-  
 no, Oñate, ut ait, tribuendis, potest omnino tribui vel  
 intelligi, nisi a primo ejusdem illuc adventu annus compu-  
 tetur: Ait denique se de M. Joanne Patrem M. Simonem  
 dicentem audivisse: nempe Simon Rodriguez Romà in Lu-  
 sitaniam redux in Oñatensi recessu Borgia convenit; ab  
 eoque



Anno 1551. eoque literas accepit datas Onate 19. Maji 1551., teste Bartolio l. 4. c. 4., Lusitanis sociis a se ferendas, quibus Franciscus peccator (sic enim subscribebat etiam die 15. Aug. 1551.) mirificos effert propriæ depressionis sensus, apud eundem Alvarum l. 4. c. 3. p. 228. Ubi omissum subscriptionis tempus, & res ipsa sub anni exitum narrata, temporum rationes conturbant; quibus tamen ex dictis, ni fallor, consuletur. Alia plura, quæ in epistola indicantur, vel affatim ex Orlandino illustrantur, vel eidem vicissim lumen affundunt. Enim vero quod Ribadeneira & Orlandinus prodiderant, inito Sacerdotio Franciscum secessum illum, qui passibus mille non amplius abest, B. Mariæ Magdalenaë sacrum, ab Ognatensibus impetrasse, ut humiles ibi & angustas ædes in Collegii formam construeret, ex laudata apud Bartolium epistola corrigendum. De solita Borgiæ subscriptione, Franciscus peccator, Ribadeneira l. 4. c. 1. simul atque, ait, se Ducis titulis sponte abdicavit, cultumque Societatis induit, cœpit literis subscribere: *Franciscus peccator*; testaturus, credo, quod de se ipse sentiebat; pluresque Sanctos imitaturus, qui se præ sua modestia sic compellere, ac subscribere consueverunt, teste Cæsare Baronio in annot. Martyrol. 4. April. Ignatius tamen, ne sermonem aliis daret, neve in re inusitata seciùs sentiendi, ac loquendi ansam præberet, jussit postmodum, ut se Franciscum solummodo, tacito peccatore, subscriberet: quod & fecit. Bartolius verò, quem Ribadeneiræ sententia non latebat, lib. 4. c. 4. aperte asserit, Borgiam jam inde a Gandiensi sua professione illum Francisci peccatoris titulum subscribendis, ad nostros præsertim, literis usurpasse, quòd quidem agnomen istoc sibi proprium agnosceret; quoad nimirum a patre & superiore suo S. Ignatio mandatum illud accepit: Quare cum literis ad Ludovicum, Regis Lusitaniæ fratrem, Onate datis 15. Aug. 1551., Franciscus peccator subscripserit, Ignatianas hac de re literas nondum acceperat. Jam vero tametsi non semel complurium amicorum, & indigenarum studia excitaverim, ut latentes apud Cantabros Ignatii epistolas vestigarent, cassè hactenus laboravi.



115. P. Aguilera Hist. Prov. Sic. t. 1. p. 87. 88. *anno* Anno  
*labenti hæc adscribit*: B. Ignatius Natalem seriò, nec 1551.  
 semel præmonuerat; ut si forte de constituenda Aca-  
 demia Messanæ non convenit, nobiliores ibi artes tradi  
 posse negaret, quòd Societatis rationes ita ferrent;  
 statueretque, demptis linguis, & eloquentiæ studiis,  
 disciplinas præterea omnes silere oportere... Ea qui-  
 dem Ignatii mens fuit; ut in ea Doctorum inopia,  
 quam nascentis Societatis initia sustinere vix poterant,  
 liberales artes in Romano Collegio, linguæ in Mamer-  
 tino traderentur. *Apud Orland. l. 11. n. 46. S. Ignatius*  
*pro sua mansuetudine ac pace non probavit impensum P. A-*  
*driani ab Adriano studium, quo Lovanii Jacobum quem-*  
*dam Academicum invito Magistro cum turbis Societati ag-*  
*gregavit. Itaque ab Jacobi magistro etiam veniam, si quid*  
*hominem offendisset, jussit eum Ignatius humiliter petere.*  
*Gaspar Barzæus labente hoc anno accepit Ormuziæ S. Fran-*  
*cisci Xaverii literas, quibus illum in Japoniam vocabat,*  
*mensis autem Februario sequentis anni 1552., Xaverio Goam*  
*reverso, hic mutatâ sententiâ Barzæum suæ potestatis Vica-*  
*rium in India remanere constituit. Quare in annum 1551.*  
*refero Barzæi literas, in ejusdem Italica vita c. 21. indi-*  
*catas, quibus S. Ignatio scribebat, sperare se Christi no-*  
*minis ac fidei lumen Japonibus afferre, tum Sinas adire*  
*eosdemque ad veram fidem adducere, inde Tartariam ma-*  
*gnam transire, atque infidelibus ad Ecclesiam converten-*  
*dis progressum, ad Europam tandem, ac Romam ipsam*  
*ad ejus pedes venire. Hæc eisdem fere verbis, quibus aliàs*  
*Xaverius Ignatio, egregius sanè discipulus. Hactenus de*  
*anno 1551.*

116. Annus 1552. ceteros omnes Ignatianarum episto- 1552.  
 larum copiâ superat apud me, qui præter quinque inedi-  
 tas, novem ipsas hoc anno scriptas, & Latinè, Italicè,  
 Hispanicè, ac Lusitanicè, vulgatas, in unum collegi: mi-  
 nutum quidem præ tanta messe spicilegium, sed meæ tamen  
 inopiæ jucundissimum. Ignatianas præcedet S. Xaverii ad  
 S. Patrem epistola, data 29., al. 25., Jan. 1552.; quæ  
 in editione Bononiensi nonnihil est aucta: dein post primam  
 S. Ignatii sequetur altera ejusdem Xaverii ad ipsum, mis-



Anno 1552. *sa die 9., al. 7., Apr. 1552.; ex eadem editione casti-*  
*gata: sunt autem libri quarti ep. 1. & 17. Jam verò pri-*  
*ma S. Ignatii, quæ 31. Jan. 1552. missa est Serenissimo*  
*Cardinali Henrico Evorensi Archiepiscopo, Regis Lusitaniæ*  
*fratri, & Evorensis Collegii fundatori, inscribitur: Do-*  
*mino meo in Domino nostro Cardinali Regis fratri.*  
*Quam P. Tellez t. 1. l. 3. c. 18. Lusitana in lingua vul-*  
*gavit: 2. ex ineditis, data 6. Maji 1552. ad Civitatem*  
*Parmensem, Italicè in ejusdem urbis tabulario autographa*  
*servatur: 3. Joanni Silicæo Cardinali Archiepiscopo Tole-*  
*tano, & 4. Cardinali Poggio Pontificio in Hispania Nun-*  
*tio, datæ sunt simul primo Jun. 1552.; editæ pridem a*  
*P. Alcazar. Notæ sunt vulgò excitatæ a Card. Silicæo*  
*in Societatem Jesu procellæ, de quibus Ribadeneira l. 4.*  
*c. 4., pluribus Orlandinus l. 11. a n. 57., & alii: quæ-*  
*dum eas in annum 1551. referunt, exordium potiùs, quàm*  
*progressum ipsarum, finemque respiciunt, ut ex dictis lite-*  
*ris nunc est manifestum. Julius Pontifex, inquit Orl. l. 11.*  
*n. 61., Bernardino Maffæo Cardinali, qui erat ei ab*  
*epistolis, & arcanis, negotium dat, ut ad suum in His-*  
*pania Nuncium, qui, ut dixi, erat Poggius, idemque*  
*jam Cardinalis Legatus; & ad ipsum Archiepiscopum*  
*Toletanum suis verbis scribat, ut iniqua illa contra So-*  
*cietatem edicta, quamprimum revocet: Eas literas, pri-*  
*usquam darentur, cum Pontifex inspexisset, tametsi*  
*magnas, ac præclaras Societatis laudes continebant,*  
*tamen ad ceteram commendationem, hoc insuper addi*  
*voluit, Societatem toto Christiano Orbe amari, huma-*  
*niter accipi, in pretio esse. His acceptis literis Pog-*  
*gius, ... cum Archiepiscopo de revocandis edictis, &*  
*per literas, & coram agit. Obluctari ille, & fixus in*  
*sententia permanere: instare hic, urgereque, & pre-*  
*mere, quam summa ope citra apertum dissidium pote-*  
*rat: quoad videns Antistes Legatum serio agere, cau-*  
*samque toto pectore suscepisse; nec nisi perfecta re-*  
*quieturum, maluit videri ejus autoritatì, quam pote-*  
*stati cessisse. Contrario itaque prioribus decreto edi-*  
*xit, anathemate, aliisque propositis pœnis, ne quis So-*  
*cietatis jura ab Apostolica Sede concessa, & in obeun-*  
dis



dis ejus ex Instituto muneribus libertatem imminueret... *Anno*  
 Hoc optatissimo compositionis accepto nuncio B. Ignatius literas officii plenas ad Archiepiscopum dedit, ... *1552.*  
 Atque hæc per literas Villanovæ mandavit, cura ut  
 omni, studioque præstaret. Ajebat enim privilegiorum  
 præsidia, tum demum in animorum causa perutiliter ad-  
 hiberi, cum ad eos ita juvandos voluntas proximi Pa-  
 storis accederet: cumque ea de causa ab Apostolica Se-  
 de privilegia tribuantur, ut eo facilius animis consu-  
 latur: nisi ex eorum usu hæc ad animos derivetur uti-  
 litas, imo potiùs retardetur, quo Pastores non consen-  
 tiant, satius esse ea omnino non adhibere, quam con-  
 tra eorum nutum adhibendis, sua spe, ac labore fru-  
 strari.

117. *Quinta ex Ignatii mandato ab ejusdem scribæ Joanne Polanco die 1. Jun. 1552. conscripta Borgiæ, a Bartolio primùm edita est lib. 3. n. 29., tum a Cienfuegos minus accuratè l. 6. c. 10.: 6. sine temporis subscriptione a P. Alcazar edita Decade 1. p. 164.; simul cum quinta Borgiæ ab Ignatio missa est; id quod utriusque collatio manifestat: Securus in Ognatensi recessu tum Borgia, inquit Orlandinum l. 12. n. 4., & nihil suspicans, sibi Deoque vacabat; cum tristem illum, & inexpectatum ab Urbe nuncium accepit: & tam longe propectam Pontificis voluntatem, ut ad honores se vocaret, ingemuit: proque eo ac debuit, is qui vestium squallorem, religio-  
 sique cultus humilitatem cunctis purpuris præferebat, indoluit. Sed lætior ab Ignatio nuncius, qui rem sua jam industria, ac labore discusserat, subinde perlatus, tristitiam omnem, mœroremque detersit. Paulo ante n. 114. dicebam, vix ea omnia, quæ ab Aprili mense per Castellam a Borgia præclarè gesta Cienfuegos commemorat, ante Julium mensem 1552. fieri potuisse; idem tamen Biographus, Orlandinum secutus, Borgiam ait Cñate relatos nuncios, & literas accepisse. Veretur autem, ne tantis viris fucum fecerit summus antesignanus Ribadeneira lib. 2. de Borgia c. 5., ubi eadem quidem uti apud Cñatem gesta memorat; sed tam ibi, quàm lib. 3. de Ignatio c. 13. gesta Borgiana ita permiscet, ut anno 1551. tribuat, quæ certè de-*



Anno 1552. *ventur sequenti. Sed his curiositate eruditorum obiter excitata, utilius erit ad pietatem præcipuos sextæ, quam dixi, epistolæ Ignatianæ sensus Orlandini verbis ac monito n. 3. declarare: tertio die, omni trepidatione sublata, tanta est in ejus (Ignatii) animo consecuta tranquillitas, tanta fiducia; ut omne suum studium, atque omnem operam interponendam esse decerneret, ne res ad exitum proveheretur: idque ab se prætermitti salva prorsus religione non posse: cum tamen fieri posse profiteretur, ut etiam, qui contra sentirent, & agerent, ad id incitarentur a Deo: neque hac in re ullam repugnantiam esse. Quod disciplinæ spiritualis rudioribus utile documentum est, ne facile alteram partium condemnent in una eademque re per se se non mala promovenda, disturbandaque certantium. Nam tametsi exitum sortiri non potest utraque, fieri tamen potest, ut Deus velit pro se utramque conari.*

118. *Septimam ex archetypo suo Latino desumptam, & studiosè collatam, e Placentino Ducali Jesuitarum conventu humaniter ad me misit bonæ memoriæ vir clarissimus Emmanuel Azevedo; simulque monebat, Elpidium de Ugolettis, cui hæc missa est epistola, olim Parmensi domo, & Canonicatu nobilem, egregiè a Patrignano in Menologio laudari ad 26. Februarii. Superiori anno n. 106. vidimus hunc Elpidium Patavio Pisas ab Ignatio evocatum. Hæc literæ, uti patentes aliæ Ignatianæ, a Polanco Latine conscriptæ, & ab Ignatio more solito subscriptæ sunt, ac sigillatæ Romæ 19. Jul. 1552. Octava, quæ etiam ut septima est inedita, die 29. ejusdem Julii missa est Rodulfo Pio Cardinali Carpensi: autographum ejus Italicum Romæ religiosè colitur ad S. Apollinarem in Collegio Germanico, teste P. Julio Cordara in diserta Collegii ejus historia pag. 12. Duplex nactus sum apographum, recens unum a D. Alexandro Batier ex autographo quàm diligentissimè descriptum, vetustissimum aliud a clarissimo D. Faustino Arevalo inter alia id genus munera transmissum. Bollandiani t. 7. Jul. p. 493. n. 440. laudant apographum literarum Cardinalis Carpensis, de faciendâ Bulla pro erectione Collegii Germanici in Urbe, & aliis eò spectan-*



etantibus. Datæ signantur Viterbio die 3. Augusti 1552. *Anno*  
 Earum argumentum, seu contextus Italica sunt; sub- *1552.*  
 scriptio Latina hæc: Uti frater R. Cardinalis de Car-  
 po. *Inscriptio item Latina.* Reverendo in Christo Pa-  
 tri Domino Ignatio, Præposito Societatis Jesu Romæ.  
 Hæc abs dubio responsio est ad Ignatii epistolam, quæ la-  
 tuit Bollandianos. Latuit etiam hactenus Nona, quam bo-  
 næ mem. vir egregius D. Michael Garzia exscripsit e ma-  
 nuscriptis D. Ignatii Romberg olim Societatis Jesu Assisten-  
 tis Germaniæ. Tota Latina est, præter postremum subscri-  
 ptionis versum Hispanicè adjunctum. Inscribitur: Dilecto  
 in Christo fratri D. Claudio Jayo Theologo Societatis  
 Jesu. Viennæ Austriæ. Datæ 30. Jul. 1552., quò fidem  
 solvat pridie Carpensi datam. Germanici Collegii laudes  
 cum ab aliis, tum a Romanis Pontificibus a Julio III. ad  
 Bened. usque XIV. a Lagomarsinio collectas, dabit eruditus  
 romus 2. Epistolarum Julii Pogiani a pag. 163.

119. Decimam, die 9. Aug. 1552. datam ad P. Lu-  
 dovicum Gonzalez de Camara, edit P. Tellez t. 2. l. 6.  
 c. 46. Ludovicus is est, qui dein antiquissimam S. Ignatii  
 vitam, vulgo Consalvianam, conscripsit: de qua multis  
 Bollandiani t. 7. Jul. a p. 591. Undecima ad Ducem Na-  
 jaræ data 26. Aug. 1552. Hispanice ac Latine edita est a  
 P. Ribadeneira lib. 5. c. 5., & ex eo ab aliis; in quibus  
 P. Gabriel Henao t. 2. Cantabriæ l. 3. c. 35., ubi multa  
 de illustri domo Ozaeta; desiderat autem Ignatii responsum  
 ad Ducem de Alburquerque. Duodecimam die 25. Oct. 1552.  
 datam ad Montis Politiani cives, mihi a concivibus suis im-  
 petravit Illustriss. D. Angelus Carlettius, nunc Metropolis  
 Florentinæ Canonicus, cum fide publica, & testimonio sub-  
 scripto ab Illustriss., & Reverendiss. D. Petro Franzesi Po-  
 litiano Episcopo, ejusque Cancellario D. Nicolao Chiantini,  
 qui autographum ejus Italicum, sigillis quinque munitum,  
 in Urbis suæ Cancellaria servari testantur. Inscribitur a  
 tergo: Jesus. Admodum Magnificis Dominis meis in  
 Christo Colendissimis Dominis Priori, & Vexillifero  
 Urbis Montis Politiani. 13. verbis, & mandato S. Igna-  
 tii scripta a P. Polanco 2. Nov. 1552. ad P. Lainez, e-  
 dita est a P. Alcazar. Eam indicat Orlandinus lib. 12.



Anno n. 21., ubi postquam Ignatius, Paschasio in Galliam mis-  
 1552. so, Lainium in Italiae administratione provinciae subrogavit:  
 Cum Lainius, inquit, Provincialatu inito, semel, atque  
 iterum per epistolam leniter expostulasset, quod Socio-  
 rum Romam accitu Collegia per Italiam necessariis ca-  
 rerent operis, respondit B. Pater, dolere sibi, quod  
 ita ille sentiret, ac scriberet, cum praesertim prioribus  
 literis esset admonitus, communia anteponenda priva-  
 tis. Proinde posteaquam super ea re aliquandiu cogi-  
 tasset, renunciaret, an ne errasse se se cognosceret, si-  
 que deprehenderet culpam, simul adjiceret, quid subi-  
 re poenae paratus esset. Rescripsit Lainius Novembri  
 mense Florentia, iterum, ac saepius se has legisse li-  
 teras, & in eis materiam erubescendi multam, collau-  
 dandique divinam misericordiam, augendaeque magis, ac  
 magis caritatis, ac reverentiae suum erga Praepositum in-  
 venisse. Inde humiliter rogans, ut ubi opus existimaret,  
 adhibere monita omni cum libertate ne gravaretur, quod  
 quamvis aegre ferret causam; tamen agnoscat gratiam,  
 & Deo juvante laetus acciperet, sua nominatim in ea  
 re peccata, quae multa (ut loquitur) & notabilia a-  
 gnoscebat, exequitur. Nam praeterquamquod ipsum I-  
 gnatii iudicium, ut divino lumine uberius collustrati sa-  
 tis persuadere sibi posset; tamen se quoque quamvis  
 exigui luminis, ac male domitarum perturbationum ho-  
 minem, videre talia esse mali exempli, ac potuisse di-  
 vine majori gloriae impedimentum afferre: conatum se  
 summæ providentiæ ordinem detorquere: suo Praeposi-  
 to, cui ut totam, ac certius gubernanti navim, accom-  
 modare suam partis gubernationem debuerit, molestiam  
 & dolorem creasse: cum proprio quodam jure ob ip-  
 sum munus, quod administrabat, eo incumbere, quo  
 ille inclinabat, deberet. Quod vero ad poenae attineret  
 optionem, non multos, ait, esse dies, cum animad-  
 vertens annum jam prope vigesimum agi, ex quo per  
 consilia Evangelica instituerat Deo servire, tantumque  
 ad id praesidiorum habuisse, tam parum profecisse, jani-  
 que non longe finem abesse, singulari quadam tactus  
 erat cupiditate sibi, suisque rebus penitus moriendi,



Anno  
1552.

vivendique soli Deo, eique soli placendi. Tum venisse sibi in mentem, si foris perinde, uti meritus esset, acciperetur, hoc est ut homo nihili, ac vile mancipium, id auxilio fore, ut secum habitaret, unaque cum Deo, rationesque suas omnes, & studia omnia in ejus laude reposita haberet: Itaque, inquit, Pater, cum redita est mihi epistola Reverentiæ vestræ habita ad Deum precatione multis cum lacrymis (quod rarum in me est) elegi, & nunc ipsum haud item sine lacrymis eligo ad ista vindicanda peccata, & radices unde prodeunt, tollendas, ut Reverentia vestra (in quam totam hac in re conscientiam meam rejicio, æquissimo animo quidquid jusserit amplexurus) per viscera Domini nostri removeat me ab aliis regendis, & ab concionibus habendis, & ab omni literarum tractatione, unico relicto Sacerdotali Breviario: jubeatque Romam mendicantem ire: ibique in culina, aut triclinio, aut horto, aut alio quovis ministerio ultimo; vel si minus ad hæc idoneus sim, in Grammaticæ infima schola contineat, exercentque usque ad mortem, nunquam respiciens, curansque me, nisi ut quisquilias, ac peripsema. Atque hæc pœna est, quam primo loco eligo, ac deposco. Hæc cum dixisset, secundo optat loco pœnam eandam, sed ad certum tempus, in biennium, aut triennium, vel quandiu Patri videretur. Quod si ne id quidem probaret, adjicit tertiam, multa flagella, jejunia ad mensam, ut a Provinciæ cura amoveatur: atque in posterum quotiescumque scripturus ad eum sit, prius adhibeat ad Deum preces, dein scribenda meditetur, tum scripta recognoscat, observans, ne verbo, aut sententia utatur, unde Patri molestiam, sed solum levationem, ac solatium, sicut plurimis debet nominibus, pariat: & alia id genus adscribit. Nobile sane obedientiæ studiosis exemplum, . . . Ignatio promptus ille animus, ac submissus pro satisfactione fuit. *Dubitare me facit Bartolius l. 3. n. 45. anne brevioribus suis literis ad Lainium ita scripserit: Caveret, dum partes superioris boni implere nititur, ne subjecti probi partibus deesset; motûs ejus radicem scrutaretur; quo nisi intra judicium proprium non*

sine-



*Anno* sinebatur quiescere; videret ex mero divini obsequii studio an ex cujuspian philautiæ tacito alveo duceretur, & ubi reum se deprehendisset, qua pœna se putaret plectendum, ad se perscriberet.

120. *Decimaquarta ad Socios in Europa data mense Dec. 1552. apud Bartolium Parte 2. Asiæ l. 6. n. 7. interprete P. Ludovico Janino: ubi agens de Jesuitarum ærumnis apud Molucenses, certo quidem, ait, inducor, ut putem ad has S. Ignatium alluisse nostrorum in Mauro, Amboino, Molucis calamitatum conflictationes, cum ad fulciendam in Europa Collegiorum quorundam constantiam, quæ durâ tunc premebantur inopia, revocaret illis in memoriam per literas, quæ nostri apud Indos paterentur; & sunt ejusmodi literæ, ut quam iis quondam contulere consolationem, eandem in similes casus sint semper allaturæ. Hactenus de integris hujus anni epistolis. Ex reliquis aliarum fragmentis, atque argumentis, primum seligo ex Or. l. 12. a n. 23.: Neapoli, ait, Collegio præerat Andreas Oviedus, præsidebat, ut tempus illud ferebat, superintendentis nomine, Bobadilla. Hos tamen inter duos nequaquam satis convenire videbatur, cum quidquid ille adstringeret; hic laxaret. Putidum Bobadillæ videbatur Sanctitatem Societatis exiguis quibusdam legibus alligari: censebatque domesticam disciplinam non tam ad minutissimarum legum normam, regulamque, quam ad solidæ virtutis rationem, officiique dirigendam... Quod ubi cognovit Ignatius, jussit Oviedum suo munere tota libertate defungi, nec se interponere Bobadillam; advigilarique ad custodiam legum minutissimarum. Sentiebat enim in his violandis plus plerumque latere periculi, quam in maximis: proptereaquod maximarum damnum, si violentur, apparet, facileque in promptu est: at earum, quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore, non sentitur.*

121. *Plurimas hoc anno tulit Ignatii literas Lusitania, præter duas integras nuper recensitas. Primum his dabo locum, quæ certas temporum notas præseferunt. Apud P. Tellez l. 6. c. 46. n. 6. M. Simon ad generalem Congregationem Romam profecturus, P. Ludovicum Gonzalez*



*in sui locum Magistrum Principis substituerat; Ignatius autem a Rege admonitus, P. Ludovicum præ modestia munus illud nimia quadam perseverantia detrectare, die 2. Jan. 1552. P. Ludovico in hæc verba scripsit: hisce literis tibi mando, atque in virtute s. obedientiæ præcipio, ne a Regis curia sine peculiari ejusdem, ac Principis mandato discedas; quod si has ab eadem absens acceperis, ut continuò, tuo commodo, in eam te conferas &c. Plura nobis servavit Joannes Petrus Maffejus in Vita S. Ignatii lib. 3. c. 10. ex ejusdem literis 22. Dec. 1552. datis ad Præpositum Lusitaniæ Didacum Mironem, de quibus Orlandinus extra tempus lib. 13. n. 55. parcius, quàm Maffejus. En Ignatii ex Maffejo sensus: Neque vero Provincialis, aut Generalis Præpositi officium est, minuta quæque, ac temporaria præsertim, in administrando sectari: sed cum ad personæ dignitatem honestius, cum ad tranquillitatem animi tutius est, ea præfectis inferioribus delegare, & rei confectæ rationem ab eis deinde repetere. Equidem in meo fungendo munere idipsum sequor: atque hujusce consilii majorem in dies fructum capio, quippe cum & labore, & sollicitudine levare me magnopere sentiam, ac tibi quoque valde sum auctor, ut curas, & cogitationes tuas defigas in commodis, & salute potissimum universæ provinciæ: & in rebus quidem singulis ordinandis, ac disponendis, cum opus est, & ipse versere, & hominum tuo judicio peritorum sententiam exquiras; ceterum ab iisdem rebus per te curandis, transigendisque ut plurimum abstineas, sed instar excelsi cujusdam motoris, orbis tibi subjunctos æquabiliter, & cum gravitate ciere pergas: a quibus deinde, ut a proximis causis, propria cujusque effecta proveniant: quod si feceris, & plura, & magis tuo muneri convenientia, sine tumultu, ac trepidatione confeceris. Præterea illud est in hac ratione commodi, quod si quid in agendo peccetur, ejus peccati præstat in tuis administris, quam in te residere culpam: ac multo magis decet, quidquid ipsi deliquerint, corrigi abs te, quàm si tu erraveris, (quod perfacile est singula curiosius persequenti) te ab inferioribus emendari.*

R

Quod



Anno 1552. Quod reliquum est, nobis Dominus Jesus Christus, ad ipsius voluntatem & clare intelligendam, & rite exsequendam pro sua benignitate lumen, ac vires imperiat, Romæ XI. Kal. Januarias MDLII.

122. Si qua fides Alvaro Cienfuegos, qui l. 4. c. 4. ineunti anno 1552. adscribit Ignatii ad Borgiam epistolam, qua sedandis Lusitaniæ motibus Turriani comes abire jubebatur; licebit hinc tutò judicare de aliarum tempore, quarum idem apparet scopus & argumentum. Ignatius, inquit, Borgiam excitabat Isaiaè verbis c. 40.: Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam; quibus addebat: in Dei nomine te hortor, carissime frater, ac mando, ut Guipuzcoà egressus, in Curiam Vallisoletanam te conferas, variasque obeas regiones, quoad per valetudinem licebit; ut tot personis primarum partium satisfacias, a quibus te scio concupitum, & ad se vocatum, quibus nimirum obsequium & gratitudo debeatur: quin & Collegiorum promove fundationes & incrementa, ut in Domino cognoveris ad majorem ejusdem gloriam expedire. Simul cum literis arcana misit monita, ut e Curia Salmanticam migraret Patri Turriano adjungendus, quem Lusitaniæ Visitatorem designabat, cui Borgia comes adesset. Jubebat etiam, ut pœnitentiæ rigorem temperaret. His acceptis literis, paulo post die 19. Martii Vergarà profectus, ante diem 24. consequentis Aprilis Salmanticam pervenit. Ubi de Lusitanis rebus a Provinciali Mirone certior factus, cessante jam præcipuà causà, susceptum illuc iter hoc anno intermisit. Hæc ille: quibus fit, ut Ignatii, quam dixi, epistola, spectato loco & tempore, Januario potius mense quàm Februario data videatur. Sub hoc igitur tempus datæ sunt plures illæ, quibus Ignatius toto pectore novam Lusitanæ provinciæ administrationem urgebat.

123. Porrò Balthassar Tellez t. 1. l. 3. c. 33. & 34. res Lusitanicas anni præsertim 1552. longe aliis depinxit coloribus, atque Orlandinus l. 12. a n. 54.: hoc anno apud Tellez scripsit Ignatius Joanni III. Lusitaniæ Regi, Regine D. Catharinæ, Regis fratribus Cardinali Henrico & Ludovico, Patribus Simoni Rodriguez, Leon Henriquez, Urbano



Dano Fernandez, & Ludovico Gonzalez a Camara, ut communi omnium voluntate ac studio Pater Simon Patri Didaco Mironi Provinciæ administrationem traderet. Rationes, quibus id suadebat Ignatius, a P. Tellez fusius expensæ c. 33., ad hæc tria capita revocantur, 1.: Volebat S. Ignatius, ut Lusitani Socii planè sibi persuaderent, non debere se soli P. M. Simoni obedire, nec Parentis ac Superioris loco eundem solum agnoscere. Quam ob rem cum animo suo Vir Sanctus considerabat magnum amorem, quo Lusitani fratres carissimum sibi Provinciale prosequerentur, atque hoc corporalis ejus præsentis desiderium moderandum esse ac purgandum existimabat; Simone scilicet ab eorum oculis remoto, quò illum sanctius diligerent in Christo Domino nostro, qui ut nimio discipulorum in humanam suam naturam amori mederetur, ajebat illis, expedit vobis, ut ego vadam. 2.: M. Simon annos jam 12. Provincialis auctoritate fungebatur; in Constitutionibus autem nuper absolutis (& ut promulgarentur, Simoni ipsi mandatis) Provincialis regimen annis tribus, communi aliarum religionum more, definiebatur; quæ cum essent prope diem promulgandæ, æquum erat, ut ea etiam pars, quæ Provinciale spectabat; in usum deduceretur, ne Superiores, se fore perpetuos existimarent. 3.: satagebat Ignatius, ut communi omnium usu probarentur, ac firmarentur Societatis constitutiones, a quibus plures Lusitanorum usus, moresque a P. Simone inducti, multum abhorrebant; quare suo consilio suavius, faciliusque perficiendo expedire omnino visum est, ut interea P. Simon e Lusitania discederet; quò Superioribus commutatis legum etiam mutatio minus gravis & absona videretur. Quibus adductis rationum momentis jubebat E. Pater, ut M. Simon Lusitaniæ administratione dimissa, in Arageniam prius illius provinciæ administer secederet. Factenus Tellez: sequitur Orlandinus ubi supra, ex quo ea decerpam, quæ præsentis argumento propiora, vel etiam necessaria videbuntur.

124. Hoc anno, inquit, Hispaniæ provincia tributa est in partes duas, in ulteriorem, & citeriorem. In illa relictus est Provincialis is, qui toti Hispaniæ præfuerat Antonius Araozius: huic, quæ Tarraconensis nomine continetur,



Anno 1552. tur, præfectus est is, qui Lusitaniæ præerat, Simon Rodericus. Ignatius literas, qui Simonem ab ejus provinciæ gubernaculis removebat; suo Chirographo consignatas in Lusitaniam mittit ad Leonem Henricium, Urbanumque summæ fidei Patres interposito obedientiæ præcepto, ut eas literas Simoni reddant. Aliud insuper literarum testimonium, quo Lusitanæ provinciæ Præpositum declarabat Jacobum Mironem, misit; & proprias ad Simonem, quibus potestatem faciebat, vel in Brasiliam (quod is sæpe ante postulaverat) navigandi, vel administrationem novæ provinciæ, quam dixi modo in Hispania institutam, suscipiendi. Super hæc, ne forte cœptis autoritas intercederet Regis, ad eum etiam & Catharinam conjugem, Henricum Cardinalem, & Ludovicum germanos ea de re scripsit: itemque ad duos illos, quos nominavi Patres: quorum fidei, prudentiæque plurimum tribuebat, ut, si opus esset, suum Regi consilium exponerent, & probarent. Eademque de causa ad Michaelem Turrianum Salmanticam, & Ognatum ad Borgiam scripserat, ut in Lusitaniam sese conferrent, Turrianoque, quem Visitatorem constituerebat, folia pura permulta dederat suo chirographo communita, ut, si usus esset, in iis quidquid videretur, inscriberet: & suo nomine quibuscumque expediret, reddenda curaret. Sed non potuit sapienti Regi ea Provincialis mutatio non probari, cum ad eam ipse sua sponte, nutuque priusquam ab Ignatio literas ullas acciperet, inclinasset: consiliumque jam suum cum Mironem contulerat; ita ut necesse non duxerint Turrianus, & Borgia se loco movere.

125. Simon etiam ex Ignatii literis ejus voluntate perspecta, quibus & se provincia liberabat, & eam Mironi tradebat; tanquam gratissimo accepto nuncio, literas ipsas capiti imponens, ac pectori apprimens, signa edidit permagna lætitiæ, vel quod onere se levare sentiret, vel quod secum, ut dicitur, vivere, & secum sibi esse jam liceret: continuoque literas ab Ignatio missas reddendas Mironi curavit una cum suis ad Conimbricensis Collegii socios; a quibus sibi ut ignoscere, postulabat, quidquid in ejus provinciæ administratione peccasset. Provinciam vero ipsam Mironi tradidit illacrymanti. Is illicò eo modo res cœpit,  
quo



quo Romæ fieri ab Ignatio senserat, ordinare. Hæc mensis Majo gesta, ac secundis fere omnium excepta plausibus. Huc usque Orlandinus, cujus doctrinam temporis firmant Tellez, & Cienfuegos: quare corrigendum tempus in Masfejo lib. 3. c. 10., & Boll. t. 7. Jul. p. 569. n. 833. hæc illius verba exscribentibus: Anno post Christum natum MDLIII. cum ad res in Lusitania componendas Michaelem Turrianum legaret, haud ita pridem in Societatem admissum; licet ei varias præceptiones ac monita ediderit consignata literis; tamen cum probè nosset fidem, ac prudentiam viri, non modo permisit, ut, cum in provinciam pervenisset, suo arbitrato consilia rebus aptaret; sed etiam permulta ei dedit folia pura suo munita chirographo, quibus ille, prout opus esset, quidquid videretur, inscriberet, ac deinde obsignatas epistolas, cuicumque expediret, ipsius nomine redderet. Postrema hæc verba leviter, ut nuper vidimus, ab Orlandino commutata rem, ac tempus idem spectant.

126. Simon interim, ait Orlandinus, qui provinciam tanta initio voluntate posuerat, cœpit post paulo dubitare, an ea procuratione, quoniam Ignatius jusserat Regi parere, jure esset Rege inconsulto solutus. Sed statim Rex non solum Ignatii consilium probans, sed etiam gratulans Simoni, quod B. Patri tam alacriter paruisset, omnem ei dubitationem exemit. Tum demum valetudinem, fessasque vires excusans, ne vel in Brasiliam navigaret, vel novum Aragoniæ Provincialatum exciperet, statuit in prædium Collegii Conimbricensis secedere. Eo dum pergit, Olissipone Conimbricam venit, ac protinus in Collegio turbari cœpta sunt omnia, nimia scilicet novi Præpositi sedulitate, ac præpropera quadam severitate. Accersitur Salmanticà Turrianus, qui mense Augusto adfuit. Nec quicquam urgendum prius existimavit, quam ut e Lusitania Simon exiret. Itaque in uno e foliis puris, quæ accepisse diximus ab Ignatio, exaratis literis primo quoque tempore ad Aragoniam se provinciam jubet conferre. Accessit & Regis epistola adhortantis, ut quamvis valetudo minus ferret, in obsequii tamen exemplum volens, libensque proficisci non dubitaret. Nec sane suuctatus est Simon. Res compositæ videbantur: jamque  
reces-



Anno recesserat in suum Collegium Salmanticam Turrianus, cum  
 1552. gravius discrimen exoritur. Michael Gomius, qui socius in  
 provincia Simoni fuerat, eique comes abierat, valetudinis  
 excusatione, unde abierat, reversus est. Hic, ut primum  
 facultas est data, quò Simonem in provinciam restitueret,  
 Regis, ac Procerum aures fictis criminationibus, ac calum-  
 niis adversus Virum Sanctum, Ignatium onerasse dicitur.  
 Cum omnia Rex, simulque quid Gomius esset hominis didi-  
 cisset; quæ mens, quæ studia, quid alii pauci, qui ser-  
 mones de viro sanctissimo Ignatio tam improbos sererent;  
 & in regias quoque aures conarentur irrumpere, quam non  
 religiosi, neque germani Societatis filii; suspiciones omnes  
 adstersit; amorem, & benignitatem redintegavit, & au-  
 xit; probavitque ut Michael Turrianus, quem præclaris I-  
 gnatii præceptis ad eam provinciam constituendam instru-  
 ctum noverat, in Lusitaniam rursus evocaretur; itemque  
 acciretur Borgia, ad quem & suas proprie literas dedit.  
 Has Regis literas, teste Cienfuegos l. 4. c. 6., accepit Bor-  
 gia Vergaræ sub Martium 1553. a P. Ludovico Gonzalez,  
 qui Romam illac transivit a Rege ad Ignatium missus.

127. P. Tellez l. 3. c. 35. laudat S. Ignatii ad Lu-  
 sitaniæ Regem epistolam per Turrianum Visitatorem extre-  
 mo anno 1552. missam, qua facultatem ab eo petebat, ut  
 P. M. Simon e Lusitania egressus Aragonensis provinciæ  
 administrationem susciperet; rationesque adhibebat, quibus  
 in Domino ad id mutationis genus movebatur. Assensit Rex  
 Ignatio, missà epistolà per P. Ludovicum Gonzalez a Ca-  
 mara, quam Ulyssipone dedit 30. Januar. 1553.; atque  
 Ignatianis suo loco ac tempore singulari merito adjungen-  
 dam arbitramur. Suspicebam olim Ignatii epistolam per  
 Visitatorem Regi missam, de qua Tellez, ex illis esse,  
 quas Visitator in puris Ignatii foliis conscripserit; ad quam  
 nimirum accesserit & Regis epistola Simonem adhortantis,  
 ut libens in Aragoniam proficisci non dubitaret: id enim  
 temporis indicari videtur illo Ignatiane epistolæ argumen-  
 to, quod ex P. Tellez descripsi. Contra vero cum Simo-  
 nis in Aragoniam profectio sub Augustum mensem incide-  
 rit, Ignatii autem epistola sub extremum annum; quo tem-  
 pore, turbatis denuò Lusitaniæ rebus a Simonis socio illuc  
 regres-



regresso, nullum hic in Curia non movebat lapidem, ut Anno  
 Simonem restitueret; pronum videtur, ut Ignatius ipse, 1552.  
 novo, eoque graviore exorto discrimine, denuò ad Regem  
 scripserit extremo anno, quò hic potuerit illi commodè 30. Ja-  
 nuarii consequentis respondere. Accedit, quod Rex non u-  
 nam, sed plures se accepisse, ait, Ignatii epistolas, qui-  
 bus de removendo Simone agebatur.

128. Apud Hollandianos t. 7. Jul. p. 563. n. 802. ex  
 Bartolio l. 3. n. 20., cum rescisset Ignatius, in Lusita-  
 nia turbulentos esse, ac refractarios obedientiæ nonnul-  
 los, Provincialis imprudentem in iis diu ferendis cari-  
 tatem acriter reprehendit: ac tum illi, tum reliquis  
 per Societatem Superioribus præcepti religione impera-  
 vit, quoscumque inquietos, rebelles, & immorigeros  
 invenissent; quantæcumque ii notæ forent, constanter  
 dimitterent. *Qua de re Orlandinus hoc anno l. 12. n. 82.*  
*in hæc verba:* Ignatius in Europa, datis in omnes pro-  
 vincias literis, severo obedientiæ imperio cavit, ne quis  
 Moderatorum pateretur contumacem quempiam inter  
 suos versari, sed continuo ejiceret: præsertim si illi  
 ipsi, qui præessent, obedire negligenterent: Ne qui de-  
 bent ceteris officii omnis, sed obsequii in primis quasi  
 facem præferre, eorum si toleretur contumacia, sit  
 in commune nocentior. *Hiscæ fortasse literis reprehenderit*  
*Ignatius imprudentem in retinendo charitatem, quæ ut I-*  
*gnatii propria Latinè exscripsit Bartolius l. 3. n. 19.* Ceterum  
 quod Orlandinus ait, hoc ipso tempore dum parem in con-  
 tumaces exerebat Xaverius in India severitatem, mirà con-  
 sensione Ignatium egisse in Europa datis, quas dixi, lite-  
 ris, non est ad mathematicos, sed ad civiles, ac usu ob-  
 vios calculos exigendum: nam Xaverius in suis epistolis  
 Aprili mense 1552. datis id severissimè agebat, quod eo-  
 dem anno ultra medium producto Ignatius Europæ Modera-  
 toribus præcipit, ac præsertim Lusitaniæ; ubi tamen prio-  
 ri anni medietate res fuerant ad obedientiæ leges pacatæ.  
 Turbatis deinde rebus præsentissimam adhibuit medicinam  
 Conimbricense Collegium die Sanctorum omnium octavo, quo  
 Rector Conimbricensis Godinius, & alii Patres numero am-  
 plius sexaginta e Collegio per urbem valide se se diverbe-  
 ran-



1552. *Anno rantes egressi, & animos civium calumniis desertorum exulceratos lenierunt, & Sociorum pectora, quodam quasi horrore perfusa, graviterque concussa, ad suscipiendos cœlestis sapientiæ satus instaurarunt. Videsis plura apud Orlandinum.*

129. *Gratam fore arbitror plerisque lectoribus, ac multis etiam utilissimam Antonii a Cerduba epistolam ad Ignatium de Cardinalatu repudiando. Erat Antonius Feriæ Comitum, & Marchionum de Priego filius, vir non modo genere, sed virtute etiam clarissimus, & Borgiæ nostri Conso-brinus: qui Salmantine tunc Academiæ Rector, sub Michaelis Turriani disciplina, interius degustata virtutis dulcedine, ut ei se totum, ac penitus dederet, stimulis crebris incitabatur. Sed cum tot undique speciosa sæculi blandimenta distraherent, ac potissimum sacræ purpuræ fulgor publici etiam ostentatione commodi ad se se pelliceret, ipsum super ea re Ignatium perlonga epistola, cujus hæc est summa, consuluit. In eorum, inquit, numero, Pater, quos Cæsar a Pontifice impetravit, ut faceret Cardinales, me quoque retulit: proximisque Pentecostes solemnibus, quantum certis comperitur nunciis, creatio fiet. Ego cum ad certamen id sustinendum, omni caream propugnaculo, Societatem Jesu (Turris enim fortissima nomen Domini) mihi delegi. Tamen ut de Dei mente sim certior, per Jesum Christum, qui ad hoc me quærendum ex te incitat, precor, ut quid sequi debeam indices. Nam quod Cæsar, qui lapsorum Ecclesiæ morum restitutionem usque adeo urget, adolescentem annorum quatuor & viginti nullis prope literarum præsiidiis ornatum, cum in philosophia nunc verser, in eum velit locum evehi: deinde, quod rebus suis munimenta, idoneosque ministros quærens, hominem deligat omnis negotii publici rudem, neque autoritate, neque facultatibus pro tam gravis personæ amplitudine instructum: quoniam id ab humana abesse videtur prudentia, interpretari divinæ providentiæ argumentum licet. Honor porro ipse quamvis amplissimus, tamen cum onus pastorale non afferat, videtur mediocri doctrinâ fore contentus, si modo innocentia, sincerumque divini obsequii*



Anno  
1552.

quii studium adsit, quæ in hujus loci adolescentē ad exemplum quoque valerent. Et sanè Sacerdotes, religiososque virtutis egregiæ Ecclesia complures habet, Cardinales fortasse non ita multos. Ac denique Societati etiam, quo magis ea in commune proficeret, usui esse possem. Hæc mihi succurrebant in eam partem, cur oblatus honos neutiquam fugiendus videretur.

130. Verum plura, & graviora succurrunt in alteram. Primum excelsissimus gradus, & muneris amplitudo plane dotes exigit singulares. Quanta enim scientia, quanta prudentia, quanta in rebus agendis exercitatio, quanta etiam ætatis maturitas: Quantum vero zeli, constantiæ, religionis, amoris, timorisque Dei requiritur in eo, qui e consilio Vicarii Christi, sanctæque Ecclesiæ columen, & quasi cardo futurus sit? Quibus tamen ornamentis ego me penitus nudum agnosco: neque sentio eas me egisse radices humilitatis, & mortificationis, ut fructus debeat expectari: sed potius verendum sit, ne ad primos æstus, ac ventorum afflatus, si quod est semen, aut germen, exarescat, & illam pariter divinæ lucis auram, quæ menti nunc meæ per divinam bonitatem affulget, ille paulatim inanis splendor extinguat. Sed fingamus necessaria ei personæ præsidia mihi nulla deesse, quid hæc valerent, ubi rerum, quæ tractantur, adeo perplexa, & lubrica, & periculi gravissimi plena natura est? Tam arduum, viam tenere, ut nec Principes mortales, nec immortale Numen offendas? Quid? ipsa vitæ ratio hisce temporibus usitata per ingentes, ac supervacaneos sumptus, quantum periculi habet, præsertim Ecclesiæ bonis abutenti? Quod faciendum mihi necessario est, cui nec alia ferme pecunia, quam sacra suppeteret, & nationis, familiæ, & fratrum, qui non opulentissimi amplissimos apud Imperatorem, & Principes gradus obtinent, serviendum esset ingenio, ac dignitati. Quid dicam de occasionibus, ac temporibus, quæ incidunt talia, ut vel ætatē, ac virtute provectoros nunc superbiæ, nunc avaritiæ, nunc livoris, malæque æmulationis, nunc aliarum perturbationum quasi tormentis evertant? Atque utinam non es-



*Anno* set ipsomet experimento compertum, quanto pronius  
*1552.* sit viros vel robustæ virtutis evanescere eo loco, ac pe-  
 rire, quam quicquam proficere.

131. Exempla vero sanctorum aperte docent quid  
 in his rerum articulis agendum sit: qui istos honores  
 contentione summa fugerunt: atque nostris hisce etiam  
 temporibus cernimus viros præstantes abdicare magnas  
 ditiones, ut Deo serviant, nedum ut novi quicquam  
 assumant. Et fortasse novum etiam hoc exemplum pos-  
 set hominum mentes excitare, ut intelligerent quam  
 parum in seculi prosperitate sit; si adolescentem repu-  
 diare id ultro cernerent, quod tam multis est summa  
 votorum. Denique duabus e viis, quæ se mihi nunc  
 offerunt; altera Crucis & ærumnarum, altera splen-  
 doris & commodorum, hanc Dominus Jesus, cum vel-  
 lent eum Regem facere, omnino refugit; illam in om-  
 ni vita sequutus est: cujus item tam certus videtur exitus  
 felix, quam alterius periculosus, & anceps. Atque  
 hæc quidem incommoda res habet ipsa. Jam ne id qui-  
 dem quod initio pro voluntatis divinæ signo retuli, ul-  
 larum est virium. A meis enim negotium id omne, ne-  
 que nisi caduca spectantibus commoda, neque nisi per  
 vias terrenas tractatum est. Quid autem de cœlesti nu-  
 tu licet conjicere, ubi vitiatæ naturæ studia, carnisque,  
 & sanguinis consilia dominantur? Hæc, Pater, omnia,  
 uti scripsi, nemo mihi mortalium (nam ne cum Patre  
 quidem Michaele rem contuli) sed Deus, ut opinor,  
 suggessit. Expecto Paternitatis tuæ consilium, idque  
 mature, ut remedium sit promptum in tempore. Et quo-  
 niam ab illarum viarum altera declinare non est, nisi  
 in alteram transeam, peto, quæsoque, Pater, ut quan-  
 do in Ecclesia sua Deus te collocavit, qui receptum  
 aberrantibus dares, mihi quoque patere ad te aditum  
 velis. Pridie Kal. April. anno 1552. *His datis ad Ur-  
 bem literis, addit Orlandinus lib. 12. n. 46.*, cum sub-  
 inde Salmanticam usque hujus anni vere Borgia excur-  
 risset; ejus exemplis illustribus, incensisque sermonibus  
 victus, non expectato Ignatii responso, Deo cessit vo-  
 canti: gloriam premens humanam, & requirens æter-  
 nam,



nam, Societatis humilitatem multo potiore fluxi honoris titulis duxit. Extat in ms. Florentino epistola anonyma, Romæ data 10. Sept. 1552., de gestis P. Francisci Borgiae per Cantabriam, Navarram, & Castellam, quæ inter primarios Borgiae assectatores, & quasi prædas recenset Petrum de Lodosa, Sancium a Castella viduum, Dominum de Lascano pariter viduum, & Antonium a Corduba; cujus, inquit, opulenta domus reditus numerat ad octoginta fere ducatorum millia: ipse autem, ut purpuram sibi a suis præparatam defugeret, Patrem Franciscum sectari properavit, cujus Marchionissa mater, tametsi filius sibi esset carissimus, se tamen ejusdem electione magnopere solabatur, quin & planè vult Collegium Cordubæ quovis pacto construere. Hæc inde ad exemplum, & historiæ lumen.

Anno  
1552.

132. Porro autem Ignatiani ad hæc responsi desiderium accrescit alio ad Victoriam urbem, quod ab Alvaro Cienfuegos indicatur l. 4. c. 3. sub finem. Borgia, inquit, a die 13. Febr. 1552. sacris concionibus in Urbe Victoria, provinciæ metropoli, maximam hominum frequentiam adeo accendit, permovit, flexit, ut civitas cum ipso egerit de construendo Collegio, designatâ in illud Ecclesiâ, quæ extra urbem sita est, hac una ex Ignatio rogata conditione, ut Borgia sibi relinqueret, quam ad rem cives multi, & e nobilioribus quidam facultates suas exhibebant. Hisce consonat nuper laudata manuscripti Florentini epistola, quæ de Borgia Guipuzcoam, Vizcayam, Alavam, Navarram Apostolicis prædicationibus illustrante, variis in locis, inquit, earum provinciarum offeruntur illi Collegia, quorum nonnulla sunt admissa. In quibus fuerit, necnè, Bermeo, oppidum Vizcayæ non ignobile, mihi incertum; tametsi plane certum testimonio testis de visu, Ignatii epistolam de illius agentem Collegio in Sacra Loyolæ domo ad nostram memoriam extitisse, quæ postrema Gallorum irruptione disparuerit.

133. In Germania Romanorum Rex Ferdinandus de Viennensi Collegio quid egerit anni superioris exitu, atque hujus exordio; quid tum Ignatius cum eodem, cum Duce Bavarie, cum Julio Papa, cum Canisio, aliisque Sociis, anno superiore indicatum n. 110. Ego quidem sic existimo;



Anno 1552. *contrarias in speciem sententias revera conciliandas, si Ferdinandus acceptis Ignatii literis ineunte anno 1552., seu metu repulsæ, seu quavis alia de causa non Alberto, sed Julio Pontifici scripserit, ut Ingolstadienses Societatis Patres impetraret. Pontifex autem gerendum Ferdinando morem, Ignatio edixerit: quare hic Albertum rogarit, ut Patres Ferdinando concederet, neque enim se posse Vicarii Christi voluntati non obedire. His lumen accendit P. Agricola ad annum 1552. n. 16., ubi de Alberto ait: Quo minus quæ animo constanter agitabat, maturius effectui daret, improvisa ac intestina Germaniæ bella obstiteret: factum hinc est, ut Bavariæ quoque tuendis finibus omnia Ingolstadii præsidario milite plena essent, atque adeo differri necessum, quæ nonnisi pacatis temporibus tractari queunt, templorum, scholarumque negotia.*

134. *Bollandiani t. 7. Jul. n. 552. n. 749. se habere testantur exemplar epistolæ S. Ignatii datæ die 2. Nov. 1552., in cujus tergo caractere antiquo notabatur, ad Vice-legatum Bononiensem a S. Ignatio missum fuisse, ac modeste ab eo recusari petitam unionem quorundam Sacerdotum cum Societate nostra. Addunt ex Ribadeneira inter Dicta & gesta nostri Patris, ista ex Hispanico a se versa: Anno 1545. patres Theatini voluerunt se unire cum Societate, & facere unum corpus: & sic illud proposuerunt, ac petiere per patrem magistrum Lainez; sed Pater noster hoc non approbavit; uti nec illud, ut unio fieret cum Barnabitis Mediolanensibus, qui eam petierunt anno 1551., assumpto Domini Sauli Archiepiscopi Genuensis patrocinio. Memoriae antea prodiderant p. 504. n. 499. egregium de Jesuitis Bononiensibus testimonium Hieronymi Saulii Archiepiscopi Genuensis, & Vicelegati Bononiensis, datum Bononiæ 13. Maji 1555.; videntur tamen ignorasse huic fuisse missas, quas laudant, Ignatii literas 2. Nov. 1552. ad Vicelegatum Bononiensem. Atqui superius demonstravi n. 88. ex Joanne Polanco, jam inde ab anno 1550. Saulium Archiepiscopum Genuensem fuisse Vicelegatum Bononiensem: quod etiam fugit Ughellum t. 4. de Archiepiscopis Genuensibus. Porrò quod de Barnabitis Ribadeneira paucis, idem pluribus narrat Orlandinus an-*



no 1552. lib. 12. n. 13.; cum autem Orlandini tempus Anno  
1552.  
conveniat epistolæ, quam dixi, datæ 2. Nov. 1552., du-  
bius saltem videtur annus 1551. Ribadeneiræ: sunt autem  
hæc Orlandini verba: Per id tempus Hieronymi Saulii  
Archiepiscopi Genuensis literas B. Pater accipit, plu-  
rimum adhortantis, ut cum Societate Clericos Regula-  
res S. Pauli, & Barnabæ Mediolanenses, quos vulgus  
Barnabitas appellat, ad majus Dei obsequium vellet in  
unum quasi corpus conjungi. Optimè Ignatius de eo-  
rum virtute, ac sanctitate Patrum, & sanè jure opti-  
mo sentiebat, præcipuoque amore, ac studio Mediola-  
nensem familiam complectebatur, postquam ii Emma-  
nuelem Mionam, dum Parisiis Romam venit, ægrotum  
in Collegio suo caritate summa curaverant. Hujus offi-  
cii memoriam semper B. Pater recentissimam conserva-  
vit; consuetudine inde, & officiorum vicissitudine au-  
cta, non aliter veneranda illa domus observare Igna-  
tium, ad eumque confugere, quàm ad communem pa-  
rentem: neque aliter ipse eos, atque filios, ac fratres  
carissimos ducere, & ubi facultas daretur, ornare, ac  
tueri: quod egregie nuper in quadam eorum difficultate  
præstiterat. Hæc igitur fecere, ut pro sua modestia,  
majorisque laudis divinæ studio illi Dei famuli tanta jam  
caritate cum Societate conjuncti, libenter se penitus,  
unumque in Ordinem conventuros ostenderent. Cete-  
rum B. Pater respondit, quamvis virtutem ejus fami-  
liæ, eamque voluntatem plurimi faceret, tamen existi-  
mare se, majoris fore divini obsequii, si fraternis qui-  
dem animis, verum uterque seorsim Ordo initum sta-  
dium perseveranter decurreret. Quod ipsum Clericis  
quoque Regularibus Theatinis, cum idem optarent, ali-  
quot ante annis sine dubitatione responderat.

135. Anno 1553. integras S. Ignatii epistolas novem nu- 1553.  
meramus, in quibus quatuor ac fere 5., ineditas. Prima,  
data 7. Jan. 1553. ad Mariam Frassonan a Gesso, Ducis  
Ferrariensis administram, autographa servatur Italicè in  
Collegio Patrum Congregationis a Somascha, olim Societa-  
tis Jesu: hæc inedita nos docet epistola, P. Joannem Bapti-  
stam Violam jam inde ab incunte hoc anno fuisse Commis-



Anno 1553. *sarium; atque Orlandinum proinde corrigendum l. 13. n. 17., ubi hac æstate, ait, B. Pater... Joannem Baptistam Violam Commissarii nomine, ac munere Lainio suffecit. Secundam, datam 1. Febr. 1553. ad P. Didacum Mironem, quæ Patri etiam Ludovico Gonzalez communis est, Lusitanicè primùm edidit P. Tellez t. 2. l. 4. c. 2., deinde P. Alcazar primævo sermone Hispanico t. 2. p. 545.: qua egregiè probat B. Pater, neutrum debuisse Regis Lusitaniæ confessiones refugere. Occasionem & argumentum præclaræ hujus epistolæ prodit Orlandinus anno 1552. l. 12. n. 57. his verbis: Nullus Regi tum certus Sacerdos a confessionibus erat; aliquandoque cum Ludovico confessus, quia is onus aversabatur, octavo Christi Corporis die Mironi coram præsentem, ipsum sibi conscientiae suæ arbitrum lectum esse significat. Qua Pater denuntiatione non leviter primo commotus, ubi animum paululum collegit, grates Regi plurimas egit; quod tam præclara de Societate judicia faceret; ceterum non bene se cognitum illi contestatur; quod sibi nec idonea ad id oneris facultas, nec ætas adsit, præterquamquod etiam esset in Lusitania peregrinus. Nemo, Rex excipit, vestro mihi de numero peregrinus est: mitte istam causam: nec est quod facultatem ad audiendum me singularem desideres: Dei gratia, quicquid censueris, & injunxeris, ad id omne paratum habebis. Cur autem si ceterorum mortalium confessiones excipitis; refugiatis meas? Hic Miro haud sine animi pio sensu: Tuas, Rex optime, cujus religiosissimam mentem, vitamque videmus, confessiones sane non fugimus: sed speciosa ista munera disciplinæ nostræ non admodum quadrant. Nostræ vocationis est nosocomia terendo, docendo infimam plebem, ministeria humillima obeundo, juvandis simul animis, nostræ simul humilitati conservandæ insistere. Nec est obscurum, ceteris religiosorum familiis quàm parum splendidorum officiorum tractatio commodarit: & nos jam nunc satis multi gratiam consecrari Principum arbitrantur. Itaque tum privatæ Societatis, tum publicæ utilitatis causa, precor, quæsoque tuum ut istud singulare cohonestandi nos studium temperes. Tum  
Rex*



Anno  
1553.

Rex nihil se fore impedimento dicens, quo minus abjectissima pariter munia pro voluntate tractarent, consultare amplius ea super re, ad seque quid statuisset, postero die referri jussit. Re domi de integro consultata, primaque confirmata sententia, remissus Consalvius ad Regem, non solum pro Mirone causam strenue, ac prospere gessit; sed insuper impetravit, ut sibi quoque qui dudum conscientiam Joannis regebat Principis, cum bona Regis gratia, onus liceret ponere. Quæ vulgata per aulam, secunda admurmuratione celebrata sunt. Quanquam B. Pater, qui Societatem Regi tantum debere intelligebat; non omnino probavit in ea re sive Mironem, sive Consalvium, tam acriter concertasse. *Quæ nostro ita respondent argumento, ut simul prodant, epistolam ipsam non fuisse ab historico visam.* Huic porrò epistolæ germana est 9. Aug. 1552. data ad P. Gonzalez, de qua supra n. 119.: quo tempore Ignatius aliam fortasse scripserit, in quam Orlandinus intendat. Me tamen coquit, & urit, quod duplex hæc epistola, quæ gemella proles videtur, quinque fere mensium intervallo sit edita. Non ita mirum, quod Patre Gonzalez sub initium Februarii ab Rege ad Ignatium misso legatione secreta, ut loquitur Cienfuegos, & indicatum est antea n. 126., & 127., Ignatius tamen sub idem tempus, dum ad Mironem dabat epistolam, nihil planè rescierit.

136. Tertia, Morbiniensibus missa 18. Martii 1553., est inedita: cujus habeo apographum fide publica munitum, quæ testatur, concordare cum originali Epistolio, manu, & caractere suprascripti Divi Patris Ignatii conscripto, existente Mediolani penes Dominum Don Joseph Sala. *Inscribitur foris: Jesus. Amplissimis Dominis meis in Domino nostro Jesu Christo Dominis Procuratoribus Morbiniensibus. A latere transversâ lineâ: S. P. Ignatii.* Ex hac epistola illustratur Orlandinus l. 12. n. 19., ubi ait: Ad Vallem Tellinam in oppidum, cui Morbinium nomen, Bononiensis Collegii Rector Andreas Galvanellus est missus; ut Pontificis ex præscripto illius Ecclesiæ curam, dum coorta inter curiones lis dirimitur, susciperet... totum ibi consedit annum, plurimo



Anno rei communis, & animorum bono. Cardinalis Compostellanus, de quo epistola, vocabatur Joannes a Toletis, Archiepiscopus tum Compostellanus apud Ægidium Gonzalez Theatri Ecclesiastici tomo 1. Quarta de obedientia virtute, data 26. Martii 1553., est omnium celeberrima inter Generalium epistolas, & cum regulis Societatis, tum aliàs sæpius edita, de qua verissimè Orlandinus lib. 13. n. 55.: qua disputatione non facile absolutius in eo genere quicquam, subtiliusve reperias. Vulgo inscribitur: Ad Patres, & Fratres Societatis Jesu, qui sunt in Lusitania; in editione Romana 1580.: Ignatius Lojola Fratibus Societatis Jesu, qui sunt in Lusitania gratiam, & amorem Christi Domini sempiternum; in fine verò subscriptio prætermittitur. In ms. Florentino Magliav. 26. classis 38., initio: Epistola P. Ignatii bonæ memoriæ de Obedientia, quam scripsit Fratibus Collegii Conimbricensis; subscriptio autem: Totus omnium in Domino vestro. Ignatius. Quæ a vulgata sensu non abhorret: ex prima vero notatione discimus ad Conimbricense Collegium, Lusitaniæ primarium, fuisse mandatam. P. Fluvia lib. 7. c. 1. testatur, autographum in Matritensi Collegio Imperiali asservari.

137. Quinta, inedita, data 16. April. 1553. inscribitur: Jesus. Reverendissimo Domino meo in Christo Domino nostro Archiepiscopo Valentino; nempe Sancto Thomæ a Villanova. Autographum extat Valentia in Hispania in Professa olim domo Societatis Jesu; cujus mihi apographum misit Vir Cl. Lucianus Gallissa: simulque scripsit, notandum videri sibi præclarum Sancti Præsulis in Societatem amoris monumentum, etiamnum superstes, pergulam nimirum Collegii S. Pauli, cui construendæ in testamento Vir Sanctus Collegio legavit summam, quam Carolo V. crediderat. Quod his indicat verbis Orlandinus l. 15. n. 78.: Moriturus cum quandam haberet in nominibus pecuniam (nam fere arcam aliam non habebat, quam pauperum manus) ejus partem ampliolem Collegio legavit. Bollandiani, quos hæc latuit epistola, eam nobis Sancti Præsulis ad Ignatium ex Hispanico versam ediderunt t. 7. Jul. p. 494. v. 443.; cui hæc Ignatius respondit; inscribitur autem: Reve-



Reverendissimo Patri Generali Societatis Jesu Romæ. *Anno*  
*Integra visa est Ignatianæ apponenda, temporis licet ordi-* *1553,*  
*ne prætermisso: ut mens scilicet utriusque Sancti magis elu-*  
*cescat. Sextam ad universam Societatem missam 14. Ju-*  
*nii 1553., qua Ignatius suorum orationibus Regem Lusi-*  
*taniæ commendat, ex Sacchino lib. 1. n. 121. edidit Bol-*  
*landiani t. 7. Jun. p. 535. n. 652. Septimam, die 6. Julii*  
*sequentis datam ad Regis Lusitaniæ fratrem Cardinalem*  
*D. Henricum Evorensem Archiepiscopum, exscripsi e P. Tel-*  
*lez t. 2. l. 5. c. 14. Octavam Latinè dedit ad universam So-*  
*cietatem die 25. ejusdem Julii, ut extat in autographo a-*  
*pud Dominos Xaverium, & Vincentium a Garofalis, Jesui-*  
*tas olim Neapolitanos, cujus ecgraphum ad me transmisit*  
*D. Ignatius Guerra: hanc fere integram ediderat Lati-*  
*no-Italiam Bartolius lib. 4. n. 21., & Hispanam Garzia*  
*l. 5. c. 5. die 25. in 24. commutato: de die 25. Julii Bar-*  
*tolius cum autographo convenit. Canisius, inquit Or. l. 13.*  
*n. 25., exoravit per literas ab Ignatio, ut tota Socie-*  
*tate menstruo quoque spatio singulis Sacerdotibus Sa-*  
*crificium, ceteris alias preces indiceret, ut Dei Numen*  
*Christi cruore placatum cœcâ Germaniæ populo discus-*  
*sa caligine, præferret lumen Catholicæ veritatis. Id*  
*quod ex eo tempore, addita nominatim Anglia, de qua*  
*ispem optimam Mariæ regnum attulerat, ab omni So-*  
*cietate fieri cœptum, nunquam postea desitum est.*

138. Nona, quæ data est 20. Aug. 1553. ad D. Aloisiam, sancti Borgiæ sororem, conjugemque Ducis Villæ formosæ, ac Ribagorzæ Comitum, magna sui parte prodierat studio Alvari Cienfuegos l. 4. c. 15.: integra nunc prodit ex archetypo Cæsaraugustano Collegii olim Societatis Jesu, unde laudatus aliàs Archidiaconus D. Carolus Gaztelu apographum transmisit. Quæ breviter hîc indicantur de Cæsaraugustana Sacramentorum frequentia, illustrat Or. l. 14. n. 73. his verbis: Non deerant, qui a frequenti sacrorum usu, quem jam sanè inter multos præcipue Alfonsi Romani cura sparserat, indignis modis, dictisque horrendis, quo majorem propagatoribus concirent invidiam, populum conarentur avertere. Verum ut a Deo res illa manabat, irriti, inanesque eorum fue-



*Anno* re conatus: nec idcirco sacrorum studium in civitate  
*1553.* deferbuit, cum pro veritate pugnaret eventus, & in  
 optimo quoque viro minime fallax experimentum. *Postremo loco recenseo præclarum epistolæ fragmentum ad Xaverium missæ, quod integris ob ipsius amplitudinem, & argumenti dignitatem adjunxi. Miror equidem, ac doleo, nullam hactenus comparuisse integram Ignatii ad suum Xaverium epistolam, nec illustrem ullius partem præter istam, quam Bartolius Asiæ lib. 4. memoriæ prodidit, prætermittens temporis subscriptione; docet autem, ab Ignatio datam fuisse epistolam, elapsis jam a Xaverii obitu septem mensibus: nec dubium, quin Xaverius obierit 2. Dec. 1552.: quare qui strictius Bartolii verbis inhæreret, facile quidem, nec inepte colligeret, datam fuisse epistolam post diem 2. Julii 1553. Verùm Bartolius ipse dein lib. 5. n. 20. refert; Ignatium P. Gaspari Barzæo scripsisse 28. Jun. 1553., cum ab infimo, quem ipse elegerat, ad supremum Professorum quatuor votorum gradum erigendo; idque ita, ut cum B. Pater aliorum quinque professionem Xaverii arbitrio committeret, soli Barzæo eam ipse decerneret. Atqui, teste Orlandino l. 13. n. 83., Ignatius Barzæo simul & Xaverio scripsit. En ejus verba, quibus integrum literarum argumentum complectitur:*

139. Ignatius ad Xaverium literas dedit, ut, si ei commodum esset, Nicolaum Lancillottum ad Urbem mitteret: multa enim se habere, quæ cum eo coram ageret: iisdemque Xaverio literis imperabat, interposito obedientiæ nutu, atque virtute, ut ocius ipse in Europam remigraret, non quod ejus obtemperacioni diffideret, sed ut ostenderet, quàm sibi cordi esset ejus ex India reversio; quem admodum & Apostolus Paulus cum ad retinendam puram, sanamque doctrinam, quæ ei maxime cordi erat, Timotheum carissimum, eundemque sanctissimum adhortatur, interposito Dei nomine, qui judicaturus est vivos, & mortuos, obtestari non dubitat, id quod nisi duros apud homines, fieri plerumque non solet. Verum... Xaverius jam morte sublatus meliores in oras migraverat. Quem idcirco in Europam summa Regis Lusitani voluntate revocabat Ignatius,



Anno  
1553.

ius, ut cum in Lusitania resedisset, tum Æthiopicam expeditionem apud Regem incenderet, Congique, & Brasilia conversionem urgeret, tum facilius de Societatis hominibus in Indiam destinandis homo illius Orientis experiens dijudicaret, ac constitueret. Mandabatque in super ei B. Pater, ut in Professorum Ordinem Sacerdotes sex, & in iis Gasparem, quos in Indorum cultura relinqueret, cooptaret. Quod si plures cooptandi viderentur, id ejus permittebat arbitrio, illud etiam atque etiam admonens, ut quoniam nondum illuc Constitutiones ab se præscriptæ pervenerant, in cooptandis Professis rationem haberet probatæ, spectatæque doctrinæ, quæ quidem Theologiæ cognitione potissimum continetur: simul & profitendi formulam, ritumque transmisit, rationemque designandi consiliarios a Rectoribus, ac Præpositis adhibendos. *Quæ vel eodem die 28. Jun., quo ad Barzæum, vel non ita longe videntur conscripta. Apud Bolland. t. 7. Jul. p. 526. n. 611. teste Chronico brevi Societatis, P. Ignatius ad officium Generalis Præpositi illum dicitur evocasse: quod idem testatur Pater Polancus a secretis Ignatii, ejusdemque consiliorum probè conscius, teste Bartolio libro 4., quem dixi. Italica Barzæi vita c. 21. annos vitæ non amplius 38. ei designat, idque certum, & exploratum esse testatur ex literis, quas paucis ante mortem suam mensibus de se, ac de ætate sua Ignatio perscripsit. Obiit autem Barzæus finiente die 18. Oct. 1553., tantis rebus in India gestis solo quinquennio & diebus 40., ut merito sit Apostolicis viris maximis adscribendus. In eadem vita c. 10. sermo est de literis ad S. Ignatium scriptis a P. Antonio Eredia, qui Ormuziam a 20. Maji 1553. triennio coluit: de quo plura volenti dabunt S. Xaverii epistolæ. Xaverio Barzæus, Barzæo successus est Melchior Nuñez: qui, teste Orl. l. 13. n. 76., quam Professorum nondum vota ritè conceperat; Ignatius tamen, ut ea conciperet, per literas admonuerat.*

140. Paulo ante n. 135. disputavi de epistola, qua Ignatius 1. Februarii 1553. præscribat Patribus Mironi, & Ludovico Gonzalez, ne confessiones Regis detrectarent, ac Ludovicum sub idem fere tempus a Rege ad Ignatium



Anno 1553. fuisse legatum: quare non ita multo post eisdem arbitror scripsisse Ignatium, ut oblatum Inquisitoris munus refugerent. Nempe, autore P. Tellez t. 2. l. 4. c. 2., volebat Lusitaniae Rex Fidei Quæditorum munera Jesuitis conferre; qua de re Mirone rogato, is veniam a Rege impetravit, rem uti cum Ignatio communicaret: hic autem respondit, mandato interposito, Provinciali Mironi, & P. Ludovico Gonzalez, ut ea munera repudiarent, perinde atque mandaverat, ut Principum confessiones audirent: hoc enim, ajebat, nostro congruit Instituto proximos confessionibus & concionibus juvandi; ast illa cum per se multum habent splendoris, tum quidam ad amplissimarum honores infularum censeantur gradus, a quibus mores nostri vehementer abhorrent, cum in Societate nec ea dignitatum genera, nec ullus ad eas permittatur accessus: nec volebat, ut filii sui hæreticos in mortem tradendi potestatem haberent, sed ut eos potius morti tradendos Socii benevoli solarentur, atque, ut verè humiles, id minus splendidum officii genus amplioribus illis muneribus facile præferrent. Hac de re actum denuò sequenti anno. V. n. 179. His accedit ex eodem Tellez t. 1. l. 3. c. 36., Ignatium mense Majo 1553. ad M. Simonem Rodriguez dedisse literas, summæ benignitatis, ac sinceri amoris significationibus plenas, quibus ei, ne tunc in Aragoniam pergeret, permittebat; mandabat autem ut ad se Romam contenderet. Huc spectat Orlandinus l. 13. n. 45. dicens: Simon Rodericus ab Aragonia provincia cum per valetudinis causam Olyssiponem se recepisset, inde Romam, Ignatii ex obedientia accitu, iter intenderat, cum Natalis Commissarius in Provinciam venit. Adfuit & Michael Turrianus. Advocatus est tum a Rege, tum a Natali Borgia.

141. Verùm quæ Borgia spectant, longe distinctius narrat Alvarus Cienfuegos l. 4. c. 6.; nempe Borgia Regis avocantis literas a P. Ludovico Gonzalez Vergaræ accepisse, prius quam mense Martio Calagurritanam missionem susciperet; sed quòd tum quartana febris laboraret medicorum consilio re ad Ignatium delatà, hujus nutu, ac probatione, iter illud periculi plenum prætermisum. Quibus etiam Ignatii literæ verno tempore datæ innotescunt.



Calagurri & Logronii mirabili animorum fructu 17. non *Anno*  
 amplius dies impenderat, cum acceptis Ignatii literis Bur- *1553.*  
 gos adire mandantis, illuc die 15. Aprilis Logronio pro-  
 fectus, ibidem ultra duos menses emendandis corruptis mo-  
 ribus insumpsit, ut aperte docet Bartol. l. 2. c. 10. & 11.  
 Ubi medio fere Junio accepit Borgia Lusitaniæ Reginae li-  
 teras, quibus eum ardentius ad se vocabat; cujus etiam  
 nomine, tum Ludovici Regis fratris, & Joannæ Principis  
 Regii conjugis, Natalis Commissarius Ulyssipone scripsit.  
 His Borgia acceptis literis, ex itinere Salmantica & Co-  
 nimbrica illustratis, postremo Augusti die Ulyssiponem per-  
 venit, unde Octobris die 5. discessit. Porro Hieronymus  
 Natalis, Orlandino l. 13. n. 7., e Sicilia reversus ad  
 Urbem, acceptis ab Ignatio monitis Commissarii nomi-  
 ne quinto Idus Aprilis mittitur in Hispaniam, ut Con-  
 stitutiones recens editas promulgaret, ampla cum pote-  
 state decernendi, ubique jubendi, corrigendi, immutan-  
 dique quidquid e re divina, communique visum esset. Na-  
 talis igitur sub Junii exordium videtur Ulyssiponem attigisse.

142. *Addendum ex Bartolio l. 2. c. 11., Borgiae sex*  
*diebus Conimbricae, apud suos præcipuè, tam feliciter omnia*  
*processisse, ut S. Ignatio magnas Collegii laudes perscripse-*  
*rit. Deinde Ulyssipone de Ludovico Regis fratre, qui So-*  
*cietatem ingredi expetebat, eidem S. Patri scripsit, rogans*  
*ut suis Deo precibus commendaret sanctum viri præstantis-*  
*simi consilium, vitæ genus & conditionem mutandi: quod*  
*si fiat, magnam Deo gloriam, magnum Societati honorem,*  
*magnum quibuscunque afferat exemplum. Verum quòd Lu-*  
*dovicus ætate jam grandior esset, imbecilla valetudine,*  
*aliisque de causis, Ignatio ac ipsi etiam Francisco visum,*  
*plus commodi publicè allaturum, si in Regis fratris comi-*  
*tatu re atque consilio, ut adhuc, adjuvans cælebs perma-*  
*neret. Itaque votis castitatis, paupertatis ad conditionis suæ*  
*formam, & perpetuæ divinorum præceptorum obedientiæ sponte*  
*se obstrinxit, ut Hispanica Ribadeneiræ verba nos docent.*  
*De summis verò Curiaè honoribus ægre a se toleratis Bor-*  
*giam, subdit Bartolius, Ignatio scripsisse, rogare se De-*  
*um, ne vel granum sibi tantæ illius Ægyptiacæ pulveris*  
*adhæresceret. Ceterum Natalis Commissarius, teste Orlan-*  
*dino,*



Anno 1553. dino, ante finem Augusti Eboræ, ad ferias Natalitias Cordubæ versabatur; sequenti verò anno 1554. Romam videtur ante Calendas Novembris revertisse. Nec a primo eius in Hispaniam adventu longius puto removendam singularem S. Ignatii ad P. Araozium epistolam, quæ integra cum autographa subscriptione Toletano ex Collegio in Italiam advecta in peregregia hierotheca gemmis ornata, hæc autem ut inconsultæ quorundam pietati satisfaceret, non ferenda inscitia & præpostera religione discerpta egregium suppeditavit fragmentum: cuius archetypus Hispanus e Foroliviensi parthenone SS. Corporis Domini ab eisdem præclaro moderatore Michelinio Bononiam missus Mæcenati meo colendissimo, & a nobis accuratissimè cum duabus certò autographis ejusdem S. Ignatii epistolis collatus, a diversa characterum forma plunè apparuit alienà scribæ Ignatiani manu conscriptus. Video equidem multis ejusdem particularum possessoribus id futurum dictum grave; ast cordi mihi est dictum vetus: Amicus Plato, sed magis amica veritas. Atque utinam hoc etiam moniti exemplo discant posterì, Sanctorum in primis non perdere nec lacerare monumenta literarum. Jam vero Hispanicum fragmentum sic verto. A tergo: Jhus. Fratri meo in Domino nostro carissimo Doctori Araoz Societatis Jesu in Castella Præposito Provinciali. Vallisoletum. Intus: Jhs. Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri adsit nobis semper auxilio perpetuo, & favore. Postremis tuis literis, quas attulit eques quidam Ordinis a Montesa, cognovi, te ad natale solum adire medicorum jussu, accedente Principis ad breve tempus licentia. Utinam Deus Dominus noster, qui vera est salus, eam tibi dederit, quæ ut ipsi magis servias, tibi expediat. Commendo tibi moderationem laborum, & tractationis corporis tui, imò non tui, sed Christi potiùs Domini nostri, ac Societatis; quale proinde curare illud debes, ut valeas, non autem ut rem tuam destruere. Scio equidem te caritate agi ad labores viribus tuis impares suscipiendos, at eadem obedientiæ conjuncta te cogit ut eos modereris, quò sint in obsequio divino diuturniores. De negotio Domini Magistri Ordinis a Montesa scribo Celsissimo Principi, eidem



eidemque Domino Magistro; Magister autem Polancus de singulis explicatè & distinctius: quare unum id ajo, me tibi negotium illud commendare, quod istuc attulit Magister Natalis, quodque velim a te singulari cura susceptum; & licet ipse illud non negligat; tu tamen ipsum sic habeto ut Socium, quò etiam a te... *Hactenus fragmentum: cujus lineà tertià verbum breve ita evanescit, ut microscopius fuerit dignoscendum. Paucis in eo multa de P. Araoz prædicantur, quæ hactenus ejusdem vitæ Scriptores latuerunt: ut autem hæc similibus aliis ipsius gestis illustrentur, audiamus Orlandinum ad annum 1546. l. 6. n. 82.: Araozius, inquit, dum labores laboribus cumulat, ipse quoque graviore tentatus est morbo: in eundemque iterum ac tertio recidit, ut ejus jam salus desperaretur a medicis. Curatus est Philippî jussu per diligentem, ac peramanter, qui eam Antistiti Pompejopolitano curam, & Governatori mandavit. Medici quatuor de nobilibus ei semper aderant, & tamquam destinatus, sedulusque minister Nuntius Poggius. Visitabatur a multis, & Dei verbum extorquebatur ab ægro. Vix febrium remisit ardor, vix dolor aliquid relaxavit, cum ad dicendum importunis precibus in ædem trahunt... Diligentissimos etiam S. Ignatiî vitæ Scriptores latuit pariter epistolare B. Patris cum Magistro militaris Ordinis de Montesa commercium; & quod caput est, tanto studio ejusdem causam egisse non apud viros tantum gravissimos, sed literis etiam ad Philippum Hispaniarum Principem conscriptis. Nos quidem latet causa, quam sanè gravissimum Ignatiana verba significant: liceat tamen nonnihil divinare. Fuit enimvero apud Hippolytum de Samper in sua Montesa illustrada t. 2. p. 321. & 550. ab anno 1545. a Paulo III. confirmatus Magister Montesanus Petrus Aloisius Garceran, al. Galceran, a Borgia, quem pater S. Francisci Borgia a secunda conjuge susceperat: is erat tunc juvenis apud Principem gratiosus, qui anno tandem 1558. annum agens trigesimum feminam duxit lectissimam, quæ gratiâ pariter apud Philippi sororem plurimum valebat; fuit autem primus omnium, qui Montesanam militiam professi matrimonium contraxerint. De quo,*

teste

Anno  
1553.



Anno 1553. teste laudato Samper ib. p. 324., Michael Raymundus Zapater in Chronica Montesæ c. 5. p. 592. ait: Casose Don Pedro con Dispensacion particular del Pontifice; sed corrigendus, quia non cum speciali dispensatione, sed cum generali facta Calatravensibus contraxit noster ultimus Regularis Præsul. Sed pace tanti viri, Martinus de Viciana, quem contra pro se describit, ait quidem Magistrum Petrum ex usu Bullæ Calatravensibus concessæ matrimonium contraxisse, non tamen negat specialem Pontificis dispensationem, quam Zapater affirmat. Fatetur Samper primum illud Montesani Magistri matrimonium non levem vel apud suos concitasse offensionem; nec vulgo fuisse persuasum ac certum sub illud tempus, licere Montesanis illà uti generali facultate Calatravensibus an. 1542. concessâ. Qua de re per se gravissima, quæ S. Ignatio ignota esse non debuit, nec brevi potuit tempore constitui ac definiri, scripsit, ni fallor, vir sanctus literas illas & Principi & ipsi Magistro, atque specialem demum Pontificis facultatem, de qua Zapater, fortasse impetravit, Magister ut Borgia in re invidiosa & controversa voti compositâ conscientia fieret. Nulla enim tunc temporis occurrit Montesanorum causa, quæ tanto Ignatii conatu tam digna fuisse videatur. Sed hæc hæc hactenus.

143. Hac æstate primus Brasiliæ Provincialis designatus est Emmanuel Nobrega, teste Orl. l. 19. n. 74.: Cujus, inquit, B. Pater singulari perspecta modestia, animique submissione, ne munus impositum ea stimulante defugeret, graviore imperio utendum censuit, eumque obedientiæ Deo votæ vi, potestateque ad subeundum id onus adegit. Adjunxit ei, ut tempora illa ferebant, a latere Socium Ludovicum Granam, præscripta utriusque ratione, quemadmodum se inter se vicissim gererent: novoque insuper Provinciali mandavit, ut e Sociorum numero quosdam magis experientes, & Societatis usu prudentes, quos de more in consilium adhiberet, sibi deligeret, ex iisque unum aliquem suorum itinerum comitem: ita tamen ut in audiendis aliorum consiliis, atque sententiis libertatem ipse suam non amitteret, si quid statuere vellet; quod e re divina magis,



gis, Societatisque censeret: penes eundem voluit esse potestatem designandi Collegiorum Rectoribus fidissimum quemque, qui eis esset a latere, modo Collegiorum magnitudo, & Sociorum, qui in unoquoque debebant, justus numerus pateretur. Ad extremum illud etiam addidit in mandatis, ut ipse pariter, & Grana suam ritè Professionem in alicujus Antistitis sinu, manibusque conciperet. Quæ hac æstate a B. Patre decreta, nonnisi anno post ad Nobregam pervenere. *Bollandiani t. 7. Jul. p. 493. n. 440. memorant Cardinalis Moroni epistolam, datam Novariæ die 10. Martii 1553., qua cum sua magna consolatione intellexisse se scribit ex S. Ignatii literis bonum ordinem, ac progressum Collegii Germanici, cum in studiis, tum in religione. De Morono, præstantissimo Collegii ejus autore, ac protectore, plura post alios P. Julius Cordara in historia ejusdem Collegii edita Romæ 1770.: ubi l. 1. n. 22. diem Collegii natalem definit 21. Nov., Virgini præsentatæ sacrum, contra Orlandinum, cui Bollandiani subscripserant. Ac ipse etiam eidem Orlandino libenter subscribo l. 13. n. 18. de P. Viola hæc narranti: Cum P. Joannes Baptista in lustrandis Italiæ Collegiis angore immodico, ubi res minus e sententia caderet, angeretur: Admonuit eum B. Pater; id quod sæpe habebat in ore, Angelos ut imitari studeret, qui in animarum sibi commissarum custodia omnem quidem diligentiam præstant; sed eventus quicumque sit; nihil de tranquillitate, nihil de beatitate sua perdunt. Antea n. 135. vidimus hunc Violam ab incunte anno Commissarium. Jam vero agens de Viennensi Collegio n. 23.: Redduntur, inquit, ab Ignatio literæ, quæ jubebant privilegiorum vi, atque jure ab Apostolica Sede concesso ceterorum more Collegiorum vulgo disciplinas exponi, quod e vestigio fieri tripartita Scholarum varietate, & numerosa juventute cœptum est. P. Longarus Oddi in vita Canisii cap. 8., Bollandiani t. 7. Jul. p. 486. a n. 405., & Orland. l. 13. n. 26. pluribus agunt de Canisio Viennensem Episcopatum ab anno 1552. ad 1556 sæpius repudiante. Apud Bollandianos anno 1552. Didacus Lasso, Ferdinandi Orator, Romæ Julium III. urgebat, ut Canisio Vien-*



*Anno nensem Episcopatum suscipiendi præceptum imponeret. Orlandinus vero anno 1553. refert, Nuncium Apostolicum Hieronymum Martinengum ad Ignatium ea de re literas dedisse: Cui rescripsit Ignatius, id haberet apud se ratum, & velut exploratum, nullo modo e divina re fore, ac ne Societatis quidem, ut Canisio deterretur is honos. Multis autem præstare partibus, si nos nostra in humilitate relinqueret, quam si ad honores, & tam decoras cathedras nos eveheret: simul illud insinuans, si usus foret, non sibi defuturum, quominus ipse adeundo Pontifice, totam illam (ut olim in Jajo fecerat) rem discuteret: denique, ne quid ad dissuadendum, dehortandumque Nuncium Apostolicum prætermitteret, supplici oratione contendit, ne in ea re longius progredi vellet. Nec vero Martinengus, ut erat nostri Ordinis studiosissimus, & nutus omnes observabat Ignatii, progressus est ultra.*

144. *Cordubensis Collegii ordiendi autor Antonius Corduba fuit Orlandino l. 13. n. 39., quòd forte nescierit dicta superius n. 131.; ubi patuit anno superiore ab Antonii matre illud fuisse decretum Collegium, quod Novembri mense 1553. cœptum est. Ignatii de illo literas his indicat Orlandinus: Autumno igitur ineunte cum Alfonso Lopio, ut propius ea de re ageret, Ignatii jussu Cordubam Villanova se contulit, tam incitato parendi studio, ut ab morbo vix dum mortifero emersus, assiduaque etiam num implicitus febris, Deo fretus iter capesseret. Sua illi perpetua virtus, & obedientia in primis tum valetudinem inter labores reddidit, tum secundavit incepta. Quæ historicus addit de Joanne a Corduba Villanova, ac Socii hospite Cordubensi, ac primo quem sciam S. Francisci Xaverii epistolarum editore (nam editio Parisiensis 1545. mihi non probatur), videsis in præclara ejusdem Decani Cordubensis epistola, quæ nuper Bononiæ prodiit initio tomi primi S. Francisci Xaverii Epistolarum omnium. & in tanti viri gratiam, & in Societatis laudem præclarissimam. Orlandinus, qui hoc anno 1553. Cordubensis Collegii foundationem multis illustrat decoribus, de tempore sic ait lib. 13. n. 41.: Jam Montillam apud Catharinam Marchionem*



convenerant novi futuri Collegii incolæ cum Antonio *Anno*  
 Corduba, qui primus fuit rector, & ipso Borgia & Bu- *1553.*  
 stamantio ex Lusitania nuper reversis. Hi cum cæteris  
 colonis S. Catharinæ virgini martyrique clarissimæ sa-  
 cro die (25. Novembris) translati Cordubam, unde  
 Montilla sex leucis abest, communi cum gratulatione  
 temporarias in ædes a Decano introducuntur. Hic igitur  
 ludus (literarius) primùm apertus III. Idus Decem-  
 bris quina classium varietate distinctus &c. Bollandia-  
 ni verò ex Alvaro l. 4. c. 8. profectus ajunt Cordubam  
 die 2. Decembris, pactumque die postero, ut ludus lite-  
 rarius quamprimum aperiretur. Hec leve: illud gravius,  
 quod Ribadeneira l. 2. c. 6. Borgiam hoc anno ante in  
 Bæticam e Castella transfert, quàm in Lusitaniam: in quo  
 ab Orlandino, Bartolio, & Bollandianis jure deseritur,  
 ex dictis superius n. 141. E Lusitania Orlandinus modo  
 laudatus, & Bartolius l. 2. c. 11. Borgiam Ulyssipone di-  
 gressum die 5. Oct., Eborensi dein sub auspiciis Henrici  
 Cardinalis & primi Archiepiscopi fundato Collegio, tum Vil-  
 lavitosæ Theodosio Brigantino duce salutato, recta Cordu-  
 bam traducunt: quod & temporum, & locorum rationes  
 exigere videntur. Ast Bollandiani Oct. 1. 5. p. 186. Alva-  
 rum secuti, eundem a recto itinere passuum millia plusquam  
 trecenta in regnum Legionense convertunt Methymnensi Col-  
 legio excitando; ubi se itineri mense Novembri dedit, siqua  
 ipsis fides, Montilliam versus. Mirum sanè tam brevi tam  
 magna & operosa expedita negocia, & itinera confecta; ni-  
 si verè de summo viro dicere possemus: exultavit ut gigas  
 ad currendam viam.

145. P. Tellez t. 2. l. 4. c. 3. nos docet, S. Igna-  
 tium die 17. Dec. 1553. scripsisse P. Provinciali Didaco  
 Mironi, ut si quis ex nostris ad obediendum esset contu-  
 max, eum vel ceu putridum membrum recideret, atque ab  
 Societate expelleret, vel si magnæ foret notæ, Romam a-  
 mandaret, quo cœli commutatione, si fieri posset, mores  
 etiam mutarentur. Atque hæc inter alia verba subjiciebat:  
 quanto præstabilius foret, corruptum aliquod membrum  
 e Societatis corpore separare, atque in tuto sana po-  
 nere, quàm ferre ut illius exemplo & consuetudine



*Anno* 1553. alia inficiantur plura? Scripsi alias, rem mihi fecisse gratam P. M. Leonardum, qui novem simul aut decem, qui malè se gererent, Coloniae expulisset: quod idem fecit iterum, mihi pariter probatum; quanquam si malo citius ferrum admovisset, unius forsitan, aut duorum expulsio suffecisset. *Postremam particulam ediderunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 564. n. 804. ex Bartolio l. 3. n. 20., parùm accuratè latinè reddito: ex quo pariter præcedente n. 803. hæc produnt: Leonardus Kesselius Coloniae Rector, imperatis insistens, partem Collegii, quod Sociorum quindecim tunc erat, mediam ejecit. Verum austerioris facti conscientia quadam ictus, ut gestum fuerat, ad Ignatium scripsit, veniam rogans, si perlectis ejus pœnæ causis, transiliisse se lineas videretur. At is, veniæ loco (ubi culpæ nihil erat) non laudavit modo Kesselium; sed illos etiam, qui superstites erant, si essent prioribus similes, mandavit expellere, solumque in Collegio manere. Addunt ex Ribadeneira apud Linekum parte 3. c. 50. p. 516., ex quindecim Sociis octo jussos abscedere, quòd se obedientiæ nutui, persuasione cujusdam Gerardi Olandi, accommodare nolisset. Hæc videntur a Kesselio gesta post severissimam illam in refractarios encyclicam, de qua supra n. 128.: infra n. 176. de literis hoc anno ad Ignatium missis a Gulielmo Episcopo Claromontensi.*

## LIBER IV.

*De S. Ignatii Loyolæ Epistolis ab anno 1554. ad 1556.*

1554. 146. *Quatuor sum nactus ineditas anni 1554. S. Ignatii literas, totidemque iam editas; quibus tres selectas ad ipsum missas permiscebo. Prima inedita inscribitur a tergo: Jhus. Fratri meo in Domino nostro Magistro Natali Commissario Societatis Jesu in Hispania, & Lusitania. Data 7. Januarii 1554. Accuratum ejus apographum accepi a D. Emmanuele Aguado, qui mense Martio 1766. illud in Ovetensi Collegio ex autogra-*  
pho



pho descripsit ad eandem, quoad ejus fieri potuit, Ignatiani characteris formam. Apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 630. n. 1144., Epistolæ S. Ignatii ad Patrem Natalem Commissarium in Hispania & Lusitania, Romæ VII. Januarii 1554. signatæ, originale exemplar a Patre nostro Joanne Paulo Oliva datum fuit Patri Petro Hieronymo Cordova, provinciæ Castellanae præsidi, die XXIX. Decembris 1665: cujus apographum se habere testantur p. 743. Argumentum ejusdem egregie illustrat Orlandinus l. 14. a n. 52.: de Borgia vero, qui ex ipsa totius Hispaniæ, comprehensa etiam Lusitania, Commissarius est appellatus, n. 56. subjungit: Quod ille munus ut effugeret, plurimas rationes attulit. Sed scripsit Ignatius hanc suam fuisse mentem, fixumque consilium, ut oneri, quod Deus imponeret, cervices humerosque suppone- ret. Deum enim ipsum ferendo vires suppeditaturum. Studeret itaque in eo munere ad sanctitatem, perfe- ctamque vitam Societatis homines incitare: Collegia recognosceret, eadem auget, quæ inchoata jam es- sent, absolveret; nova ibi fundaret, unde plus ad De- um gloriæ, plus ad animos fructus rediturum videretur. Quod autem ex itineribus, & Collegiorum inspectioni- bus annui curriculi superesset, id eo loco fere tradu- ceret, in quo curia regia versaretur: quod ea sedes ad facilius cum omnibus Provinciis commercium, & ad agendum ei cum proximis, & quotidiana transigenda negotia videretur apposita. Quod nominatim propter eximiam viri humilitatem, qua lucem hominum fugi- tans, solitudinem quærebat, & latebras, B. Pater ad- jecit. Incertum mihi, prior ne sit hæc ad Borgiam epi- stola, an posterior Methymnensi, primo in Hispania, Pro- fessorum Societatis conventu, quo post tertium diem Octo- bris Borgia Commissarius a Natali ex Ignatii mandato est appellatus, teste Cienfuegos l. 4. c. 10.; ubi addit, hujus Borgiæ muneris patentes literas ab Ignatio non fuisse datas ante diem 15. Nov. 1555.; quo eundem non Hispaniæ mo- do, sed Indiarum etiam Commissarium constituit. Verum enimvero nova hæc in duas provincias, Orientis & Prasi- tiæ, auctoritatis accessio patentes novas requirebat. Biblio- gra-



Anno 1554. graphos hęc obiter moneo ex Bollandianis t. 7. Jul. p. 426. n. 88., exstare Romę longiorem exercitiorum S. Ignatii Apologiam Patris Hieronymi Natalis totam autographam, qua singula a fratre quodam obiecta, graviter, prolixèque refutat: de qua nihil Bibliotheca Soc. J. Vide infra n. 177. de Borgia in Hisp. Commissario; de Natali supra n. 141.

147. Ignatianis hęc ratione temporis adjungo Margaritę Austriacę responsum ad S. Ignatii epistolam, qua caremus, datum Parmę 16. Jan. 1554.: de Margarita dictum superius n. 27.; cujus responsum ex Italico Latinę versum ediderunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 466. n. 300. Secunda S. Ignatii ad Mariam Frassoniam a Gesso, inscribitur foris: Amplissimę Domine meę in Domino nostro Domine Marię a Gesso. Ferrariam. Data 20. Januarii 1554., teste Nolarcio cap. 25. p. 236., ubi primam ejusdem partem edidit; quanquam in apographo meo, quod ex autographo Collegii Ferrariensis descriptum fuit, compendio scribitur: 20. di Gño, Nolarcio Gennaro, cui non invitus subscripsi, tametsi video compendium a Giugno, seu Junio non abhorreere. De hac Ignatii epistola videtur loqui P. Garzia l. 6. c. 3., ubi de Maria Frassonia Ferrariensi ait: Decumbebat morti proxima, cum ad eam allata est Ignatii epistola; qua vix dum a se perlecta, se melius habere sensit, quem antea non potuerat cibum sumpsit, & continuò e lecto surrexit. Tertia, prorsus inedita, inscribitur a tergo: Jhus. Amplissimis Dominis meis in Domino nostro Dominis Procuratoribus oppidi Morbiniensis. Data est 27. Jan. 1554.: unde discimus, Galvanellum diutius ibi consedisse, quàm Orlandino creditum est supra n. 135. Autographum ab scriba Italice scriptum, & Ignatii manu subscriptum, exstat Parmę apud RR. MM. Ursolinas vulgo dictas, quibus donatum est a P. Grupinio Soc. J. in Mutinensi Collegio ad annum 1773. Quibus ego venerandis Matribus cum gratissimo animi mei sensu acceptas hęc refero quatuor præter hanc ineditas S. Ignatii epistolas, e publico Parmensi tabulario descriptas, & fide publica munitas: quas mihi suis sumptibus transmiserunt per communem amicum, per quam bo-



*nae, mihiq; jucundissimæ memoriæ virum D. Martinum Anno Bergaz, quem a candidis & suavissimis in omnes moribus, singulari in pauperes caritate, ac jucundâ in primis solanais ægris hilaritate, quam ipse non semel sum expertus, laudarint alii locupletius posteritati. Hanc enimvero ingenuam a me laudem grati animi sensus exigebat.*

148. Tertiæ Ignatianæ subnecto epistolam Alberti Bavaræ Ducis ad ipsum, datam 20. Maji 1554. apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 501. 502.: in hac Albertus de solo quidem ait Ingolstadiensi Collegio, sed mentem suam ait ab Henrico suo Secretario Ignatio fusius exponendam. Quæ de re P. Cordara in historia Collegii Germanici l. 1. a p. 16., Bavaræ Dux Albertus, inquit, ... ut audivit de Collegio Romæ instituto, adeo rem comprobavit, ut similem religionis arcem moliri statuerit pro sua ditione, hujusque unicè rei gratia Henricum Schveicherum, quo ut batur a secretis, Romam ad Ignatium miserit, edocendum scilicet rationem perficiendæ rei, & necessariis ad id præceptionibus instruendum. Ac Duci quidem, rem talem exposcenti, libens volensque satisfacit Ignatius, ut cognosci potest ex litteris, quas Schveichero Monachium redeunti ad Principem deferendas dedit. Quia coram, inquit, agendo cum Secretario de institutione hujus Collegii Germanici, intelleximus vestram Celsitudinem aliud simile opus, sancto sanè, ac pernecessario consilio, moliri, literarum Apostolicarum, & Constitutionum jusdem Collegii unum exemplum, & quædam de institutione hujus operis vestræ Celsitudini ferenda dedimus. Collegium illud tamen Bavaricum successu caruit, quid vero molitionem ejus interverte- rit, incomertum mihi est. Ignatianæ epistolæ tempus, a Cordara minimè indicatum, ex Alberti epistola, quam dixi, in hunc annum conferimus. Porro Cordaram non hæc modo latuit, sed aliæ etiam ejusdem Alberti ad Ignatium epistolæ a Bollandianis editæ, quæ nobis ut antea usui erunt deinceps.

149. Quartam Ignatii epistolam ad Doctorem Alfonso Ramirez de Vergara edidit Alcazar prætermissa temporis subscriptione. Hanc olim putaram anno superiori conscri-



Anno 1554. scriptam, quod videretur recentem Natalis Commissarii in Hispaniam adventum indicare, quem in vernali ejusdem anni tempore incidisse compereram. Verum secundis curis rem diligentius consideranti visum est, non esse hinc longius removendam a quinta ad eundem Alfonso data 14. Junii 1554. apud ipsum Alcazar t. 1. p. 228., & a sexta ad P. Villanovam, quam sine temporis subscriptione addit p. 229. Nam ipsis tribus literis inter se collatis, idem planè videtur utriusque ad Vergaram, & alterius ad Villanovam argumentum, tectius in prioribus, apertè in postrema declaratum: quod quidem in duabus postremis est indubium, simul abs dubio conscriptis, ac dimissis, & propterea forsitan in altera subscriptione temporis prætermittenda, quod in alia comite notaretur. Hisce duabus totidem aliis respondet Ignatius mense Martio ad se conscriptis; primam verò alteri die 4. Februarii a Vergara missæ, quacum Ignatius aliam simul Villanovæ acceperat: nec dubium, quin hisce pariter simul acceptis, simul idem responderit, in ea fortasse quæ desideratur, utriusque tempore subnotato. Jam verò quod prima ad Alfonso nos docet; Compluti hunc egisse jam cum P. Francisco Borgia, ante diem scilicet 4. Februarii, quo scripserat, superiori repugnat anno, cuius Martio vix demum mense Cantabriam Borgia deseruit; quadrat autem ineunti anno 1554., quo Borgiam a Philippo Hispaniarum Principe Matritum Beticam fuisse advocatum, apertè narrat Cienfuegos l. 4. c. 8.; ubi hæc ipsum latuit epistola. Plures Ignatii ad Vergaram epistolas laudat Garzia l. 5. c. 17., productis etiam nonnullis versibus ex data die 14. Junii. Cum Villanova, inquit Orli. l. 14. n. 76., primo vere Concham ad Alfonso Vergaram venisset; dum ædes in religiosi domicilii formam rediguntur, apud Doctorem Vergaram sex de Societate Alfonso Lopio moderatore versati: quibus postremæ binæ literæ illustrantur. De Vergara iterum n. 160.

150. Septima, die 21. Aug. 1554. missa ad P. Gerardum Hammontanum, inscribitur: Venerabili in Christo Patri, ac nobis in eodem plurimum observando, Domino Priori Carthusiæ Coloniensis &c. Coloniæ. Prioris autem ad Ignatium responsio inscribitur: Reverendo in Christi-



Christo Patri D. Ignatio, Præposito Societatis nominis *Anno*  
 Jesu, suo Patri percharissimo. *Utramque juris publici* *1554.*  
*fecere Bollandiani t. 7. Jul. p. 483. a n. 387., postquam*  
*laudant P. Gerardi in Societatem Jesu beneficentiam, mis-*  
*sis etiam Romam S. Ignatio centum coronatis oppor-*  
*tuno tempore, cum ibidem nostri egestate premeren-*  
*tur. Superant S. Ignatii litteræ gratiarum actrices, ejus*  
*benignitatis indices, hoc exemplo. Dein p. 632. n. 1150.*  
*narrant Bollandiani, PP. Carthusianos Colonienses in-*  
*tegrum exemplar litterarum Sancti Patris nostri habe-*  
*re, nempe autographum; quodnam vero sit, tacent. De*  
*Thesauris sacris Patrum Societatis Jesu Coloniae ajunt præ-*  
*cedenti n. 1149. ex Gelenio: Nobilissimæ reliquiæ S. sunt*  
*quaterna chirographa S. Ignatii, quorum bina inclusa*  
*thecis inauratis continuò per urbem circumferuntur ad*  
*parturientes feminas, quarum in ea necessitate tam fre-*  
*quens est patronus, ut dies 31. Julii pene in festum*  
*Ignatio sacrum abierit. Octava, inedita, ad Consules A-*  
*riminenses data 14. Dec. 1554., sumpta est ex archetypo*  
*Italico, quod olim in theca argentea perstabat in Ariminensi*  
*tabulario Patrum Societatis Jesu.*

151. Ceteræ quæ passim laudantur hoc anno ab Igna-  
 tio conscriptæ literæ, quarum non nisi argumenta, vel pu-  
 silla ad nos fragmenta pervenere, carent omnes temporis  
 notatione, præter scriptas die 15. Nov. 1554. ad P. Sol-  
 devillam Genuensis Collegii Rectorem; cui apud Nicolaum  
 Lancicium Opusc. 5. n. 169. de coercendis juniorum collo-  
 quiis cum veteranis, nomine S. Patris Ignatii scripsit Pa-  
 ter Joannes Polancus Secretarius Societatis: ut in pœnam  
 talium colloquiorum injungeret publicam in Refectorio  
 disciplinam, vel abstinentiam trium dierum a cibis or-  
 dinariis, solo pane & aqua ad mensam parvam appo-  
 sita, vel aliam arbitrio Superioris. Alium puto Soldevil-  
 lam illum Catalanum, Sacerdotem Theologum, quem apud  
 Bartolium l. 3. n. 20. propterea Ignatius domi severius  
 multatum e Societate dimisit; quòd exoticam in Collegio Ro-  
 mano meditandi rationem furtim ac præposterè conatus sit  
 aliis etiam suadere. De Soldevilla Catalano, humanioribus  
 philosophicisque literis erudito, maturi animi viro, Theolo-  
 gie



Anno 1554. *giæ tunc studioso, ac paucis ante diebus Valentia in Societatem admissio loquitur P. Joannes Hieronymus Domenech literis ad Ignatium Valentia missis 31. Oct. 1551., quas e ms. Florentino descripsi. Aliarum argumenta, Orlandinum fere secuti ducem, colligemus.*

152. *Is igitur lib. 14. n. 12. Receptus, inquit, anno superiore in Societatem fuerat adolescens Octavius Cæsar nomine. Cujus Pater, qui Duci Montis Leonis erat a Secretis, facile initio placari se sivit. Verum hoc anno cum Octavium Romam e Sicilia Ignatius advocasset; & ipse ad Urbem profectus elicuit a Pontifice, ut causa Cardinali Theatino, apud quem gratia valebat, committeretur. Advolavit Neapoli Romam ipsa quoque adolescentis Mater... ipsamet per urbem discurrere, ... quiritatione, ejulatu, lacrymis miscere, & incendere omnia: adeo ut Cardinalis, ad quem erat causa delata, Ignatium intentatis quoque censuris gnatum Parenti juberet illicò reddere. Sed cum B. Pater planius edocuisset Pontificem, is diremptis Cardinalis actis, non solum pro religiosa vocatione sententiam tulit; sed etiam cum lites ejusmodi frequentes inciderent, certos nominavit Cardinales, apud quos eæ in posterum causæ disceptarentur.*

153. *Dein n. 18.: Illustravit B. Patris caritatem Joannis Guttani quoque calamitas, qui Sacerdos natione Gallus ingenio præstanti, probatisque moribus, dum ex Hispania philosophiam Gandiæ professus in Italiam accessit, delatus in Siciliam, & litore captus a prædonibus Turcis, in Africam abductus est. Qua re cognita B. Pater continuò Siciliensibus sociis dato negotio, ut in ejus redemptionem omnem curam intenderent; jussit ad se hebdomadis singulis perscribere, quid novæ curæ adhibitum esset ad rem primo quoque tempore transigendam. Nec tamen tanta Patris amantissimi sedulitas optato potuit gaudere successu. Mora sæpe negotio alicunde interposita, præsertim ab avaritia prædonum; quæ, ubi cognitum est aliquo in pretio hominem esse, magis in dies, ac magis augebatur. Addit P. Garzia l. 5. c. 15. Ignatium hac de re ad Joannem etiam de Vega,*



ga, Siciliae Proregem, scripsisse; Rectoribus autem Panormitano ac Messanensi sanctae obedientiae praeceptum imposuisse, ut ad se hebdomade quaque perscriberent quam huic negotio curam ac diligentiam impendissent. Verum hac de re consulendus in primis P. Aguilera t. 1. p. 103.

Anno  
1554.

154. Orlandinus *ib. a n. 19.* Tybure, inquit, habitabat etiam num in domo conducta Societas, neque satis ampla, neque satis commoda. Sed Laurentius de Virilibus Sacerdos, patria Tiphernas, qui propter eximia pietatis officia percarus erat Ignatio, B. Patris admonitu proprium eis domicilium, ac stabile comparavit... Cum ad opera domestica vehementer fratre adiutore Collegium indigeret; ac B. Pater, a quo petierant, jussisset aliquem, si offerretur, ipsos sibi Patres adungere; Antonium de Henricis recepere, qui multis deinceps annis; & initio in pueris quoque classis infimae edocendis elaborans, Tyburtinum Collegium fidei, atque irrequieta opera, & sanctitate vitae magna ex parte sustinuit. *Tum n. 21.*: Auxit recentem (*Perusinarum*) benevolentiam, quod inaudierant Ignatium per literas imperasse ne quis e discipulorum numero, Sociorum in numerum parentum reciperetur injussu. Quod ea tempestate necesse fuit edicere, ne scholae viderentur ad captandos adolescentes apertae. Quo metu, curaue liberati plerique parentum tanto deinceps libentius Societatis in disciplinam suos liberos tradiderunt... Paucos illos e Societate qui versabantur Eugubii, cum nec domus, aut templum Collegio, nec quicquam ad vitam sustinendam adesset; nisi quod Cardinalis Sancticrucius subministrare per intervalla consueverat; Ignatius ratus eorum operam melius posse alibi collocari, Cardinali praemonito, qui difficilia videns futura incrementa, facile veniam dedit, omnes evocavit. Pro Eugubino vero Lauretanum constitutum Collegium est.

155. *Præterea n. 28.*: Ne Bononiae quidem defuere, qui præclaris Societatis studiis, ac conatibus se opponerent. Revocaverat illa Bononiam magno animorum compendio priscum in sæpe usurpandis divinis mysteriis Ecclesiae morem, cum ex adverso surrexit Eremitarum



*Anno* par, qui diuturnæ solitudinis latebris singularis sancti-  
*1554.* moniæ fama collecta, apud frequentissimam multitudi-  
 nem, quæ ad eos undique convolabat, morem illum  
 vitio verterent, inque crimen vocarent. Quin ipsum  
 quoque perpulerunt Episcopum, ut quod in tantam  
 consuetudinem venerat, id quibusdam in locis, atque  
 Cœnobiis edictis suis, nutibusque dissolveret. Quæ res  
 cum divinæ, & animarum causæ vehementer officeret  
 (erat enim plena fraudis, atque fallaciæ); Collegii  
 Rector Franciscus Palmius admonendum ea de re pro-  
 tinus putavit Ignatium. Rescripsit B. P. Eremitarum  
 doctrinam e spiritu ortam non bono videri, quæ tam  
 acriter oppugnaret animorum singulare præsidium. Pro-  
 inde Franciscus ageret ipse cum Præsule; sique usus es-  
 set, doctorum ea de re sententias in scriptis ab Urbe  
 missum iri. Egit igitur cum Episcopo Palmius, & plus  
 apud prudentem Antistitem erudita sanctitas, quam san-  
 cta simplicitas valuit. Sententiam mutavit, & quæ sum-  
 ma cum animorum incolumitate Sacramentorum crebri-  
 tas cœperat, ejus auctoritate ad hoc usque tempus con-  
 tinuata permansit.

156. *Accedit a n. 49.*: Tornacensis Antistitis Caroli  
 Croji frater erat Antistes Cameracensis Robertus Cro-  
 jus. Sed ille dum Societatem lætus amplectitur, is per  
 literas suis ministris edixit, ne quemquam de ea permit-  
 terent in sua diœcesi concionem advocare. Quod si  
 quem ejusmodi nacti essent, carcere coercerent: Ber-  
 nardumque (Oliverium) modestè rationem conantem  
 reddere, cum Ignatii monitu sedulo Patres cavissent,  
 ne Parochorum usquam injussu quicquam aggrederen-  
 tur; male verbis accipit. Ea re commotus Lovaniensis  
 Academiæ Cancellarius Ruardus Tapper, ... acres, &  
 incensas ad Cardinalem Polum literas dedit, ut sibi  
 cordi Societas esset. Polus, ut erat jam pridem in hunc  
 ordinem animatus, accersitis Cameracensis Præsulis ad-  
 ministris, sua prudentia, autoritateque perfecit, ut E-  
 piscopus revocaret edictum, quod in præsentia fecit,  
 facile patiens ut tres illi, Quintinus, Bernardus, An-  
 tonius suis rite muneribus defungerentur. Vetuerat id  
 An-



Anno  
1554.

Antistes, quod acceperat quosdam e Mendicantium familiis, & numero Parochorum litem statuisset nostris intendere, & lege agere, quod cum nullam nos mercedem ex factitandis sacrificiis, laxandisque rite noxis, & concionibus habendis admitteremus, id nimirum sibi, quos aliena benignitas aleret, fraudi esset. Verum his quoque motibus quies cessit, non tamen longa. Namque Cameracensis Præsul prius illud, nulla prorsus oblata a Patribus causa, renovavit edictum; & Societatis homines tota sua diœcesi, quæ cum Tornaco conjuncta erat, prædicatione divini verbi, & sacrorum administratione prohibuit... At Ignatius nihil difficultatibus his commotus... satis habuit commendatitias a Cardinali Carpensi literas mitti ad Apostolicum Nuncium agentem cum Imperatore Bruxellis. Interimque suos (uti semper in ejusmodi causis solebat) admonet, quam modestissime se se gerant, neu quid asperius in Episcopum, unde magis irritetur, efficiant, neque sua jura contra ejus edicta per Apostolicas literas, quod eis proclive erat, prolata defendant. Nuncius ubi literas Carpensis accepit, Bernardo Oliverio, qui eas reddidit, se recepit non modo Cardinalis in gratiam, sed Societatis etiam causa, quam amabat, cum Episcopo verba facturum, ... Nostri vero ex Ignatii præscripto submissione, & mansuetudine utendum rati se tenuere Tornaci: nec in Cameracensem diœcesim egressi sunt.

157. *De Joanne Avila, inquit Orlandinus l. 14. n. 60., Michael Turrianus Cordubam cum venisset, hæc ad Ignatium scripsit. Juvat enim ipsas interdum magnorum virorum voces inserere. Quam, inquit, de Patre, ac Magistro Joanne Avila conceperam animo opinionem, eam confirmavi vehementer, cum in hominis congressum, usumque perveni. Fuitque maximum mihi sinceritatis, ac veritatis ejus spiritus argumentum, cum vidi quam ex animo complectatur, & excipiat spiritum Societatis, & cuncta ejus instituta: idque ait se facere naturali quadam quasi proprii amoris illecebra, quod omnia plane congruunt cum ea forma, quam in animo suo ipse descripserat: id esse, quod suo in spiritu sentiebat,*

ac



*Anno* ac sentit. Verum se paranympum instar S. Joannis  
*1554.* fuisse, & gaudiò gaudere propter sponsum. Nec aliter  
 sibi contigisse atque si puer conetur lapidem ingentem  
 attollere, qui dum præ virium infirmitate rem nunquam  
 perficit, vir superveniens robustus pro virium magnitu-  
 dine nullo negotio tollit, suoque loco apte constituit.  
 Quo simili vir modestissimus seipsum parvulum cum vi-  
 ro valido conferebat Ignatio, qui onus hoc alienæ cu-  
 randæ salutis multo quam ipse melius ferret, ac suis  
 humeris sustineret. Et addebat, quamvis ipse pro voto  
 Societatem coire cum illo per ætatem, viresque non  
 posset, curaturum se certe, ut ad eam quamplurimos,  
 quotquot idoneos reperisset ex sua disciplina, submit-  
 teret; nec minus ei foris, quam intus prodesset. Haud  
 aliter ab eo factum, ac dictum. Jam Borgia, *subdit*  
*ib. n. 62.*, ubi se Præpositum aliis, & sui juris quod-  
 ammodo sensit, nec habere, qui se pietatis in studiis,  
 atque in suo coercendo corpore coerceret, auxit vehe-  
 menter solitas preces: & ciliciorum, verberationum,  
 jejuniorumque asperitates intendit magno cum incom-  
 modo valetudinis, cui tantum quotidie detrahebat, quan-  
 tum studiis illis asperioribus adjiciebat; ut necesse ha-  
 buerit ea de re commonefactus Ignatius frænos ei ca-  
 stigationis injicere, & illius regendi corporis habenas  
 alteri tradere; ne id suo, sed alieno tractaret arbitrio.  
*Bartolius in vita S. Francisci l. 3. c. 1. declarat, a col-*  
*lato in Borgiam supremo Commissarii officio Hispanos patres*  
*timuisse, ne collata sibi potestate liberius in seipsum abu-*  
*teretur, atque adeo periculosius: quorum proinde commu-*  
*nem sensum aperiendum omnino Ignatio necessarium ratus*  
*P. Bartholomæus Bustamante, Borgiæ itinerum comes, san-*  
*cto Patri scripsit, P. Borgiam non modo extenuatum esse*  
*& confectum continenti, nec intermisso in corpus suum in-*  
*ternecivæ crudelitatis bello, sed ægrum etiam assiduis & gra-*  
*vioribus morbis, nempe acerborum in duas vel tres horas do-*  
*lorum & affectionum stomachi perturbati & languentis, ac*  
*podagræ frequentis, ut facile in graves & periculosos de-*  
*labatur morbos: & tamen ipsum ardentissimi sui spiritus*  
*causam tam solerter agere & orare, ut sævissimam etiam*  
*sui*



sui corporis tractationem, levio- rem probet medicis & inno- Anno  
 xiam, quò eos in suam trahit sententiam, non quidem ejus- 1554.  
 dem rationibus convictos, sed reverentia victos, qua illum  
 prosequuntur. Quare si nulli jam subditus arbitrato suo  
 agere in seipsum poterit, & inclementi corporis usui eos ad-  
 jungat labores, quos provinciarum fert administratio, iti-  
 nera quævis quavis tempestate pedibus, ut solet fractis  
 etiam viribus, conficiendo; quid de hoc expectare oportebit,  
 nisi ut se paucis conficiat mensibus, ubi tam prodigo  
 suæ vitæ non adsit tutor, qui labores & cruciatus pro vi-  
 ribus ejus moderetur ac regat? Placuit S. P. Ignatio con-  
 silium, qui proinde illico P. Francisci curam dedit Fratri  
 Michaeli Marco, qui Ducis olim servus, & suus in Socie-  
 tatem assecla, tunc ipsi socius subserviebat. Hæc ille vi-  
 detur ex Romano deprompsisse tabulario; cui non adver-  
 santur Orlandinus, & Ribadeneira, qui lib. 2. c. 10. pa-  
 ria tradit Orlandino; interpretes autem Schottus aperte ad-  
 versatur his verbis de suo adjunctis: Qua re cognita, I-  
 gnatius factum absens reprehendere, modum in omni re,  
 in Asceticis quoque exercitationibus servandum, ut su-  
 peresse possimus. Sacerdotem itaque senem addidit,  
 cujus consilio pœnitentiæ effecta regeret... Quibus videtur  
 interpretes Bustamantem senem indicasse. Adversantur etiam  
 Bollandiani Oct. t. 5. p. 187. n. 150., ubi in Oppido vulgo  
 S. Lucar de Barrameda fratrem Bernardum Borgiæ comi-  
 tem adscribunt, ac dein p. 195. n. 180. sic ajunt: His-  
 pali digressus, ad Fanum Luciferi (ita quidam oppidum  
 S. Lucar de Barrameda vocant) se se contulit, ubi præ-  
 ter fructus ceteros Melchiori Marco Catalauno & mu-  
 sico olim suo, cum Catalauniæ Prorex erat, ingredien-  
 dæ Societatis mentem injecit: qui deinde coadjutoribus  
 adscriptus, Francisco in iis, quæ ad privatam ejus perso-  
 nam vitæque rationem velut superior datus fuit, cui ille,  
 quamquam ceteris præesset, humillime promptissimeque  
 in omnibus paruit. Quod postremum Januario mense 1555.  
 gestum, & e patriæ historiæ scientioribus Hispanis desump-  
 tum, Bartolii narrationem emendat. Ad hæc Orland. n. 78.:  
 In eadem Castellæ provincia jactum est initium Placentini  
 Collegii: cujus autor Guterrus Carvajalius Episcopus  
 fuit.



*Anno* fuit. Qui cum Lainii, ac Salmeronis in Tridentino Con-  
*1554.* cilio notitiam, & usum aliquem habuisset; Societatis  
 opinione captus, & fama fructus, quem ejus tum Col-  
 legia ferebant, ipse quoque consilium cepit constituendi  
 in sua ditioe Collegii. Ea de re cum sedulo scripsis-  
 set Tridento ad Ignatium, ac deinceps perseverasset  
 flagitans, missus est ad eum ineunte Augusto Villanova  
 cum Doctore Marco Salina: eodem postea cum Busta-  
 mantio, aliisque nonnullis Borgia ipse se contulit....  
 Mittebat Deus per id tempus tam multos, tamque ido-  
 neos ad Societatem viros e Salmanticensi, Compluten-  
 sique præsertim Academiis, ut ad eos proprie, ac se-  
 paratim instituendos Probationis condenda domus, quæ  
 ad eam diem nulla in ea provincia fuerat, videretur.  
 Et alioqui B. Pater, Natalisque decreverant, ut sin-  
 gulis in provinciis quantum fieri posset, sua essent do-  
 micilia ad periclitandos tyrones, ac diligenter erudien-  
 dos: cum ipso esset usu compertum magna proficisci  
 incommoda, si Novitii præpropere in lucem, ac pul-  
 verem proferrentur: ac demum necesse esse in proprios  
 Societatis mores, ac leges, quæ jam publicabantur, no-  
 vellam sobolem conformari: ut unum ubique aptè co-  
 hærens, compactumque, & quasi coloris ejusdem ado-  
 lesceret corpus. Impulit ergo Deus honestum e curia  
 virum, Joannem Moscheram e Vallisoleti Rectoribus  
 unum, Hispaniæ proceribus notum, .. ut domum, quam  
 Septimancæ cum hortis habebat, Societati donaret;  
 quæ versa est in Novitiorum palæstram. *Sed horum de  
 initiis Collegiorum, ac de miranda morum conversione tam  
 Præsulis, quàm Rectoris, quos dixi, longè præstat Orlandino Cienfuegos l. 4. c. 11. & 14.*

158. Borgia vero, subdit Orland. n. 81., dum in his  
 curis, vigiliisque totus est, novum rursus periculum adiit,  
 ne ex obsoleto humilitate vestitus ad honorem purpuræ voca-  
 retur. Id enim Princeps Philippus agebat. Quod odoratus  
 Pater ab ejus sorore sui perstudiosa Joanna summè contem-  
 dit, suis ut literis ab ea mente deduceret fratrem, rogaret-  
 que ne pateretur, id ab ejus urgeri parente Imperatore Caro-  
 lo. Ignatius quoque, pergit, tametsi omnes Romæ aditus

occu-



occuparat, tamen ut hoc insuper accederet munimenti, jussit Franciscum e promulgatarum Constitutionum formula vota illa privata concipere; quæ ab edita professione privatim Professi nostri concipiunt; quorum unum est, nullum ut dignitatis honorem admittant, nisi ejus adigantur imperio, qui pro potestate, imperioque peccati vinculo detrectantes obstringat. Voluitque ea ad se vota B. Pater in scriptis mitti: qui mos etiamnum viget. Ipse verò Borgiæ causam cum Julio Pontifice tam ardentem egit, ut tutum illum ab hujus imperio, & ab honorum periculo, metuque præstiterit. Cum vero tota Hispania novas Societati sedes, civitates, virique Principes offerrent, iisne morem omnibus Ignatius gereret, Sociorum paucitas faciebat, quod minus poterat novis Collegiorum initiis operam dare, sine veterum detrimento. Erat enim in ea sententia B. Pater, ut prius ad stabilitatem firmarentur incœpta, quàm in ordiendis novis opera poneretur. Nec e re disciplinæ putabat ad ea mittere nuper admissos, ipso jam usu perdoctus, eos in Collegiis sive novis, sive perparvis non tam commode iis imbui posse moribus, pietateque quam susceptæ vitæ rationes exigent. *De Joanna Philippi Regis sorore, quam ipse Angliam profecturus, nuper a morte Lusitaniæ Principis viduatam, regnorum Hispaniæ administram constituerat, Bartolius l. 2. c. 11. sic ait: Societatem magnopere adamavit, prorsus ut ejusdem filia esse voluerit: Sanctum verò fundatorem Ignatium tanta coluit veneratione, ut ab eo rogata, omnia ut faceret, quominus Philippus Princeps P. Franciscum Borgiam Cardinalem fieri contenderet. ipsa non solum ita, ut rogabatur, fecit scriptis Londinum ad fratrem literis, sed aliis etiam eidem S. Ignatio missis postulatum ipsius ut æquissimum laudavit. Deum aiebat Religionibus proprium cuique dedisse spiritum, quo vult omnem operam sibi ab eisdem præstari, nec mutari quicquam posse sine magno ipsarum detrimento. Hæc ille.*

159. P. Garzia l. 4. c. 10. e manuscripto P. Petri a Ribadeneira hæc refert: Cum anno 1554. P. Michael Turrianus longam disputationem cum N. de Societatis



*Anno* Instituto, atque in primis de nōmine ipso Societatis  
*1554.* Jesu habitam retulisset, rogassetque (Ignatium), ut  
 videret, num quid vitandæ offensionis causâ mutandum  
 esset; noster illi Pater respondit, nomen istud altiores  
 agere radices, quàm ut mundus nosset; quam ob rem seu  
 de ipso mutando, sive de alio assumendo, minimè agen-  
 dum. *Bollandiani, quos Ribadeneiræ dicta hæc latuere,*  
*t. 7. Jul. p. 473. n. 333. 334. præter alia plurima, quibus no-*  
*men Societatis Jesu abunde tuentur ac illustrant, e P. Di-*  
*daco de Guzman hæc enarrant:* Cum jussu Ss. P. nostri  
 Ignatii duo Patres Cardinalem nuncupatum de la Cue-  
 ba, parentis nostri, nostrarumque rerum amantissi-  
 mum, ejus nomine inviserent, Cardinalem eis inter lo-  
 quendum dixisse, sibi minime probari, nomen Jesu So-  
 cietati nostræ impositum, ne magnam apud alias Reli-  
 giones invidiam excitaret. Quam Cardinalis sententiam  
 cum relati Patres, domum regressi, Sanctissimo Patri  
 nostro renuntiassent, in hæc tunc Sanctissimum Patrem  
 prorupisse verba: Si non diceretur Societas Jesu, pos-  
 set dici Congregatio Jesu, vel Religio Jesu, vel Ordo  
 Jesu: sed nomen Jesu non credo auferendum: clarè  
 significans, nomen Jesu ab ipsomet Jesu inditum fuisse.  
*Ribadeneira l. 2. c. 11., cujus initio in editione Matriten-*  
*si 1605. plura inseruit, in Latina dein Schotti versione*  
*p. 683. inscitè prætermissa, relata visione, qua in agro*  
*Romano, oppido vulgò Storta, Jesus Ignatio dixit, Ego*  
*vobis Romæ propitius ero: Quo etiam factum est, in-*  
*quit, ut, cum postea de Societate instituenda inter I-*  
*gnatium, Sociosque constaret, nomen tamen quærere-*  
*tur, quo insignita, & notata a Christi Vicario confir-*  
*maretur; Ignatius a reliquis Sociis impetravit, ut sibi*  
*integrum esset, ad arbitrium suum, Societati quod vel-*  
*let, nomen imponere. Quod omnibus probantibus, &*  
*libentissimis fecit. Et tum præclaro illo viso, tum aliis*  
*divinis illustrationibus multis magnisque ita Dominus Je-*  
*sus ejus in mente Sacratissimum suum Nomen impressit,*  
*penitusque infixit, ut ejus ex nomine Societati nomen*  
*imponeret, tam clara ac firma luce collustratus, &*  
*usque eo pro certo habens, id Deum velle, ut ab hac*  
 men-



mente se dimoveri numquam posse diceret. Quodque volentibus sociis, ac consentientibus fecit, id repugnantibus, ac dissentientibus omnino fecisset, propter divini luminis claritatem. Itaque Societatem Jesu appellari voluit, ut qui huc vocati fuerint, non se in Ignatii ordinem aliquem adscriptos, sed in stipendia & Societatem Filii Dei Jesu Christi Domini nostri vocatos agnoscant: sub illo summo Imperatore mereant, ejus signa sequantur, crucem suam cupide tollant, & in auctorem fidei & consummatorem Jesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum illis, atque persuasum sit, Ducem suum sibi præsto esse: illum non Ignatio solùm & sociis, ut videmus hactenus fuisse, sed sibi quoque futurum semper propitium sperent, siquidem se veros Societatis filios exhibeant, & Patrum suorum imitatores. *Hæc videtur ignorasse vir cum primis eruditus Josephus Catalanus, qui Romæ an. 1749. amplissimis Commentariis Sacrosancta Concilia Œcumenica illustrabat; ac tomo 4. pag. 122. in Canones Conc. Lugdunensis II. de Sacello vetusto Sodalitii, sive Societatis Nominis Jesu Romæ in Sacra Æde S. Mariæ super Minervam nuncupata: Teste, inquit, Bartholomæo Piazza, inter alios viros sanctissimos, qui prædictæ Societati Nominis Jesu, seu Dei in ipsa Ecclesia Cœnobii Minervitani nomen dedere, fuit & ipse Societatis Jesu Fundator S. Ignatius Lojola, qui etiam Societati ipsi Jesu nomen indidit: Quam tamen deinde, ut in ejus vita ait Maffejus lib. 2. cap. 5., verbo scriptoque minimam vocare solitus est; quod reliquis Religiosorum Familiis (quas item Societates Jesu licet optimo jure appellare) cunctis omnino tum de splendore, tum de antiquitate concederet. Ita ille in fine citati capituli. Bartholomæus Piazza, subdit ad calcem ejusdem pagine Catalanus, in Opere Italice exarato, cujus Titulus est, Emerologio di Roma &c., Clementi Pape XI. dicato anno 1713. ad diem 1. Januarii pag. 8. ita ait: Alla Minerva all' Altare del Santissimo Nome di Dio, in cui vi è una divota Compagnia instituita dal Padre Francesco Vittoria, chiamato dal Cardinal Sforza*



Anno 1554. Pallavicino, *Gran lume della Teologia*, Spagnuolo, arricchita di molte grazie, e privilegi spirituali, a questo fine d'impedir le bestemmie. E perchè nel suo principio mirabilmente fiorì questo Santo Istituto per togliere da i Fedeli questo così esecrando eccesso, si fece in esso arruolare per Fratello, e Operario di così bell'impresa S. Ignazio, da cui prese il motivo, dice il P. Daniel Bartoli nella di lui Vita di nominare con questo Augustissimo Nome la sua illustre Compagnia, tutta indirizzata a promuovere la maggior gloria, ed onor di Dio. *Ita ille. Sequenti verò pag. 123. n. XI. sic inquit Catalanus: Porro quum ante S. Ignatium Lojolam inclytæ Societatis Jesu Fundatorem institutæ jam essent vel secularium hominum Societates, quæ dicebantur Sanctissimi Nominis Jesu, quarum inter alios meminit eruditissimus Eques Victorius in Opusculo, De Monogrammate SS. Nominis Jesu, pag. 26. & seq. mirari mihi subeat, cur nonnulli, & quod percipi vix potest, viri pii, atque doctissimi Jesuitas nascentes momorderint, quod illum sibi Societatis Jesu titulum assumssissent. Mox profert in exemplum notam Melchioris Cani censuram, & Ferrianas in eundem vindicias. Ubi Catalanus fucum sibi a Piazza factum non sensit; nec dubito, quin eidem Piazzae male feriatu nebulo rotam illam obtruserit narrationem de S. Ignatio Minervitanæ Societatis Jesu fratre & operario, unde Societati dein a se institutæ sanctissimum Jesu nomen indiderit. Figmenti vades profertur Romæ impudentiùs P. Daniel Bartoli, qui ab an. 1659. ibidem de Vita, & Instituto S. Ignatii libros quinque iterum auctos ediderat. De primo Ignatii Romam adventu agit Bartolius lib. 1. n. 23., ubi nullum video fabellæ vestigium; de altero verò cum Sociis lib. 2. a n. 36. ad 50., qui totus est de nomine Societatis Jesu, tam multa ille congestit confictæ fabulæ contraria, nedum vel hilum quod fauveat, ut mirum sit, viros eruditos ac pios veritati perspicuæ tantas Romanæ in luce tenebras offudisse. Cum Bartolianum hoc opus, sæpissime recusum, lectoribus, præsertim Italis, facile sit obvium & parabile, pauca seligam, quæ abunde fictam fabulam coarguant, evertant, conficiant.*



ciant. Bartolius enim l. 2. n. 36., quem dixi, pluribus Anno  
 narrat, S. Ignatium, ut de rebus communibus simul age- 1554.  
 rent, Socios suos omnes Vincentiam evocasse, prius quam  
 ipse cum Fabro & Lainio Romanum iter susciperet. Quo  
 in conventu præter ea, quæ de communi ad Apostolicam  
 formam vivendi agendique ratione & forma uno eodemque  
 sunt omnium sensu constituta; quoniam sæpius ex ipsis  
 quærebatur, quinam essent, quam regulam tenerent, quove  
 nomine vocarentur? Quæsitæ est etiam aliqua forma consi-  
 milis seu uniformis, qua possent rogantibus se satisfacere.  
 Verùm hæc quæstio non fuit ad deliberandum proposita;  
 jam enim de illa S. Ignatius constituerat, non quidem tunc,  
 neque suo arbitrato, sed ut constanter ii sensere omnes qui  
 cum ipso egerunt, jam inde a Minoresa cum Deus in ve-  
 xillorum meditatione prima illi ostendit Societatis lineamen-  
 ta. Quare ipse dixit, omnibus plane consentientibus, ut  
 quoniam Socii erant in unum collecti a solo Jesu amore,  
 & ad solam Jesu gloriam, non nisi de Societate Jesu dice-  
 rentur. Quibus inter se constitutis, delectisque civitatibus,  
 a se mox excolendis, post mutuos suavissimos amplexus,  
 profecti sunt Romam Ignatius, Faber, & Lainius; Xave-  
 rius, & Bobadilla Bononiam; Rodriguez, & Claudius Fer-  
 rariam; Paschasius, & Salmeron Senas; Codurius, & Ho-  
 zes Patavium. Hactenus ille: qui exinde a n. 40. Romana  
 B. parentis gesta fusius persequitur, longamque de Socie-  
 tatis Jesu nomine disputationem novis luminibus illustrat.  
 Jam verò si Minervitana Societas SS. Nominis Jesu insti-  
 tuta fuit a Francisco Victoria, atque inde Ignatiana Socie-  
 tas Jesu nuncupata; quæ fieri potuit, ut Melchior Cano,  
 qui Magistrum suum Victoriam ut oraculum suspexit, exi-  
 miisque laudibus exornavit; illud idem Societatis Jesu no-  
 men a tali tantoque natum patre & magistro, in subse-  
 quente Ignatio censura illa sua vexarit? Qua vel in ma-  
 gistrum, quæso, reverentia, vel in Ignatium æquitate?  
 At enim Jacobus Echard locuples Francisci de Victoria lau-  
 dator 1. 2. Script. Ord. Præd. nihil ei adscribit cum cœ-  
 nobio Minervitano commune, nedum institutum ibidem SS. Je-  
 su nominis Societatem; cum, eodem teste pag. 107., F. Di-  
 dacus a Victoria, Francisci frater natu major scripserit  
 Regu-



Anno 1554. Regulam & ordinationes Confraternitatis nominis Dei adversus juramentorum ab ipso institutæ. Porro autem res ipsa, quam Piazza dudum Romæ prodiderat, latuisse videtur & Echardum, & Bollandianos t. 7. Julii. Viderint rerum suarum peritiores Diminiciani Patres, num fides aliqua narrationi ejusmodi sit habenda. Ego quidem libenter assentior Benedicto XIV. die 30. Septemb. 1748. ad Hiberniæ Episcopos scribenti, quod antiqua (jam inde a sec. 13.), & saluberrima Confraternitas sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu, seu Nominis Dei contra blasphemias, perjuriam, & illicita juramenta a Fratribus dicti Ordinis instituta, & ab eis semper exculta, & per univrsam terrarum orbem propagata fuit: ubi exinde sæpius eandem & Confraternitatem, & Societatem promiscue appellat. At vero Confratres, qui sanctissimum Dei, & Jesu Christi nomen Societati suæ tribuebant, reliquos certe fideles nec Atheos, nec Antichristos denotabant; nec impune in illos Melchior Cano lib. 4. de locis theol. c. 2. verba hæc intorsisset: Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus Jesu Christi: quæ sine dubio Societas cum Christi Ecclesia sit, qui titulum sibi illum arrogant; ii videant, an hæreticorum more penes se Ecclesiam existere mentiantur. Liceat non levi animi mei mœrori in re adeo invidiosa levamen aliquod petere e S. Paulo ad Philipp. c. 1. v. 15. dicente: Quidam quidem & propter invidiam, & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant... Quid autem? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Denique morem geram viro erudito, qui e re nostra esse arbitratur verba Concilii Lugdunensis II., quibus observandis sacer Patrum Prædicatorum Ordo Societates illas Sanctissimi Nominis Dei, & Domini nostri Jesu Christi continuo fundavit, teste Rmo P. Antonino Bremond apud laudatum Catalanum. Sunt autem Lugdunensis Concilii verba Can. 25., quæ sequuntur: Nomen illud, quod est super omne Nomen, a quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat; Nomen videlicet Jesu Christi, qui salvum fecit popu-



populum suum a peccatis eorum, exhibitione reverentiae specialis attollant, & quod generaliter scribitur, ut in *Nomine Jesu omne genuflectatur*, singuli singulariter in se ipsis implentes, praecipue dum aguntur Missarum sacra Mysteria, gloriosum illud Nomen, quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. *Hactenus Concilium. V. n. 186.*

*Anno*  
*1554.*

160. *A Bolland. t. 7. Jul. a p. 425. fusius vindicatur libellus Exercitiorum S. Ignatii, delibanturque Doctorum Vergarae, & Cuestae ad Ignatium epistolae, integrè ferè productà gravissimà Doctoris Bartholomaei Torres Apologia subscripta 2. Januarii 1554. ; quo etiam mense P. Hieronymus Natalis literas dedit Cordubae ad P. Antonium Araoz contra eos externos, qui revocabant in dubium Exercitia spiritualia, & Institutum Societatis. Qua de re Orlandinus anno 1553. l. 13. n. 33. : Hujus, inquit, exitu anni Toletana in Urbe, lateque per Regnum gravis adversus divinum illum Exercitiorum libellum exoriri coepit procella. Silicæi vetus offensio, tanquam malè curatum ulcus sub cicatrice vivebat: Melchior Canus Canariensi abdicato Episcopatu, cum apud Carolum, ac Principem offendisset, suspicionem in Araozium velut sibi obstantem intendit. Horum & autoritate nixus, & voluntatibus obsecundans (ut est creditum) Thomas Pedroccius (e Silicæi familia) bellum Exercitiis indixit... Tanto igitur malo Araozius occursurus.. Doctores magni nominis rogat, suam ut & ipsi de eo opusculo sententiam scripto edant, & suo chirographo subsignent. Quod præ ceteris Alfonsus Vergara Conchensis Canonicus, pietate ac doctrina inclytus, Doctorque Joannes Costa (lege Cuesta), & Bartholomæus Torres, ambo deinde Episcopi, ille Legionensis, hic Canariensis... luculenter fecere. Nec dubium, quin Ignatius tantis viris hoc anno literis grates rependerit.*

161. *Cum Lusitaniæ Rex a S. Ignatio Patriarcham, & Patres aliquot in Æthiopiam postulasset, Ignatius continuò institutionem scripsit de ratione, quam in vinea illa excolenda nostri tenerent; Regi autem respondit multis in medium allatis rationum momentis, quibus pia illius probabat*



Anno 1554. babat consilia, Christianæ per Æthiopiæ Reipublicæ utilissima. Hæc Tellez in hunc annum t. 2. l. 6. c. 5. quæ Orlandinus l. 14. n. 112. in 1546. videtur referre: Rex, inquit, Lusitanus jam pridem cupidus Abassini Regis, ac Regni catholicam ad fidem, autoritatemque Romani Pontificis adjungendi, postulaverat in eam rem jam inde ab anno 1546. (uti tum docuimus) Patres aliquot ab Ignatio: id quod tanto studio a B. Patre, ac contentione susceptum est, ut quos in ea Regna transmitteret, iis jam ad obeundam rite legationem illam præcepta quædam, & documenta conscripserit. Vicissimque Joannem Regem multis ipse rationibus incitarit, ut rem non modo Divinæ Majestati gratam, Ecclesiæque universæ salutarem, sed ipsius etiam aptam commodis, Regnoque perutilem, atque perhonorificam promovere, atque urgere non intermitteret. Nihil tamen ea de re nisi ad hunc annum 54. actum est: quo Rex denuo ad Ignatium scripsit, duodecim ut e Societate viros non minus probitate vitæ, quàm eruditionis laude præstantes exciperet: e quibus unum ipse Patriarcham, duos autem ejus adjutores, & successores eligeret: ceteri vero suis concionibus, & colloquiis inveteratas e deceptis mentibus hæreses, & errorum fibras evellerent. Verùm hîc iterum Tellez ab Orlandino dissentit; ait enim Regem eodem anno præter Patriarcham, duosque ipsius adjutores, alios insuper Socios duodecim ab Ignatio petivisse. Revera deinceps, teste Ribadeneira l. 4. c. 13., Patriarchæ, & Sociis Episcopis, novem alios comites Ignatius addidit, Italos, Flandros, Lusitanos, Castellanos: quos duodecim Orlandinus l. 15. n. 1. & 123. nominatim recenset. Aliam de hoc Sociorum numero Ignatii sententiam dat ejusdem ad Patriarcham epistola, de qua infra n. 167.

162. Dein n. 113. Orlandinus, cui hæc in re Tellez consentit: Ignatius, ait, Regiis acceptis literis, quam exploratissimum jam habebat plurimos de Societate fore, qui cupide profectionem illam expeterent, ad eamque se se ultro, ac libenter offerrent, quo tamen id esset exploratius, monitos omnes voluit præsertim Lusitanæ provinciæ Patres, nulla facta de honore  
men.



Anno  
1554.

mentionem, ut quibus ad ea regna pronus esset animus, ii se per literas indicarent. Nemini que tam arduam in expeditionem, iterque longinquum animus, & alacritas defuit. Ignatius igitur post accuratam precationem... Joannem Nunnium Barretum Lusitanum.. Andream Oviedum Castellanum.. & Melchiorem Carnerium item Lusitanum designavit. Hos Regi nominavit, & de cujusque virtutibus, & ornamentis edocuit. Quanquam autem valde avebat, ut ad Patriarchatum Nunnius eveheretur, duo verò socii episcopali dignitate coadjutores, iidemque (si quid ei gravius accidisset) Successores eligerentur, eligendi tamen optionem, potestatemque Regi permisit. Sed eodem videlicet incubuerat regia mens, ut Nunnio mandaretur id munus,.. Et quoniam Ignatio visum erat, ut aliquis e Societate Goæ Apostolici Commissarii nomine ampla cum potestate, autoritateque resideret, qui Patriarcham ipsum ex intervallo reviseret, deque ejus muneris administratione cognosceret, quo facilius Pontifici Romano subjunctum in Apostolicæ sedis obedientia, fideque contineret; Rex suum in Urbe legatum per literas monuit, ut ea de re, & de Patriarcha, deque ejus adjutoribus cum Pontifice transigeret, Ignatiumque moneret, ut quod spectaret ad Commissarii potestatem, id ipse statueret, quod esset a Pontifice postulandum. Ignatius autem ad id munus unum omnium maxime idoneum Collegii Rectorem Gasparem, quem nondum diem obiisse resciverat, nominavit.. Interim Provincialis Miro Joanni Nunnio,.. & Regis, & Ignatii de legatione Æthiopica voluntatem (ut habebat in mandatis) exposuit.

163. Quam quidem Nunnius, quod ad itineris capebendos labores, libenter est amplexatus, sed adjunctum munus honoris.. intoleranter ferens supplices ad Ignatium literas dedit, ut per confossum vulneribus Christum, infirmis suis humeris parceret, nec illud sibi onus imponeret, quo suscepto, animi salutem in discrimen adduceret. Cumque in rebus omnibus imperatis, quæ culpa vacant, obtemperandum sibi esse intelligeret, id autem honoris admittere alieno coactum imperio, pec-



*Anno* cato vacare non ignoraret, se ipse jam tum, si quid  
*1554.* in eo magistratu gerendo sua deliquisset inscitia, extra omnem culpam, causamque ponebat. Oratumque per literas Ignatium voluit, ut si in sententia permaneret, juberetque prorsus oneri colla subjicere, voluntatem sibi suam scripto transmitteret, quam & ad solatium apud se conditam asservaret, & ad defensionem suam, cum usus esset, promeret contra technas communis hostis, & diaboli tentamenta, dum desponsæ Deo obedientiæ nutum, pro qua creditam sibi amplecteretur Ecclesiam, tutus, & tranquillus opponeret. Illud insuper ab eodem postulavit Ignatio, ut auxilii causa Patres sibi duos admodum doctos Franciscum Rodericium, & Antonium Quadrium comites profectionis adjungeret, qui sibi sui consilii lucem, doctrinæque porrigerent, si quid in Dei causis, animisque regendis existeret ambiguum, aut obscurum: instans magnopere, ut Commissarius ille Goæ constitueretur, vel alius quispiam prope se, cujus potestati subesset, rationemque gesti muneris reddere cogeretur. Qua B. Pater plurimum delectatus epistola, eam & in conventu recitari sæpe voluit, & adhibitis testibus ratum fieri, quo de autore constaret. Idemque, quod diuturna semel deliberatione decreverat, id fixum voluit. Nunniumque pro potestate coegit onus impositum non abnuere: simul & ejus postulatis omnibus morem gessit. Verum hoc anno longius progressa ea legatio non est, quam ut Oviedus, Carneriusque cum sociis aliquot ex Italia in Lusitaniam iter intenderent. *Sub initium ejusdem libri 14. n. 3. de Patriarcha, & duobus adjutoribus Episcopis designatis hæc post alia præmiserat:* Ad ejus honoris nuncium omnes quidem cohortuere: verum sic expavit Oviedus, qui Romæ tunc aderat, ad id Neapoli evocatus, ut ad Ignatium confestim codicillum exararit, se quidem profectionem in Æthiopiam libenter accipere, & Patriarchæ quoque in laboribus, & ærumnis omni ope adiutorem futurum: ceterum nullo modo adduci posse, ut Episcopatum, seu mortuo, seu superstite Patriarcha, susciperet: neque id sibi a Societate imponi posse. Proinde rogare  
 Pa-



Patrem, & infimis precibus obsecrare, ne sibi ulla ratione id munus conaretur imponere: alioquin æqui bonique consuleret suam ab se causam apud Pontificem maximum agi. Constitutum enim sibi esse vitam in Societatis obedientia omnem exigere. Ea re non modo nihil est animo commotus Ignatius, sed eum item per literas collaudatum hortatus est, ut teneret in recusando constantiam. Verum Pontifex Lusitani Regis supplicatione permotus, ut Oviedus ipse, reliquique duo munus, quod deferebatur, acciperent, imperavit. *De his omnibus consulenda Ignatii ad Patriarcham Nunnium epistola, de qua mox n. 168.*

Anno  
1554.

164. Joannes Nunnus Tituano in Lusitaniam curaturus liberandos captivos paulo ante redierat. Ac ne vis Christianorum magna, quæ laborabat in ergastulis Tituani, sacerdotis spoliata præsidio, sacrorum solatia desideraret, datæ sunt ad Natalem Commissarium literæ, ut sacerdotem illuc alium pro Joanne submitteret. Quod quanquam ab Ignatio, ad quem rem Natalis detulerat, est concessum, totaque res Provincialis voluntati permissa: tamen tanta fuit operarum penuria, ut qui ad eam expeditionem idoneus esset, novo præsertim in Indiam manipulo destinato, inventus sit nemo. Ita Orland. lib. 14. n. 102.: num. autem 115. indicatis Patrum in Brasilia excolenda laboribus, & incommodis: Sed specimen, inquit, ærumnarum juvat ex Josephi Anciætæ, quam Augusto mense ad B. Ignatium dedit, epistola recognoscere. Ab Januario, inquit, usque in præsens nonnunquam plus viginti (simul enim pueri catechistæ degebant) in paupercola domo luto, & lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim passus longa, decem lata mansimus. Ibi schola, ibi valetudinarium, ibi dormitorium. Cœnaculum item, & coquina, & penus simul sunt. Nec tamen ampliarum habitationum, quibus alibi fratres nostri utuntur, nos movet desiderium. Siquidem Dominus noster Jesus Christus in arctiori loco positus est, cum in paupere præsepi inter duo bruta animalia voluit nasci, multo vero arctissimo cum in cruce pro nobis dignatus est mori. Porro do-



*Anno* 1554. mus angustis cetera erat vita consentiens, frustra nau-  
ticorum velorum, quæ nautarum dabat benignitas, atro  
tincta ipsimet sibi concinnabant in tunicas. Potio erat  
aqua ex milio cocta, & esca legumen ferme, vel olera,  
vel aliquid mandiocæ. Hac æstate primum missus in Eu-  
ropam est Leonardus Nunnus, qui B. Patri statum re-  
rum Brasilicarum exponeret, & certa ex eo responsa  
difficultatibus, quas dies offerebat, referret.

165. Cum hæc in Brasilia gererentur, *subdit n. 130.*,  
in Orientis Solis India mortuo Provinciæ Præposito Gas-  
pare, Melchior Nunnus, Joannis Nunnii, quem Patriar-  
cham designatum modo narravimus, frater, e Xaverii  
morientis chirographo in administratione successerat...  
*Hic in Japoniam profectus Malacæ sua diutius opinione per-*  
*sistit, nullam in Japoniam opportunitatem navigationis na-*  
*ctus...* Quas inter moras percunctanti ex Ignatio per  
litteras Melchiori num ab aliis provinciis esset Indica  
secernenda, an potius cum Lusitana jungenda, respon-  
dit B. Pater, utique secernendam, ut suum apud se  
Præpositum, ad quem suis de rebus opportune refer-  
ret, & a quo rectius administrari possit, haberet. *At*  
*enimvero spectatis locorum intervallis hæc Ignatii responsio*  
*in alterum est annum referenda.*

1555. 166. Ignatianas anni 1555. epistolas sex tantum edi-  
tas licuit hactenus expiscari, ac duas præterea ineditas.  
Editarum prima 24. Jan. 1555. ad Card. Reginaldum Po-  
lum circumfertur t. 5. epistolarum ejusdem Poli, editore  
Card. Quirinio, qui eam undesexagesimam recensuit. De  
primo, ac præcipuo epistolæ argumento, quod Anglicanæ  
Ecclesiæ cum Romana conciliationem spectat, agentibus ca-  
tholico Rege Philippo II., & Regina Maria conjugibus cum  
Apostolicæ Sedis Legato Reginaldo, videndi præter quin-  
tum, quem dixi, tomum Cardinalis Quirinii, primus Julii  
Pogiani a Lagomarsinio illustratus, & pars altera tomii  
primi, cui titulus: Monumenti di varia Letteratura tratti  
dai Manoscritti di Mons. Lodovico Beccadelli Arcives-  
covo di Ragusa; in qua Reginaldi vita a Beccadellio con-  
scripta novis ornatur, pretiosisque monumentis a cl. editore  
Joanne Baptista Morandio S. Petronii Canonico, Benoniensi.

Lati-



Latinae Ignatii epistolae Polus Italicè respondit præmissà Latina salutatione: Reverende in Christo frater charissime, quæ in eodem Quirinii tomo 5. est epistola sexagesimà, data 8. Maji 1555. Novus Pontifex, quem hæc adeo laudat epistola, eximiumque prodit Societatis Jesu fautorem, is est Marcellus secundus, breve Romanæ Sedis solatium, luctus æternus, qui vicesimo primo Pontificatus die, ac primo Maji mensis obierat, cum se Polus in ejus laudes effundebat. Lectu dignissima est oratio in ejusdem funere dicta a latinissimo Julio Pogiano, quem Lagomarsinius effusa ditavit eruditione. Ut autem Quirinius Ignatianam cum Poli epistolis publicavit, sic nos vicissim Poli cum Ignatianis.

Anno  
1555.

167. Altera Ignatii epistola ad Claudium Abassiæ, & Æthiopiæ Regem data est die 23. Febr. 1555. ex fide primarum, & præstantissimarum omnium editionum: quare mendum sine dubio est in versione Gallica Patris Bouhours Vitæ S. Ignatii libro 5. ed. 1680., ubi data dicitur 28. Febr.; & 16. Febr. in Hist. Æthiop. Patris Tellez l. 2. c. 22. Vulgavit eam Joannes Petrus Maffejus Hist. Indic. libro sexto decimo, non autem in Vita S. Ignatii, uti falso a nonnullis scriptum; Orlandinus dein lib. 15. a n. 105., Theodoricus Rainald. ad annum 1555. n. 8.; & e Theologis Thyrsus Gonzalez in eximio opere de infallibilitate Rom. Pont. disp. 9. sect. 9. §. 3., secutus exemplum illustrissimi Sequiros, Doctoris primarii Complutensis, ac Episcopi dein Cassanensis, & P. M. Fr. Francisci Macedo; qui eà tanquam pretiosà gemmà disputationes suas gravissimas ornare se crediderunt. Postremò Italice simul, & Latine prodiit Romæ an. 1790. singulari opere illustrata a D. Nicolao a Laguna, qui eam vocat murum autoritatis Pontificiæ ac unitatis Ecclesiæ inexpugnabilem contra grassantes errores, qui sacram autoritatem omnem ita cum civili committunt; ut utramque demum summa contentione suffringant, ac si superis placet, per nefas etiam omne subvertant. Est quidem versio hæc Italice longè accuratior, quàm Gallica, tametsi sub finem ne ipsa quidem Latino textui respondet. Putaram stultus ego nullam fore in orbe catholico civitatem, Regiæ autoritatis cultricem, quæ tantum Regiæ simul, & Pontificiæ dignitatis præsidium, recusaret, quod S. Ignatius



Anno 1555. *tius utriusque amantissimus Regi Abassino miserit, ut validum autoritatis suæ propugnaculum. Sensi tamen, ac dolui, Typographum in urbe regia ab edendis S. Ignatii epistolis, hac potissimum, absterreri. Posuerunt scilicet firmitermentum ejus formidinem. Jam verò teste Orlandino l. 15. n. 101.: Ignatii ad Patriarcham monita, & ad Regem Claudium literas, cum Rex Lusitanus vidisset, mirum quantum utrunque collaudavit.*

168. *Eodem die 23. Febr. 1555., quo superior ad Claudium Regem, subscripta est tertia ad Joannem Nunnium Patriarcham, quam Tellez in Chronico Societatis t. 2. l. 6. c. 6. Lusitanicè publicavit. Latuit hæc Orlandinum epistola, qua Patriarchæ literis, anteriore n. 163. ex eodem relatis, ita respondit Ignatius, ut ejus postulatis omnibus morem non gerat, & alia narret, quibus eximius alioquæ historicus sit emendandus. Epistolæ quadrant hæc historici verba l. 15. n. 1.: Pontifex Julius non sine Societatis laude præfatus eam, quanquam honores ab Apostolica Sede recusaret, eas tamen cathedras, quæ recens offerbantur, plenas laborum, atque discriminum non subterfugere, summo Patrum Purpuratorum consensu Nunnium Patriarcham, Oviedum, & Carnerium olim Patriarchæ successores, hunc Nicenum, illum Hierapolitanum Episcopos renunciavit, coactos pro imperio delatas infulas admittere. Patriarchæ non in Æthiopiam modo, verum etiam finitimas in provincias summum jus, & potestatem dedit, & sacrum pallium misit. Postmodum a n. 101. sic ait: Coactis jam Patribus in expeditionem Æthiopicam destinatis, cum Apostolica diplomata Patriarchæ, & Episcopis consecrandis nondum essent Roma perlata, jamque navigationis Indicæ dies, & idonea tempestas appeteret, visum est Joanni Regi legationis auctori decem ex eo numero Patrum in Indiam præcurrere, ne navigationis elaberetur occasio: ipsum Nunnium, & Oviedum, donec initiarentur, Olisippone subsistere. Quanquam autem Ignatii mens fuerat, ut qui nondum solemnia Professionis vota susceperant, ea suum ante discessum rite susciperent, quia tamen diu reliquos socios expectaturi erant in India; visum est*



eam quoque rem posse differri. Discesserunt e Lusitania decem Æthiopiæ; duo ipsi Goano Collegio destinati Kalendis Aprilis: quatrduoque post pervenit Olisipponem cum Pontificiis diplomatis tabellarius, & cum Ignatii literis ad Æthiopiæ Regem Claudium quam accuratissimis... Nec Oviedus afflictandi sui corporis consuetudinem intermisit: qui dum nimium indulget animo, parum corpori, morbum ultro sibi accersit: sed nox ab Ignatio paternè communitus, factus est in se ipse mitior... Et quoniam non ignorabant optimi Patres, quantæ essent opes interiores, atque divitiæ, quas Societatis hominibus Sedes Apostolica largiretur, exorari per Ignatium a Pontifice Maximo voluerunt, ut sibi etiam tum sub illis ipsis personis invitè susceptis, liceret tantis potiri, & gaudere thesauris.

Anno  
1555.

169. *Quarta, inedita, deprompta ex archetypo Italico tabularii Ducis Mutinensis, inscribitur foris: Illustrissimo, & Excellentissimo Domino meo in Domino nostro Ferrariæ Duci, data die 9. Martii 1555. Spectat famosum decretum nomine Sorbonicum contra Societatis instituta longe gravissimum: quod quanquam Kalend. Decembris est factum, tamen non nisi anno insequenti 1555., teste Orland. l. 14. n. 51., significatum est nostris, eoque potissimum turbas excitavit. Libro itaque 15. a n. 33. Decreti causas, Decretum ipsum, longiorem ejus confutationem, ac præcipua rerum eodem spectantium capita, cum singulorum adjunctis tam belle, docteque narrat, ut gratum me facturum putem lectoribus, si longiore etiam mora illustriora capita ex ipso descripsero, quæ rem nostram, & argumentum propiùs attingunt. En ejus verba: Ineunte tandem anno Decretum Paschasio traditur sane vehemens, & acre. Quod quia mirum plerisque videbitur, ex viris tantæ sapientiæ, existere potuisse, opportunum reor, causas ejus singillatim exponere: eademque opera ceterarum, quas prope ubique locorum excitatas in hunc Ordinem procellas ante narravimus, narraturique deinceps sumus, causæ, & origines illustrabuntur. Necesse non est turbarum hujusmodi caput ab Satana autore repetere: qui suum dominatum exercens in regno vitiorum quidquid honesti,*  
san-



*Anno* sanctique inter mortales, apparet, in ipso statim exortu  
*1555.* conatur opprimere. Nota sunt in sanctam Christi Eccle-  
 siam nascentem, ac teneram; nota in peculiare coetus  
 commota bella, sive olim Monachorum, sive postea Men-  
 dicantium, contra quos non alieni modo a fide catholica;  
 sed qui hujus defensionem, sinceramque custodiam maxi-  
 me profitebantur, acerrime exarserunt. Itaque in eadem  
 Parisiorum Urbe ab Collegio Theologorum eodem decre-  
 tum jam diu extitit de venerando Prædicatorum Ordine  
 simillimum ei, quod hoc tempore de Societate fecere.  
 Igitur Satan cum tantum oderit bonos, & ad eliden-  
 da honesti semina tam vigil excubet, tam violentus as-  
 surgat, mirum non est, si in Societatem immani qua-  
 dam, & inexplebili rabie se se infert, nempe in eum  
 Ordinem, qui bellum adversus eum adeo fustum, & gra-  
 ve suscepit inter ethnicos, inter hæreticos, inter catho-  
 licos tanto conatu, tot machinis, tamque aptis ad ever-  
 tendam diri monstri tyrannidem. Hominum porrò (ut  
 missos faciam prorsus ab Christiano nomine alienos)  
 genera duo potissimum se se adversaria præbuere, hære-  
 tici, vitiosique Catholici. Quorum item in aperto est cau-  
 sa. Quippe virtuti cum vitio nunquam magis conve-  
 niet, quàm calori cum frigore: & quemadmodum hæc,  
 si prope admoveas, pugna cooritur; ita nisi removeas  
 te, ac sejungas, sed prodeas in aciem, & vitium ag-  
 grediaris, existet pugna, stabitque, donec altera pars  
 alteram... ad sui similitudinem commutet, ac victoriam  
 ferat. Quod cum ita sit, si quando tempus incideret,  
 quo tempore Societati pax esset, pro deterrimo equi-  
 dem interpretarer indicio. Nam quandiu quidem insti-  
 tuta sua retinet, argumentare, si pugnam non vides,  
 vel jam debellatam cum mundo, eique similem factam,  
 quod optandum potius, quam sperandum est; vel eam  
 suo loco motam, & factam similem mundo, quod Deus  
 avertat.

170. Præter hæc duo genera, certos quoque homines  
 interdum adversarios habuit hic Ordo ex aliis Religio-  
 sorum Ordinibus. Ac ne id quidem prudentibus potest  
 mirum, & præter opinionem videri. Non enim protinus  
 cum



cum profano vestitu perturbationes animi exuuntur; numerosisque in cœtibus hac proclivitate, & infirmitate naturæ, illa impugnatione Satanæ, quis bonos, & æquos præstet omnes, & concordia studiosos? Ad hæc hominum ingenia pro institutione, usuque, atque adeo habitu corporum adeo diversa sunt, ut non minor sit in animi vultu, quam in faciei figura varietas. Hæc illos studia, alios delectant alia: nec pronius quicquam est factu, quam ut quisque quæ iudicio, ac sententia improbat, etiam voce, ac sermone condemnet. Igitur assueti suis institutis viri, cum quædam nova caput extulere, consequens videbatur, ut, cum sua amarent, probarentque maxime, ab iis discrepantia refutarent. Nam quotusquisque est tanta vel caritatis amplitudine, qui alienos complectatur, ut suos, vel æquitate sapientiæ, qui res, uti sunt, in suo quamque genere, neutram in partem præiudicii inclinatus ponderibus justo libret examine? Accedit, quod Societas non solum a veteri Religiosorum forma habebat multa diversa, sed ut instituti poscebat ratio, exteriora quædam, & statim severitatis experimenta non assumpserat: commovetque nescio quem sensum, si quem videas eadem tecum profitentem conditionibus non iisdem implicitum, & quasi stadium idem decurrentem non pari pondere gravatum. Docet quidem prudentia, non idem a quovis petendum. Sed tamen ipsi Baptistæ magni discipuli perægre ferebant, quæ ipsi assumebant jejunia, non item ab Apostolis suscipi. Hæc autem in exoriente Societate conspecta multo poterant vehementius commovere, quod vitæ genus ab ipsa susceptum etiam probabatur in vulgus. Super hæc recentis hujus asseclæ disciplinæ, cum totos se in proximorum dedidissent utilitates, nullumque prætermitterent pietatis ministerium, quorum multa religiosorum veterum multi tractabant; nisi egregia quædam pietas pene obstupescisset sensum, necesse erat eos compungi. Paucorum est enim illa Apostolici pectoris generositas: Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annucietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Quin potius ex intima e-

Anno  
1555.Phi-  
lip. 1.



*Anno* rat Schola Christi qui dicebat: Vidimus quendam in no-  
*1555.* mine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum quia  
*Luc.* non sequitur nobiscum. Amat plus nimio naturæ con-  
 9. tumacia, quod singulare existimetur, ac proprium.

171. Ex hoc autem capite oriebatur duplex præte-  
 rea metus, ne & studiis religiosos ad Ordines aspiran-  
 tium, & liberalitate benigne facientium aliò aversa,  
 ipsi aliquando cum disciplinæ, tum vitæ subsidia desi-  
 deraturi essent. Quibus rebus, qui miratur quempiam  
 fuisse commotum, is naturam hominum ignorat; nec  
 statum animadvertit, in quo Christus Dominus suam  
 reliquit Ecclesiam: cui ad vincendum maluit suppedita-  
 re vires, quam pugnæ causas, & victoriæ decus adi-  
 mere. Par causa Ludimagistrorum non neminem incita-  
 vit, cum scholis, quas Societas publicabat, & lucra  
 ipsis interverti, & aditus ad crescendum intercludi pu-  
 tarent. Fuere etiam e Præsulibus quidam adversi, no-  
 mine quidem, ac specie, quod jura Societati ab Apo-  
 stolica Sede concessa potestatem eorum convellerent:  
 sed, ut re vera his omnium levissima fuit causa dolen-  
 di, ita non multos privata quæpiam perturbatio tran-  
 sversos egit. Pars maxima intellexere ad levandas eo-  
 rum conscientias missum id a Deo subsidium. Harum,  
 quas dixi, causarum pleræque ad condendum decretum,  
 de quo narrare institui, confluxere. Parisinus Antistes  
 ante omnes adversabatur, nec possis causam dicere,  
 nisi quod ditioni suæ subjici nostros perinde, ac clerum  
 communem volebat. Nutum Antistitis Doctores vel ob-  
 noxii, vel assentantes non pauci intuebantur. Quidam  
 etiam inter Doctores e Religiosis erant familiis, quos  
 quæ dixi, tangebant. Quin adeo is, qui materiam  
 sylvamque Decreti, & singulorum capitum rationes  
 conguessit, privatim erat offensus, quod sororis filius,  
 ipso invito, ac reluctantante, ad Societatem se aggre-  
 garat. Non deerant, quibus jam Pontificia Majestas  
 obsolesceret: quique satis credulas præberent aures ho-  
 minibus in orthodoxa fide nutantibus. Ad hasce difficul-  
 tates summa accessit Societatis solitudo, quæ & cau-  
 sam præcipitavit. Itaque dum nuda est defensoribus So-  
 cie-



eietas, atque e contrario adversarii acriter depugnant, omnibus locis præsto sunt, hos inducunt, illos demerentur, factum decretum est, quod Sorbonæ equidem adscribendum nunquam censuerim; cum præsertim vel ita gesta re, non defuerint, qui nomen subsignare suum abnuerint, alii anceps suffragium dederint, cum id solum explicarent, se ad plures accedere. Capita tum omnia, tum quædam præcipue ita sunt palam falsa, ut non magis dolere Societas possit, quod incognita causa damnata sit, quam ipsi Doctores irasci, quod falsa rerum narratione tam graviter eis causæ cognitores illuserint. Quod sane paulo post multis, cum rem clarius cognovissent, usu venit...

172. Et confecta res esset, si Henrici secundi Regis in aures, animumque malevolorum penetrare sermones, & ficta crimina potuissent. Sed quemadmodum olim cum Prædicatorum, ac Minorum exagitarentur Ordines, præsidio fuit Ludovici Regis Sanctissimi studium, ita hoc tempore minime credulum nactæ Henricum calumniæ sua sponte denique conciderunt... At ubi Romam de illo decreto allatum est, Societatis Patres, qui gravitate ceteris, & antiquitate præstabant, autores erant Ignatio, ut ei responderetur ab suis, ... At Ignatius, qui meliore quodam spiritu ducebatur, sedato eos animo, solitaque hilaritate oris excipiens, velim, inquit, Patres, memoria, & animo repetatis, quæ Christus olim cum remigraret ad Patrem, suis fertur dixisse discipulis, Pacem meam do vobis, Pacem relinquo vobis: & hæc ipsa vobis quoque dicta in præsentia putetis. Nihil est mandandum literis, vel tale aliquid agendum, unde aliqua oriatur acerbitas. Certis in causis præstat silere, quam loqui: nec vindice opus est stylo, ubi sui ipsius vindex, & propugnatrix est veritas. Magna sane Parisiensium Theologorum autoritas, eoque magis revereri nos eam decet. Neque tamen nos ea conturbet. Nihil diu præponderat veritati, quæ oppugnari illa quidem potest, expugnari non potest. Non acuentur iræ stylo, sed tolerantia minuentur. Tutela nostra Deus est, huic causa nostra committatur, hæc



Anno 1555. & vincet. Ac ne cohortando ad patientiam commendare videretur inertiam; datis ad universam Societatem literis, quæ variis orbis terræ partibus sparsas domos, & studiorum sedes habebat, jussit eam cunctis a Principibus, atque Dynastis, Pastoribus, & Episcopis, Magistratibus, ac Præfectis, civitatibus, & locis omnibus, ubi degebat, publicas de suis moribus, atque doctrina, totoque vitæ genere testimoniationes, & literas postulare: easque publica fide, autoritateque obsignatas ad se transmittere, ut paucorum judiciis, qui nondum satis rem ipsam norunt, universi pene orbis testimonium, atque judicium, si quando opus esset, opponeretur; factum ut imperaverat Pater, & ex omnibus ferme locis, ac civitatibus, regnis, atque provinciis, per quas erat dispersa Societas, pro ea missæ sunt literæ laudum plenæ maximarum. Quas tamen B. Pater non necesse habuit in apertum proferre, veritate paulatim se ipsam asserente.

173. Eadem quæ Orlandinus hoc n. 172., narrat Ribadeneira lib. 4. c. 11., apud quem postrema Ignatii ad suos verba sunt hæc: Aliud minus periculosum, si opus sit (quod equidem non spero) huic vulneri medicamentum adhibebimus, leniore alio medebimur. Addit etiam in postrema editione Matritensi 1605. vidisse se literas illas in Societatis commendationem undique ad Ignatium missas. Porro in Hispania, subdit, quod Sorbonense decretum contra sacrosanctam Sedis Apostolicæ esset auctoritatem, a qua religio nostra probata, & confirmata est; fidei Quæsitores illud tamquam falsum, & quod pias aures offenderet, sub decreto legi prohibuerunt. Acrius in idem Cæsaraugustanæ Inquisitionis decretum edidit Bollandiani t. 7. Jul. p. 507. n. 510.: ibidem a p. 503. n. 492. plurima in apertum protulerunt, quorum primum dedit 21. Martii 1555. Magister Hieronymus Papinus Laudensis, Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Ferrariæ; alterum Ferrariensis Universitatis 20. April. 1555. Universitati Parisiensi hæc ait: Quid quæso? Per omnes Christianorum diversas Congregationes, diversosque Ordines discurrens, numquam vidi ab Apostolis incipiendo, magis  
com-



commodam institutionem, magis utilem, magisque necessariam istâ, .. Schola Jesu & Societas, sicut & cæteræ aliæ debent (juxta Christi documentum), ex operibus judicari; & omnes censuerunt, nihil ab his fieri, quin sit, ob sanctitatem admiratione dignum... Itaque concludebant, si non essent in hac alma patria, undique esse conquirendos, & nullis parcendo impensis, ad Urbem recte ordinatam esse convocandos. Ex eorum enim conversatione tot prodeunt bona, ut nihil melius inveniri possit. Hoc fuit de his viris nostræ Universitatis judicium, .. *Sequitur gravissimum Ægidii Mutinensis Episcopi testimonium sub die 23. April. 1555. ; tum mense Majo Bononiensis Joannis Campegi Episcopi, & Hieronymi Saulii Vicelegati Archiepiscopi Genuensis, Vicarii & Inquisitorum Florentiæ, in Hispania Placentinum & Hispanicum; ac deinceps alia aliubi plurima. Viros tamen eruditos plura fugerunt, non modo quæ deinceps in lucem emisit Lagomarsinius in Julium Poggianum, sed etiam quæ olim Tellez protulerat t. 2. l. 6. c. 15. a p. 570., præsertim Lusitanicæ Regis literas ad D. Joannem Suarez Conimbriensem Episcopum, & hujus de Societate Jesu responsum dat. 16. Aug. 1555. ; quibus gravius nihil & illustrius, quod quidem viderim, ea tulit ætas in Societatis Jesu cum universæ, tum in primis Lusitanicæ laudem.*

174. Orlandinus l. 15. n. 62. longam de Sorbonicorum decreto disputationem his tandem claudit: Plurimi tamen fatebantur, nunquam ita fuisse decreturos si talia cognovissent. Nec quicquam postea moverunt, imo quadragesimo post anno, in gravissimis temporibus, procelisque, quibus jactabatur in eo regno Societas, pronuntiavit Facultas Theologica retinendam eam esse in Gallia. Tantum aberat, ut jam prioris sententiæ, qua perniciosam pronuntiaverat, meminisset. Itaque, quod extremum solet esse mendacii, fictarumque rerum, ut ipsæ per se occidant, & in nihilum redeant, decretum illud cum strepitu initio late ingentem fecisset, sensim elanguit, ac fere prorsus evanuit. Verum licet hinc bonitatem, providentiamque cælestis Patris venerari, atque suspicere. Guilielmi e Prato Claromontani Antistitis



*Anno* stitis ea pietas in Societatem, sensusque tum fuit, cum  
*1555.* petebatur ab omnibus, ut quo magis jactari eam, op-  
 pugnarique cerneret, hoc arctius ipse, libentiusque com-  
 plecteretur. Qui cum Lutetiæ non posset, omnia quæ  
 moliebatur, efficere, Sociorum unum secum abstulit in  
 Arverniam Robertum Clayssonium, quem commendabat  
 in flore juventæ dicendi pariter, ac docendi facultas.  
 Hujus usus industria navus Antistes in Arverniam civi-  
 tatibus, . . . maximos fructus tulit, Billomi præsertim:  
 ubi Canonorum, ac Civium eam sibi Robertus, or-  
 dinique benevolentiam adjunxit, ut publicam illi Aca-  
 demiam Societatis disciplinæ committere, curæque de-  
 creverint: iidemque aream, ac partem vectigalis obtu-  
 lerint ad Collegii primordia, cujus instituendi provin-  
 ciam sibi ultro pius Episcopus depoposcit, nec ita mul-  
 to post, magno civium commodo, quod inchoarat,  
 explevit: & hujus anni sub exitum Hieronymus Bassius,  
 qui præfectus est ceteris, ac Petrus Canalis a B. Patre  
 ex Italia missi, additi Clayssonio sunt. *Hactenus Orlandi-  
 din. de anno 1555.*

175. *Illustrantur hæc duabus Guilielmi literis, quæ  
 apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 495. a n. 448. inscribun-  
 tur: Reverendo Patri D. Ignatio de Loyola, Præposi-  
 to Societatis Jesu. Secundæ Billomi datæ die 5. Februa-  
 rii 1555. adversantur postremæ, quam exscripsi, Orlandi-  
 dini periodo, his verbis: Accesserunt ad nos ex tuis duo,  
 magister Hieronymus Bassus, & magister Petrus Cana-  
 lis, viri sanè ob Religionis zelum, & singularem mo-  
 destiam non parum suspiciendi . . . Faceres autem ope-  
 ræ pretium, & nostris ex Dei gratia conatibus magnum  
 afferres subsidium, si ad nos ex tuis quatuor, aut quin-  
 que mitteres, qui Domino Roberto suas dextras, &  
 operas conjungerent, totiusque gymnasii negotium ad  
 se reciperent, nostratibus suo munere per temporis suc-  
 cessum defunctis. Id nempe molior, efficiamque, si  
 Deus opt. maximus votis meis aspiraverit, ut penes tuos  
 integra sit Billomensis scholæ potestas, & authori-  
 tas . . . Domum sartam tectam, rei que familiaris reli-  
 quam suppellectilem sic apparatus curabo, ut pro hujus-  
 modi*



Anno  
1555.

modi solitudine a digniori suarum lectionum munere, & piæ contemplationis exercitio non avocentur. Quia vero gravis est apud vos annonæ caritas, ut audio, non judicavi hanc ad vos mittendam sine xeniolo epistolam, . . . Accipiat igitur veneranda Paternitas tua cum hac epistola centum aureos, ut aliqua ex parte nostra abundantia vestram inopiam (si qua est) suppleat, qui mercedem, & longe uberiores a vobis usuras, & eam quidem spiritualem, repreciamur, apud Deum vestrarum orationum præsidium implorantes, quibus & reverendæ Paternitati tuæ me ex animo, & obnixè commendo. Vale. Ex domo episcopali . . . Die 5. Febr. 1555. Servus & frater Guilielmus Ep. Claromontensis. *Priores dederat* Ex Castro nostro de Beauragard prope civitatem nostram Claromontensem, 3. Cal. Oct. 1553. R. T. P. frater humilis G. Episcopus Claromontensis. *Sic autem infit*: Jam multum effluxit temporis (reverende Pater) ex quo ad R. T. P. scripsi, quantum mihi esset in votis, quamdiuque laborassem, ut in oppido meæ diocesis (quod Billomum incolæ vocant) Universitatem jam pene prorsus collapsam & intermortuam erigere, ac instituere possem . . . Scias autem velim, per me non stetit, quo minus mea domus, quæ apud Lutetiam Parisiorum est, vestra jamjam, vestræque Societatis nuncupata fuerit: sed procrastinandum est negotium, dum expecto, ut apud Senatum Parisiensem diplomata vestra pontificia recipiantur. *Atque hæc longiorum literarum excerpta nostro sufficient argumentum: addendum autem ex eisdem Bollandianis p. 743. c. 27., Societatem a Guilielmo intra hunc annum duo accepisse Collegia, Billomense, ac Parisiense; quibus accessit postmodum Mauriacense in diocesi Claromontensi.*

176. De quinta, die 4. Maji 1555. missa Lauretum ad Joannem Polancum, Ludovicum Gonzalez, Gasparem Loarte, & Jacobum Guzman, Societatis Jesu, *Bollandiani ejus editores t. 7. Jul. p. 566. n. 819. sic ajunt*: Paterna erga infirmos etiam absentes S. Ignatii cura se prodit in epistola Italica ab ipso subscripta, & Romæ in sacello nostro domestico appensa, in quo  
olim



Anno 1555. olim habitavit, ac mortuus est Sanctus Pater. Eximius enimvero in fastis Societatis quatuorviratus. Sexta, inedita, die 4. Aug. 1555. a tergo inscripta Domino meo in Domino nostro Domino Joanni de Vega Proregi Siciliae, autographa Hispana colitur Vallisoleti in Choro Regii Monasterii Recollectarum, ut vocant, S. Birgittæ, ex fide exemplaris subscripti 31. Martii 1796. a R. M. Abbatisa ejusdem Monasterii Angela Maria a S. Antonio, quod apud me habeo. Multa paucis attingit hæc epistola, quibus historia multiplex illustretur. Nam quæ de M. Lainez, & Salmerone hæc dicuntur, apud Ribadeneiram in utriusque vita desiderantur: Cardinalis Messanensis, apud Rochum Pirro Joannes Andreas de Mercurio, hinc Papa gratosus comprobatur: Hieronymum Domenech Romæ tunc degentem, & Abbatem Ximenez Proregis Siculi procuratorem ab Ignatio laudatum addisco. Quod vero Ignatius profitetur, se cum Societate universa Joanni de Vega teneri adeo constrictum, mirum non erit scientibus, Societatem Jesu a Joanne de Vega, Ignatii amantissimo, in Siciliam fuisse ductam, & Collegiis quinque ditatam cum suis, tum conjugis Eleonoræ sumptibus, & utriusque liberorum.

177. Septimam ad Regem Catholicum Philippum II. dat. 23. Oct. 1555. publicavit ex Hispanica Latinam Imago primi Sæculi Societatis p. 737.: argumentum ejus egregiè illustrat Orlandinus l. 16. a n. 28., ubi disertum Ribadeneiræ cum Rege sermonem, difficultates invidiosè objectas, & luculenter depulsas, multis enarrat. Octavam ad S. Franciscum Borgiam ediderunt Bollandiani t. 7. Jul. p. 569. n. 837., notarunt deinceps p. 630. n. 1144. Originale harum literarum patentium, quibus P. Franciscum facit Commissarium generalem in Hispaniis, & Indiis, a nostro R. A. Patre Generali datum fuisse P. Petro Hieronymo Cordova Romæ mense Martio 1666., ut illud offerretur Domino Marchioni de Alcañizes, & Oropesa, heredi domus Loyolanæ: apud quem etiam tum asservari testatur Cienfuegos anno 1702. lib. 4. c. 10. p. 275.; cui tamen non subscribo asserenti, archetypum datum quintodecimo Novembris 1555., sed Bollandianis potius has patentes Latinas proferentibus datas Idibus Novembris, seu 13. ejusdem, cum 15. more Latinorum



*norum dicatur 17. Cal. Decembris ; nec dubito , quin viro Anno  
erudito varia sedes Iduum fucum fecerit . De Borgia in His- 1555.  
pania , & Lusitania Commissario dictum est antea n. 146.  
Non suo loco narrat Orlandinus l. 16. n. 2. anno 1556. :  
In Indiam . . . Provinciam Consalvum Sylveriam Ignatius  
misit ; Borgiaeque ad Indias quoque Commissarii ditionem  
extendit .*

178. *Hisce Ignatianis ex ordine subnecto literas Fer-  
dinandi Romanorum Regis , Alberti Bavariae Ducis , & Car-  
dinalis Polo ad Ignatium hoc anno missas . A Bollandianis  
t. 7. Jul. p. 500. n. 482. accepi Ferdinandi literas , datas  
die 29. Nov. 1555. , quibus Ignatio respondit , die 30. Sept.  
ad ipsum scribenti . Inscribuntur ut aliae ejusdem : Hono-  
rabili , religioso , devoto , nobis dilecto Magistro Ignatio  
de Loyola , Societatis nominis Jesu Praeposito Generali .  
Romam . Alias etiam integras eiderunt ejusdem Ferdinandi  
Augusta Vindelicorum datas die 30. Julii , & 2. Augusti  
praecedentium , quibus Ignatium rogat , ut Pragam socios  
duodecim quamprimum dimittat ; agitque de impetranda Pon-  
tificia dispensatione ad fundandum Collegium Pragense , &  
stabiliendum Viennense , ex Monasteriis Caelestinorum , Prae-  
dicatorum , Carmelitarum , & Sanctae Clarae , vacantibus ,  
desolatis , aut ferme desertis . Hisce duabus respondit Igna-  
tius die 30. Sept. subsequentis , ut ex Ferdinandi responso  
colligitur . Plura curiosis dabunt Bollandiani , & Orlandi-  
nus l. 15. a n. 21. Ab eisdem Bollandianis ibidem p. 502.  
n. 488. acceptas reddimus Alberti ad Ignatium literas da-  
tas Monachii 12. Dec. 1555. Harum argumentum illustrat  
P. Longarus Oddi in Canisii vita c. 9. , ubi ait , sub au-  
tumnus anni 1555. Canisium ab Ignatio Pragâ in Bava-  
riam evocatum sancivisse cum Ducis Consiliariis fundandi  
Collegii , & Clericorum Seminarii leges , adhibita conditio-  
ne , modò illas Ignatius approbaret : hic certior gestorum  
factus , cum Alberto adeo liberalem se praebuit , ut ei Con-  
stitutionum partem de Collegiorum fundatione transmiserit ,  
planè professus , se se omnia suae Majestatis arbitrio , ac  
liberae voluntati committere . Qua liberalitate Ignatius ita  
sibi Alberti animum devinxit , ut plura hic concesserit ,  
quàm ille fuisset ausus postulare . Denique Cardinalis Polo*



Anno ad Ignatium responsio Italica, Londino data 15. Dec. 1555.  
 1555. sexagesima prima est inter ejus epistolas t. 5., quem antea dixi n. 166. Assaphensis Episcopus, de quo epistola, Thomas Godvellus dicebatur; qui verò missus dicitur ad Curiam Philippi Regis, videtur Ribadeneira, quem Ignatius in Belgium destinavit, ut & Constitutiones suis explanaret, & Philippo Regi ibidem agenti, in quem Carolus Regnorum suorum dominatum per id tempus transtulerat, supplex esset, ut per eum Societati liceret, certas sibi quærere in Belgio sedes, & suas libere functiones obire, necessariisque firmari bonis, quæ stabilium, vel immobilium nomina continentur, ut est apud Orl. l. 15. n. 32.

179. Præter hæc recensitas anni 1555. epistolas una tantum occurrit inter fragmenta cum certa temporis subscriptione: hanc Tellez t. 2. l. 6. c. 44. n. 7. testatur multis per eam miraculis a Deo patratis illustrem, quæ Ulyssipone pro reliquia insigni religiosè asservatur, edenda sanè integra, nisi partim detrita esset. Dedit eam Ignatius die 22. Oct. 1555. ad Joannem 3. Lusitaniæ Regem, ferendamque tradidit P. Ludovico Gonzalez, quem Lusitaniæ Visitorem remittebat. Ajebat autem inter alias P. Ludovici laudes, Romanam ejus commorationem divino obsequio & animorum saluti fuisse utilissimam; quibus hæc addebat: P. Ludovicus Gonzalez magno fuit nobis exemplo & voluptati ob veram ejus religionem, zelum, atque in rebus divini obsequii agendis ingenium, &c.: hæc hactenus ille. Unde plane confirmatur notatio temporis Ribadeneiræ in vita breviori Matritensi 1601., ubi ait de B. Ignatii prophetiæ dono: anno 1555. cum Patres Hieronymum Natalem, & Ludovicum Gonzalez a Camara in Hispaniam mitteret, dixit eis, ut in navim Genuæ sine mora conscenderent, ac prosperam sine dubio navigationem: quod & contigit, licet hiberno mari navigarint. Paulo aliter hæc vertuntur apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 585. n. 920. notatione temporis prætermittà, quæ sunt a me totidem verbis translata. Hinc corrigenda ratio temporis in Orl. l. 16. n. 38., ubi de anno 1556. ait: Hujus initio anni Natalis, & Ludovicus Consalvius in Hispaniam navigarunt. Consalvius remittebatur in Lusitania-



sitaniam novo Provinciali Turriano comes futurus... *Anno*  
 Prosperum navigationis exitum præcognitum a B. Pa- *1555.*  
 tre, Natalis existimavit. Cum enim discesuros interro-  
 gasset, maritimumne, an pedestre præoptarent iter, Na-  
 talisque mari eundum videri sibi respondisset: nihil tum  
 ille responsi dedit; sed die postero maritimum utique  
 tenere iter jussit cum magna benedictione. Qua Nata-  
 lis ex formula, fiduciaque loquendi spe bona comple-  
 tus, totam rem in Sacerdotali Breviario suo ad monu-  
 mentum scripsit. *Cetera præter tempus cum Ribadeneira*  
*non ægrè cohærent.*

180. *Cum Lusitaniæ Rex tradere Societati constituis-  
 set Conimbricensis Academiæ Collegium, modo Societas cun-  
 ctis in Scholis provinciam docendi susciperet; exposuit, ait*  
*Orlandinus l. 15. n. 98., suum Mironi Provinciali con-  
 silium, addens nullis velle, posthac illud Collegium A-  
 cademiæ, sed Societatis duntaxat legibus subjacere:*  
*& in alimenta centum ac quinquaginta Sociorum subsi-  
 dia sponndit annua... Miro autem, commonefacto per*  
*litteras jam Ignatio, postulatisque nonnullis ab Urbe Do-  
 ctoribus regias litteras Conimbricam pertulit... Qui cum*  
*accepisset ab Ignatio responsum placere sibi Collegium,*  
*quod offerebatur, admitti; sed Doctorum ab Urbe ne-*  
*minem posse mitti, cum inde non modo Italiæ, sed toti*  
*Septentrioni suppeditandum esset; convocavit ipse suis*  
*ex copiis, numeroque Provinciæ, qui docendi facultate*  
*præstarent... Inspecto Collegio revertit ad Regem, &*  
*eo assentiente, misit ad Ignatium illius instituta gym-*  
*nasii, ut si quid in administrationis mutatione, mutan-*  
*dum aut addendum, demendumve ei videretur, signifi-*  
*caret... Septembri igitur exeunte magistri discipulique*  
*domestici pristinis ex ædibus huc migrarunt, iis modo*  
*ibi relictis cum suis institutoribus, ac magistris, qui nu-*  
*per adlecti sui periculum faciebant, & aliquot sacer-*  
*dotibus, qui ultro animarum causis insisterent... Mo-*  
*nitu Ignatii factum est, ne domicilium vetus plane de-*  
*sererent... Decreverat hoc anno Rex etiam sacræ mu-*  
*nus Inquisitionis Olisipponensis Societati tradere, sed*  
*dam Ignatium per litteras Miro consulit, isque non li-*



*Anno* benter recipit, tum ne novis oneribus, tot jam occu-  
 1555. pationibus districta in eo regno Societas premeretur; tum ne alii viri præstantes præripi sibi materiam depromendæ virtutis, crescendique, & cuncta in unum recens natum conferri Ordinem quererentur; tum demum, ne quid magistratus ille domesticæ disciplinæ olim officeret, aperiretque sive ambitioni aditum, sive licentiæ, cum eum qui gereret, solvendus legibus videretur, ac de suorum potestate Præsidium eximendus; datæ sunt eæ partes e Dominicana familia tot jam annos in hoc muneris genere cum laude summa versante, sacerdoti, qui eas cum approbatione gerebat Eboræ; & in sua humilitate relictæ Societas. Per autumnum, cum triennio exacto, Miro ut sibi succederetur, instaret, ac Regina Catharina ad confessiones Michaellem Turrianum sibi legisset, is e Boetica missus est in Lusitaniam Provincialem, & Boetica Bustamantia demandata. *De S. Inquisitionis munere v. supra n. 140.*

181. *Bollandiani t. 7. Jul. p. 567. a n. 823. ex Bartolio l. 3. n. 41. de Ignatio agunt suos in ærumnis, inopia, laboribus, vexationibus solante benevolis, & paræneticis literis: Sic anno 1555. nostrorum in Gallia nonnullos, insectatione clericorum acerrima laborantes solatus est, tantumque iis addidit animorum, ut mori præoptarint, quam statione abscedere, in qua proximorum saluti militabant. P. Lancicius opusc. 15. n. 134. refert ex registro originali anni 1555., S. Ignatium Nicolao Lanojo, Viennensis Collegii Rectori, quærenti an nostris coadjutoribus laicis usum pilei clericalis concedere posset, respondisse: Non esse conforme rationi permittere & concedere Birettum Sacerdotalem deputatis pro servitio & laicis. Gravi testimonio & argumentis persuasum est mihi, in Lauretano Societatis Jesu Collegio religiosè fuisse ab ea palam assevatam S. Ignatii epistolam, P. Oliverio Manareo ejusdem Rectori missam, de qua Ribadeneira in Vita breviori Matritensi an. 1601. scripsit, a Manareo per literas Ignatium commonefactum de assidua in recens Collegium & pertinaci lemorum infestatione, respondisse Patrem, confiderent porrò Domini benignitati ab ipso liberandos,*



dos, se verò id ipsum obnixè ab eo rogaturum. *Quibus acceptis literis, & in conventu Patrum perlectis, omnis ea infestatio prorsus cessavit, ac penitus evanuit. Qua de re cum pluribus egisset Orlandinus, sic pergit l. 15. n. 10.:* Hanc ab Collegio pestem Oliverius ut averteret, de Ignatii sententia, ad quem rem totam scripserat; usitatis exorcismorum rationibus, instrumentisque usus, cum nihilo mitiores, modestioresque protervi spiritus redderentur, iterum per literas ad Ignatium communi consensu Patrum, cum quibus rem communicarat, confugit: Ignatius re cognita Deum attente præcatus, secundis eos literis ad spem celeris liberationis erexit, pollicitus se pro eis Divinæ Majestati supplicem fore. Quibus in conventu conscriptorum rei Patrum literis recitatis, ex eo tempore silentium dæmonibus est impositum, & fugata spectra, sua Collegio quies reddita. Porro in quadri corona, ex quo effracto crystallo ablata fuerat epistola, exstabant anno 1795. vetusto caractere conscripta Latina verba: Confidite filii in Domino, & ipse vos liberabit; & ego pro vobis orabo.

182. In labentem annum 1555., ac ni fallor, fere exeuntem, conjicit Cordara in *Hist. Coll. Germ. l. 1. n. 33.* Ignatii literarum particulam ad Canisium. Quippe innumervis calumniis per Germaniam contra Collegium Germanicum disseminatis, de his Canisius admonendum per literas Ignatium censuit. Sed quam falso ea jactarentur, cognosci poterit ex ea particula literarum, quas ad Canisium ipse rescripsit Ignatius: Collegium Germanicum quod attinet (*inquit*), minus prosperum illius successum, si non est inimicus ille homo, quis spargat nescio. Secundum sane cursum Deo aspirante ex sententia tenet. Iniquissimis hisce temporibus nihil omnino alumni desiderant, quod ad vitæ necessitatem, vel morum, literarumque profectum faciat. Qui præsentis in Collegio sunt triceni, suas in classes pro doctrinæ varietate distributi, spem de se præbent futurum, ut præclari ad Dei gloriam evadant. Etiam atque etiam numerum augere cuperemus bonorum. Insolens quispiam, inter meliores admissus, iterum dimissus est. Vestra Reverentia in id  
in-



*Anno* incumbat, ut adolescentes aliquot frugi seligat, ad nos  
 1555. mittendos. Tam paucis hi adstringuntur opinione no-  
 stra, ut miremur æquo graviorem disciplinam & obli-  
 gationem videri. Singulis hebdomadis ad suburbanos a-  
 gros animi causâ bis concedunt. Nulla tractantur as-  
 peritate, immo maximâ potius liberalitate, modo ut  
 cum ædificatione vitam instituere velint. *Hæc Ignatius.*

183. *Contra id genus in Societatem Jesu calumnias, quæ passim recantantur, juvat huc afferre pauca, plura lectoribus indicare. Tomo 4. Julii Pogiani p. 423. ep. 12. emendata recuditur S. Pii V. ad Salentinum, electum Coloniensem, epistola data 21. Maji 1568., quam Laderchius in Annales suos Eccles. intulerat t. 23. p. 74. Summus in ea Pontifex hæc ait: Societatem Jesu tanto studio, cura & diligentia ad animarum salutem incumbere novimus, quemadmodum te quoque scire credimus, ut, non sine singulari Dei providentia, his miseris turbulentisque Ecclesiæ temporibus institutam & excitatam fuisse, putemus. Quantum enim vineam Domini Sabaoth vulpeculæ depascere, demoliri & devastare student; tantum hi strenui vineæ ipsius cultores & operarii tueri eam, excolere ac propagare assiduo labore conantur, hæresum vepres extirpando, vitiorum zizania, & quidquid aliud noxium est, evellendo, &, quæ fructus ejus multiplicent, inserendo... si tales muneris tui adjutores non haberes, eos, sicuti permulti alii fecerunt, diligenter conquirere deberes. Itaque te hortamur, ut ipsum Collegium (ut inservire commode animarum saluti & publicæ utilitati possit, cum in aliis rebus, tum in instituenda bonis moribus & liberalibus disciplinis, secundum ordinis sui probatissima instituta, juventute) gratia tua complectaris, & ab omnibus molestiis tuearis, idque, cum pro ejus meritis, tum etiam pro nostra & Sedis Apostolicæ reverentia, quam commendatissimum habeas.*

184. *Ubi Lagomarsinius p. 424. hæc subnotavit: De instituendæ autem a Societatis Jesu hominibus bonis moribus & liberalibus disciplinis juventutis facultate quid alii etiam Pontifices Maximi jam inde ab Julio III. ad*



ad Benedictum XIV. senserint, in volumine hujus operis secundo p. 164. & seqq. singulorum testimoniis allatis, ostensum est... Nunc de eadem *instituendæ juventutis*, aliarumque etiam rerum, in hac epistola commemoratarum, facultate, ac laude, a Sanctissimo Pio V. Societatis Jesu hominibus tributa, non dissimile testimonium hominis, iisdem maxime infensi atque inimici, juvat afferre; quo etiam intelligatur, in invidis & obtreptatoribus, plus aliquando veritatem, quam malevolentiam valere, eosque, cum male dicunt, voluntate potius, quam iudicii pravitate peccare. Consignatum est autem id testimonium familiaribus Gasparis Scioppi litteris, ad Cornelium Mottmannum, Romanæ Rotæ, ut appellant, Auditorem, die 13. Jul. an. 1630. Augusta datis. *Ex quibus, apud Lagomarsinium integris, quæ argumento nostro propiora videntur, excerpta seligo:*

185. Recte, inquit Scioppius, facturus mihi videor, si nonnulla tibi subjiciam, quæ Summo Pontifici ac Dominis Cardinalibus curæ esse oportet, si optatum edicto Cæsareo (Ferdinandi II.) exitum respondere, ac luculentissimos Ecclesiarum ac Monasteriorum redditus tanto post recuperari, & ad fidei catholicæ conservationem ac propagationem converti exoptant; quemadmodum eos pro sua pietate ac prudentia, facturos magnopere confido. Ac primo quidem omnino, ut catholica fides in tot urbes ac provincias, latissime patentes, feliciter reducatur, considerare oportet, quantus operariorum numerus tam ingenti messi sit necessarius. Ejus (operariorum) inopiæ argumentum inferior Palatinatus præbet, ubi Jesuitæ omnia Sacerdotum sæcularium munia ipsi obire necesse habent, nisi populos illos destitutos videre velint, ut neque catholicis nec hæreticis animarum curatoribus utantur. Omnino res fuerit magnæ deliberationis: nec mihi quicquam in mentem venit, nisi quod Pontificem spero minime omissurum occasionem, quam unam divinitus ipsi offerri video. Nimirum circiter 60., aut 70. Monasteria in solo Witembergensi Ducatu sita sunt: quæ si recuperantur, & aliqua ex parte in usum Seminariorum conventantur,



*Anno* tur, minime pœnitendus alumnorum numerus eo pacto  
*1555.* sustentari poterit; cum satis constet, Ducem Wittem-  
 bergensem plusquam 400. adolescentes, hæresi docen-  
 dæ destinatos, Monasteriorum fructibus alere fuisse so-  
 litum. Eadem ipsa aliarum provinciarum est ratio; in  
 quibus nulla reliqua Sacerdotum conficiendorum est ra-  
 tio, nisi ad eam aliquid ex Monasteriorum vectigalibus  
 convertatur. Simul tamen de Doctoribus cogitandum ve-  
 nit, quorum scilicet cura, & labore cùm Sacerdotes ad  
 animarum curam reformatur, tùm innumerabilis pue-  
 rorum numerus pietate, ac literis imbuatur. Ego, si  
 alios, quam Patres Societatis Jesu, ei rei nossem ido-  
 neos, eorum operam non modo non aspernandam, sed  
 ultro obviis ulnis complectendam arbitrarer. At enim  
 res ita est, ut, etiamsi non omnia, quæ apud Jesuitas  
 video, satis se mihi probent, negare tamen non ve-  
 lim, nec audeam, ipsis post Deum, hanc deberi gra-  
 tiam, quod catholica religio ex universa Germania exu-  
 latum non iverit... Optime proinde fiet, si v. g. ex  
 uno Wittembergico Monasterio, cujus sunt annui redi-  
 tus 20. florenorum millia, quatuor Collegia Jesuitis  
 constituentur, ubi & humanas, divinasque literas do-  
 ceant, & quemadmodum Dilingæ feliciter adhuc fe-  
 cerunt, Monachorum, & Clericorum, Ecclesiæ mini-  
 sterio destinatorum, curam gerant. Quæ ipsa in Saxo-  
 nia, Palatinatu, aliisque Provinciis ratio servari pote-  
 rit; nisi tamen aliam meliorem Summus Pontifex ab  
 aliis edoctus fuerit. Hæc in præsens habui, quæ per  
 te Sanctissimo Domino nostro, & Eminentissimis Do-  
 minis Cardinalibus, præcipueque Barberino & Cappo-  
 nio, verbis meis, una cum salute, cultus & observan-  
 tiæ plenissima, nunciari velim. Alia scribam Ratispo-  
 na, quo nunc propero. Vale, meque, ut facis, ama.  
 Augusta, ad 13. Julii 1630. Tui observantissimus Gas-  
 par Sciopius. *Vir adeo famosus cruentissimis in Jesuitas  
 libellis, ut horum ab ipso laudes vel modicæ non vulgarem  
 superent commendationem. Suppar Scioppio Thuanus, qui  
 sæpius in Jesuitas dictu acerbissima suis historiarum libris  
 attexuit, de ipsis tamen ac Greg. XIII. ad an. 1585.  
 lib.*



lib. 81., is, ait, cum ante biennium ædificium Romanæ scholæ a se institutæ consummasset, eam Sodalitii Jesuitici Patribus bene de S. S. ac de re Christiana meritis attribuerat, & alioqui eos toto magistratu suo ingentibus beneficiis affecerat, qui gratiam bene merito de se Pontifici vicissim repensuri non cessarunt omni opera eniti, ut sicut olim temporibus Clementis VII. a Francisco Alvaro Sacerdote Lusitano de Abissinis, . . . ita ab ipsis de Japoniis ad ultimum Orientem projectis insulanis ad unionem Ecclesiæ adductis tropæum aliquod insigne Gregorio XIII. erigerent . . . cum insulani aliquot Christianæ fidei nomen dedissent, ex eo proventu sparsa per universum orbem fama magnam non solum gratiam sed auctoritatem tam strenue in Dei vinea excolenda desudantibus Patribus conciliavit; cujus eximii laboris ut majorem fidem facerent, & eadem ratione Pontifici gratificarentur, legationem ad eum adornarunt. . . . *Sed cum Lagomarsinius Julii Pogiani t. 2. gravissima & longa in Jacobum Augustum Thuanum actione contenderit, eum esse historicum, totum ex simulatione, dissimulatione, mendacio compositum; juvat in exemplum e multis pauca delibare, quæ Thuanus histor. lib. 37. in Jesuitas Stephani Pascasii verbis prodidit: Juventutem specie religionis corrumpere, & fascinatis per superstitionem puerorum ingeniis jam nunc seditio- nes & defectiones in regni perniciem aliquando erupturas moliri, tum inter plura eorum vota illud exagitat, quo Præposito suo, qui semper ab Hispaniarum Rege deligitur, quemque tanquam Deum præsentem in terris venerari se ajunt, obedientiam, quam cæcam appellant, per omnia & in omnibus pollicentur: mox Ignatium Lojolam cum Martino Luthero comparat, & ambos diversa ratione in idem conspirare demonstrat (itane censebas Thuane?), ut legitimam magistratus auctoritatem labefactent, disciplinam ecclesiasticam enervent, omnia divina & humana jura confundant: deinde in ambitiosum eorum nomen invehitur, quod cum sectarii ante CC. annos usurpassent, ab Ecclesia rejecti, & justo Dei judicio ac flagello omnino dissipati perierunt.*



*Anno* Hoc nomine nihil aliud agi, quam ut inter ejusdem religionis professores scissura constituatur, & Jesuitæ alii  
*1555.* sint, alii Christiani... Horum ut falsitatem ex odio partam intelligas, videsis de nomine Societatis Jesu dicta n. 159.; nec enim vacat singula, tametsi certo falsa, confutare, cum mendacia verbo dicta non sine longa oratione refellantur. Porro de sectariis, qui a sæculo 14. Jesuitarum nomen usurparint, ab Ecclesia rejectis, & justo Dei flagello omnino dissipatis, altum est in historia Ecclesiastica silentium.

*1556.* 186. S. Ignatius anno 1556. die 31. Julii domicilium terrestris vitamque mortalem cum cœlesti commutavit. Horum autem superstitem septem mensium non nisi quatuor habeo Sancti Patris epistolas, ineditam primam, alias jam editas. Primam Italice scriptam Calliensibus 4. Junii 1556., accepi a D. Emmanuele de Sampaio publicè munitam fide cum humanissimis literis, quibus testatur, Callienses planè cupere, ut majorum suorum ad S. Ignatium literæ cum hujus edantur responsione: quam ob rem utramque miserunt epistolam, eodem folio nitidissimè descriptam. Confirmant autem testimonio P. Octavii Lorenzini Soc. Jesu, autographam Calliensium epistolam asservari Romæ; Ignatiane verò archetypum in tabulario Calliensi ab Illustrissimo Cancellario Antonio Gucci exhibitum testatur Josephus Reali publicus Apostolica auctoritate Notarius Calliensis ad 17. Julii 1795. Ut igitur Calliensibus una cum grati animi significatione morem geramus, majorum suorum literas Ignatii ad ipsas responso libenter præmittemus. Secundam octavo Junii 1556. datam ad Henricum Schweichart, Schweicher, seu Schwikerum (sic enim varie scriptum reperio), a Secretis Ducis Bavariæ; & tertiam proximo die nono ad ipsum Bavariæ Ducem Albertum, Latinas dedit P. Agricola in Hist. Germaniæ Superioris t. I. pag. 32. & 34. anno 1727.: quare Bollandianos mirabar, qui quadriennio post, anno 1731., septimum Julii tomum ediderunt, hasce Ignatii literas aliis ejusdem p. 524. non annumerasse. Profecto harum argumentum a nobis hîc exigit, ut præter superius indicata n. 178. ex eisdem Bollandianis p. 502. n. 490. promamus excerpta Ducis Alberti literarum, quibus ita Ignat-



*gnatio die 5. Maji respondit, ut novum postremis ejus Sancti literis argumentum dedisse videatur. En Ducis verba: Anno 1556. Reverende Pater tam charissime quam honorande. Redditæ sunt nobis literæ Paternitatis tuæ reverendæ, quibus ad petitiones nostras de Collegio venerabili Societati vestræ in oppido nostro Ingolstadio instituendo respondes. Fuerunt illæ nobis gratissimæ... Nihil autem plane in proposito nostro mutavimus de seminario bonorum, ac fidelium ministrorum Catholicæ religionis in statu nostro parando. Quam ob rem cum Paternitati tuæ ita placeat, ac consuetudo & constitutiones vestræ ferant, ut dotationem alicujus collegii cum pactis, aut obligationibus non admittatis; sed quæ gratis accepistis, gratis omnino dare satagatis: in ea sumus sententia, ut sine utriusque nostrum partis obligatione, aut pactis, articuli tamen illi, de quibus convenimus, obligationis instar observentur. Tum petit, ut S. Ignatius nostros mittat: se pro viatico ordinasse 300. coronatos aureos, mox Romæ numerandos. Ac tandem his claudit: Paternitatem tuam, & venerabilem illam Societatem ex animo amplectimur & amamus. Datæ in civitate.. Monacensi, die 5. Maji 1556. Albertus Dux Bavariæ &c. per manum propriam. Apud Orlandinum l. 16. n. 23. Albertus coram ab Canisio, per literas ab Ignatio homines ipsorum e numero viginti postularat; templum, domum, sumptusque vitæ necessariis large pollicitus. Octodecim salutato Pontifice sexto Idus Junias profecti sunt pedites. Thomas Lentulus Neomagus ivit Rector. Postremam denique B. Patris epistolam, die 14. Jul. datam ad Aloysium a Calatayud, Ocaniensis Collegii fundatorem, Hispanam edidit P. Alcazar. Ribadeneira in postrema S. Ignatii vita Matritensi Ocaniæ Collegium adscribit Beneficiato Aloysio a Calatayud; quod apud Bollandianos Latinè redditum: Ludovici Calatajudii benignitate, fundatum scilicet, non quadrat Hispano Beneficiado.*

187. Apud Bollandianos t. 7. Jul. p. 500. n. 482.: Patentes, quibus Sanctus (Ignatius) primos Collegii Pragensis habitatores, Româ illuc a se submissos, munivit, dantur apud nostrum Georgium Crugerium in Sa-



*Anno 1556.* cris Pulveribus Bohemiæ &c., part. 1. ad diem 25. Januarii; quo dictæ litteræ ibidem signantur, anno 1556. Nondum mihi licuit alienâ etiam manu Crugerio uti describendis literis, quas dixi: tametsi eum diligenter quæsi. Teste Orlandino l. 16. n. 19.: Ineunte anno Summi Pontificis jussu, ex quo id Ferdinandus Romanorum Rex postulaverat, Ignatius Socios Pragam mittendos duodecim legit... Hos benedictionem petentes Pontifex, ut pietate, & eloquentia abundabat, præclarâ incitavit oratione, ut tanquam oves inter lupos irent, Christo duce, audacter, columbæ simplicitate, prudentiaque serpentis armati: nec dubitarent, si communis boni, & cultus divini ratio posceret, vitam ipsam in gloriosum, beatumque discrimen offerre. Subinde Roma profecti, quod & quadragenarium agebatur jejunium, ac fere pedites ibant, plurimum exhaustere incommodum... Undecimo Kalend. Majas Pragam intrant, ubi Petrus Canisius eorum operiebatur adventum. Porro ex Ferdinandi Regis ad Ignatium literis ad 29. Nov. 1555. docemur, Sociorum profectionem sub finem Januarii sequentis ab Ignatio promissam, e Summi Pontificis sententia differri debuisse. Ipsos verum articulos ignoramus. P. Oddius l. 1. c. 9. n. 9. argumentum refert literarum, quas Canisius Aprili mense 1556. ab Ignatio accepit; per socios, ut videtur, quos modo diximus: agebat autem Ignatius, tribus jam Collegiis constitutis in primariis totidem Germaniæ civitatibus, Vienna, Praga, Ingolstadio, se ad majorem Dei gloriam decrevisse provinciam ibidem facere, cujus ipsum regimini destinavit; ut ejusdem fidei, zelo, atque prudentiæ committeret non illa solum Collegia, sed alia etiam in posterum fundanda in Austria, Bohemia, universaque superiore Germania. His Canisius vehementer commotus, multis quidem egit apud Ignatium, ut ei se probaret ineptum prorsus aliorum regimini, atque incommodum. Verum pro potestate rescripsit: Sine ulla tergiversatione collum obedientiæ submitteret, ac Deo confideret, qui ut eum rebus magnis ad gloriam suam gerendis elegisset, sic fore, ut ubi opus esset, suâ gratiâ semper adesset. Sed quoniam Canisii animum coquebat difficultas in ea præfectura



ctura servandi votum, quo se dudum obstrinxerat, nullum *Anno*  
 seu locum, sive rem suis usibus deligendi; hanc ei curam *1556.*  
 præscriptâ formâ levavit Ignatius, ac exemit. Hæc summa  
 apud Oddium.

188. Ex Orlandino l. 16. n. 31. Nonnulli in Belgio  
 Araozium, vel Borgiam desiderabant. Dissentiebat ta-  
 men Ignatius: qui ubi duci negotium vidit, sæpe ad-  
 monuit Petrum, ut nequaquam desideret in Regia, sed  
 Lovanii, aut quapiam vicina in civitate habendis con-  
 cionibus, aliisque obeundis instituti religiosi muneribus  
 occuparetur: id non ad tempus modo ponendum uti-  
 lius; sed ad negotium quoque conficiendum opportu-  
 nius affirmans fore: quod publicæ utilitatis perlato ad  
 regiam exemplo, & pignore, qualibet efficacius re fa-  
 ma ipsa esset patrocinatora.. Denique post multa cer-  
 tamina admissa Societas est, sed ob conditiones adje-  
 ctas aditu perangusto. Quas postea conditiones an. 1584.  
 idem Philippus Rex, ut moram boni publici, segetem-  
 que dissidiorum plane sustulit. Quid quid tamen impe-  
 tratum nunc est, id Comiti Feriæ inter mortales debe-  
 tur, & Mariæ Caroli Filiæ, ... At vero inter beatos  
 Ribadeneira Ignatio tribuebat. Cum enim septem men-  
 sium dimicatione nihil pene esset promotum, difficulta-  
 tesque in dies novæ, aliæ super alias coorirentur, ter-  
 tio post Ignatii obitum die transacta res est, tametsi  
 literæ paulo post Societati sunt datæ. *Premiserat au-*  
*tem n. 2.:* In Belgio erant Lovanii, Tornacique de So-  
 cietate nonnulli, Coloniz item aliquor, ... Quæ om-  
 nia cum secunda incrementa pollicerentur, fecere, ut  
 nova Provincia Germaniæ inferioris nomine conderetur.  
 Quanquam Bernardo Oliverio, qui fuerat designatus  
 Provincialis antequam munus iniret, idem sub tempus,  
 quo B. Pater sublatus est, ex humanis erepto, habet  
 hæc Provincia quidem, ut gaudere possit, se ab Igna-  
 tio institutam, ceterum Provinciali Præposito diu ca-  
 ruit. *Eodem n. 2. hæc de S. Ignatio:* Convictorum pro-  
 curationem, quam Conimbricensi Collegio Joannes Rex  
 offerebat, judicavit suscipi posse dum sejunctas habe-  
 rent a Collegio ædes, atque œconomum externum, qui  
 res



*Anno* res domesticas procuraret. Cum vero pertinere permul-  
 1556. tum existimaret, sive ad conjungendos inter se se dome-  
 sticos, sive ad proximos adjuvandos, ut mente item senti-  
 re Socios, ita & lingua sonare, legem de ediscenda na-  
 tionis, apud quam degitur, lingua ab se ante latam reno-  
 vavit. *Porrò Bollandiani t. 7. Jul. p. 507. n. 512. dum*  
*laudato Orlandino indicant, quæ circa Idus Martii an-*  
*no 1556. Ribadeneira ad Philippum Regem admissus, post*  
*redditas Ignatii litteras, exposuerit, ut in mandatis ha-*  
*bebat teste Orlandino; non de Ignatii ad Ribadeneiram*  
*litteris videntur intelligendi, ut alias a me dictum, sed de*  
*litteris potiùs ejusdem S. Ignatii ad Regem Philippum, a*  
*Ribadeneira latis, ac reddendis.*

189. Complures hoc anno conscriptas fuisse ab Ignatio  
 litteras iis plane similes, quas modo n. 186. ad Callienses  
 datas memoravi, ipsa profectò gestarum natura rerum ac  
 ratio etiam persuadet. Nam apud Orlandinum l. 16. n. 3.:  
 Collegia miro plane studio ubique terrarum expeteban-  
 tur. Una in Italia, ut omittam minus nobiles Civita-  
 tes, ac populos, Brixianenses, Aretini, Asculani, An-  
 conitani, Maceratenses, Callienses, Spoletini, Nar-  
 nienses tendebant supplices manus, & prolixè omnia  
 pollicebantur: quibus tamen satisfactum non est, par-  
 tim ob Sociorum paucitatem, partim quod stabat Igna-  
 tio, quantum liceret, Collegia non instituere, ubi ju-  
 stum familiæ corpus haberi non posset. Amerinis ta-  
 men in Umbria, ac Senensibus in Hetruria, atque in  
 Sicilia Catanensibus fuit aliquid indulgendum. Michael  
 Botellius valetudinis gratia missus Ameriam, cum cives  
 vitæ suæ, dicendique genere commovisset, ut ejusmodi  
 hominum perennem usum expeterent, existimavit Igna-  
 tius præter utilitatem, quæ conferri posset in cives,  
 tum propinquitate, tum salubritate cœli, opportunum  
 Collegii Romani valetudinariis eo loco fore secessum:  
 eoque non absolutam per se ibi locare familiam, sed  
 quasi membrum Collegio Urbis meditabatur adjungere..  
*Senarum administrationem Philippi Regis nomine Franci-*  
*scus Mendoza Cardinalis Burgensis susceperat. Is fœda*  
*ubique cernens belli vestigia, humanissimi populi cala-*  
 mita-



mitates summas commiseratus, subsidiis humanis divina *Anno*  
 conjungens, quatuor e Societate ab Ignatio postulavit, *1556.*  
 qui ad tenues illas consolandas, recreandasque reli-  
 quias operam suam conferrent. Digna res caritate E-  
 vangolica visa Ignatio, præsertim quod permagni inter-  
 erat, statim spiritualium quasi fabrùm adesse copiam,  
 per quos jam fornace calamitatis mollita gens fingere-  
 tur: ut tanquam renascens de integro Christianæ for-  
 mam pietatis indueret. Comes anno superiore in Polo-  
 niam Salmeron Pontificis jussu iverat Aloysio Lippoma-  
 no Apostolico Nuncio, primus qui de Societate regnum  
 illud ingrederetur. Inde redeuntem transire Senis jussit  
 Ignatius, Cardinalique, ac civitati, dum per Pontifi-  
 cem liceret, quidquid in se esset, navare operæ.

190. *Bollandiani t. 7. Jul. p. 577. n. 876.* Inter illa,  
 inquit, quæ ex relatione Ribadeneiræ circa Sancti gu-  
 bernationem, Dichos y echos n. 98. memorantur, habe-  
 mus, quod anno 1554. Petrus de Zarate acceperit Bullam  
 quamdam Julii PP. III. in favorem rerum Hierosolymita-  
 narum; ubi inter alia fuerit aliqua clausula erigendi tria  
 Societatis Collegia, unum Hierosolymis, alterum in Cypro,  
 alterum denique Constantinopoli. Habeo in promptu ecgra-  
 phum epistolæ Hispanicæ, manu S. Ignatii subscriptæ, &  
 e tabulario Romano a P. Ignatio Pinio transcriptæ, quæ  
 signatur 9. Junii 1556., & cujus epigraphe inscribitur Do-  
 mino Petro de Zarate, Sanctissimi Sepulcri Christi Do-  
 mini nostri equiti, Bruxellis in aula suæ Majestatis.  
 Cum autem hæc epistola sit transfixa, & supersint vestigia  
 sigilli; patet, hanc ipsam missam fuisse; uti observat mox  
 nominatus Pater. Ceterum inde planum fit, quod S. Pater  
 noluerit renuntiare juri illi, quod a Julio PP. III. acqui-  
 sierat, erigendi Hierosolymis Collegium; quam tamen re-  
 nuntiationem desiderabant fieri coram Notario quidam Reli-  
 giosi. At respondet S. Pater, esse quamdam personam, quæ  
 post suam mortem relinquit redditus ducatorum quingentorum  
 pro Collegio Societatis Jesu ibidem loci; non credere se,  
 quod ullus cum ratione desideraturus sit, ut illud jus de-  
 seratur, aut illi nuntius remittatur. Jus vero aliud, quod  
 dant Bullæ Julii III. viâ Confraternitatis Sancti Sepulcri,  
 num-



Anno 1556. numquam se se procurasse, aut de eo tractasse; neque etiam post expeditas, ac publicatas Bullas unquam se dicto Domino promisisse affirmat, quod ad istos tractus missurus esset Collegium &c. Ad hæc, nesciens, ait, quidnam aliquando Deus Dominus noster sit effecturus per inutilia hujus minimæ Societatis instrumenta; rationi, ac spiritui Dei Domini nostri consentaneum non videtur, admittendo in ista Terra Sancta Collegio portam occludere; &, etiam si ego reipsa renuntiarem, non videtur, id validum fore, neque ligaturum deinceps Societatem; atque adeo mihi non videor posse, salvâ conscientia, instituere renuntiationem hujusmodi: tamen si videam, modicè admodum res esse dispositas, ut, tempore vitæ meæ, Collegium ad illas partes sit mittendum. Et facilius est, numquam mittere tale Collegium; quam promissione se obstringere, illud non admittendi. *Hactenus Bollandiani.*

191. Ceterum Bulla, quam, teste Ribadeneira, Petrus de Zarate anno 1554. acceperit, data reipsa fuerat præcedenti anno 1553., autore Orlandino l. 13. a n. 1.: nam volvebatur, inquit, annus hujus sæculi tertius, & quinquagesimus, cum Summus Pontifex Julius decreverat ipse quoque de Societate nonnullos in Asiam ad revocandos Nestorianos ab hæresi, & Catholicæ reconciliandos Ecclesiæ cum Patriarcha mittere. Et quo magis egregius Pastor de Orientis mereretur Ecclesiæ, Petro Zarate Ordinis Militum Sancti Sepulcri Commendatario instante, Collegia, in his regionibus tria, confectis jam rite diplomatis, condi jusserat, Hierosolymis unum, Constantinopoli alterum, tertium in insula Cypro. *Ac dein l. 14. n. 6. enarratâ gravissimâ Simonis Rodriguez tentatione, ad ultimum, ait, Salmeron rem ita composuit, ut Simon, omissa profectionis Lusitanicæ cura, Hierosolymam, quemadmodum principio exoptaverat, pergeret: & Collegium, quod jam Apostolica autoritate, uti demonstravimus, excitare sanctam illam ad Urbem licebat, si daretur opportunitas, inchoaret. Nec Ignatius abnuit, sed Socium addidit postulanti: numerarique, quantum satis esset ad subsidium*



sidium itineris pecuniæ, jussit. Quamquam Simon Venetias cum venisset, iter proseguere, valetudine interpellante, ausus non est. *Sed cum Odoricus Raynaldus in Annal. Eccl. ad annum 1554. n. 22. prodiderit, Archiconfraternitatem Sanctissimi Sepulcri Dominici erectam fuisse in Urbe a Julio PP. III. anno 1554.; eamque spectare videatur Jus aliud, quod dant Bullæ Julii III. viâ Confraternitatis Sancti Sepulcri, teste S. Ignatii Epistola; non ausim Julii III. diploma, de quo S. Ignatius, ab hoc anno 1554. remove: altum de illo silentium apud Raynaldum in Annal. Eccl., & apud Coquelins in Bullario Romano; quibus Pontificia patuere quidem tabularia, sed custodum desidia pluribus destituta diplomatis: quod mihi ante paucos annos recentioribus etiam exemplis, æquo quidem, sed ægro tamen animo ferendum fuit.*

192. Leonora Mascarenia, femina primaria, atque clarissima, & de Ignatio ipso optimè merita, Ignatium per litteras rogavit, ut Philippum II., Hispaniarum Regem, quem ipsa educavit a puero, atque eduxit, suis precibus haberet commendatissimum. Cui respondit Ignatius, se quidem pro Philippo adhuc Hispaniarum principe semel orasse quotidie: postquam vero Carolus pater onus in illum rejecerat, & tot regnorum clavum tenere, & gubernacula tractare cœperat, ad quotidianas, stasque preces, alteras etiam se diebus singulis addidisse. Ita Bollandiani ex Ribadeneira, qui Leonoræ epistolam anno 1556. fuisse Ignatio conscriptam prodiderat aperte in postremâ S. Ignatii vita Hispanica lib. 5. c. 1.: idem lib. 4. c. 10. de Ignatii morte: paucis, inquit, ante mensibus ad Leonoram Mascarenam ipsemet Ignatius epistolam scripsit, in qua illud erat: Hæc est postrema epistola, quam ad te scribam: rogabo Dominum pro te in cœlo brevi (ut spero) ardentius. P. Aguilera Histor. Provin. Sicul. t. 1. p. 124.: Ignatius, ait, de faustissimo Collegii Catanensis exortu Provinciæ Siculæ gratulatus, quod sextam jam, & se vivo, ultimam numeraret domum, memor Vinkii meritorum, qui Syracusanum quoque Collegium inchoaverat, eum ad Summum Professionis gradum evehere statuit. Quo-



*Anno* niam vero de cœlo didicerat, se propediem e vita abi-  
*1556.* turum, ad Domenechium scripsit, velle se P. Antonium  
 Vinkium inter Professos adlegere, sed ne diutiùs Ca-  
 tana abesset, solemnia ejus vota Messanæ ipse suscipe-  
 ret. Quod certum fuit instantis Ignatio mortis præsa-  
 gium; nam reliquos omnes Romam venire jusserat.

193. *Postremam omnium illam commemoro, de qua Bar-*  
*tholomæus a Cueva, teste Orlandino l. 16. n. 132., has*  
*Neapoli literas dedit. Paranti mihi ad Epistolam recor-*  
*dationis optimæ Patris nostri Ignatii respondere, nun-*  
*ciatum est illum a Deo evocatum ad suam gloriam: &*  
*quamvis hac in re certa illa consolatio præsto sit, quam*  
*nostra fides habet, animæque ejus negotium tantum a-*  
*gatur: non idcirco sensus in me non multum potuit.*  
*Quippe cum tam singulari amico, & parente orbatus*  
*sim: cui ego penitus confidebam in meis necessitatibus,*  
*tantum in eo consilium, ac prudentiam inveniens, tan-*  
*tamque modestiam, ac mansuetudinem, quanta sanè re-*  
*liquæ ejus sanctæ vitæ congruebat. Profecto Christiana*  
*respublica unum præstantissimorum capitum, quæ ha-*  
*bebat, amisit. De hoc singulari S. Ignatii amico, ac do-*  
*mûs Alburquerque ornamento, scripsit Julii Pogiani manu*  
*t. 3. n. 94. Otho Truchses Card. Augustanus Stanislaô*  
*Hosio Cardinali Varmiensi: Decessit nobis Collega no-*  
*ster Cuevius Cardinalis, vir, ut simplex, at ex eo ju-*  
*cundus, sic probus, ac pius, & cujus misericordia multi*  
*vivebant. Mortuus est ex calculo, III. Kal. Julii. Egen-*  
*tes homines in primis lacrymis illius e vita discessum*  
*prosecuti sunt. Deus amplitudinem tuam servet. Ro-*  
*ma. Kal. Julii 1562. Ubi Lagomarsinius hæc subdit: Pri-*  
*die Kal. Jul. Henricus Spondanus in Annal. Eccl., &*  
*Augustinus Oldoinus in Vitis Pontt., & Cardd. mor-*  
*tuum Cardinalem hunc de la Cueva affirmant, atque Ol-*  
*doinus quidem illud etiam addit in ortu Solis. His ego*  
*auctoribus magis credendum, hac quidem in re, quam Po-*  
*giano puto. At enimvero, hac quidem in re, qua mor-*  
*tem Cardinalis biduo ante Romæ demortui Augustanus Col-*  
*lega nuntiat Varmiensi, & Augustanum Cardinalem, &*  
*scribam ejus Pogianum falsis vulgi sermonibus fuisse Romæ*  
*dece-*



deceptos, ne sepulcrali quidem, quam laudant, inscriptione potest mihi probari. Verum hæc obiter. Anno 1556.

194. E Ducali tabulario Mutinensi præter 4. S. Ignatii epistolas, de quibus antea, luculentam simul accepi de morte B. Patris a Joanne Polanco, Vicarii generalis tunc ægrotantis nomine conscriptam die 8. Aug. 1556. Hertuli Duci Ferrariensi, quam Hispanicè ex Italico redditam, Hispanis olim transmisi, egregiis ipsorum typis cum Ignatianis edendam: quod & tandem futurum sperare jubet tum amicorum pia sollicitudo, tum constans catholicæ gentis veteris nostræ religionis amor. Novi quidem nihil ea nos docet, quod vulgati S. Ignatii Latini scriptores non prodiderint; quare visa non est huic Latinæ editioni necessaria, tametsi meâ quidem sententiâ minimè inopportuna: malui autem alienæ potius, quam meæ inniti prudentiæ. Monendus quidem est lector, S. Ignatium reliquisse provincias duodecim constitutas, quas singulatim Ribadeneira lib. 4. c. 16. recenset, omissâ Æthiopicâ, quæ tamen designata erat, vivo B. Ignatio, ut est in Indice Orlandini: quam proinde cum aliis duodecim videtur Polancus computasse, cum in epistola, quam dixi, tredecim scripsit provincias jam ordinatas Ignatium reliquisse. Complures alias in obitu S. Ignatii scriptas in ejus laudem epistolas memorat Orlandinus, qui l. 16. n. 124. primam omnium dat integram Patrum Barnabitarum Mediolanensium epistolam Societati Jesu Romam Kalend. Sept. 1556., quæ sic incipit: Postquam nobis renunciatus est hinc in vitam meliorem recessus beatæ memoriæ venerabilis Patris Ignatii, non mediocris cor nostrum pupugit dolor, tum vestri causa totiusque Sanctæ Congregationis Jesu, .. tum nostri, quorum etiam Pater erat. Plura ex alio hujus epistolæ exemplari prodidere Bollandiani t. 7. Jul. p. 519. n. 577.: ubi se ignorasse produnt egregium D. Francisci Aloysii Borelli Nicæensis Opus historiæ Congregationis S. Pauli, seu Patrum Barnabitarum, Italicè Bononiæ editum ab anno 1703.; cujus t. 1. a p. 256. eadem extat epistola inscripta Venerabilibus in Christo Patribus S. Congregationis Jesu observandissimis. Subscripta: Charitatis V. in Christo filii Clerici Regulares Sancti Pauli. Quæ sunt ab



Anno Orlandino prætermiffa : cetera ita congruunt, ut paucula di-  
 1556. screpantia verba viciffim facillimè corrigantur. Tum sub-  
 dit cl. Barellius integrum Jacobi Lainez responfum Vene-  
 randis in Christo Patribus Domino Præposito, & Cle-  
 ricis Regularibus Sancti Pauli in eodem Christo obser-  
 vandiffimis. Subfcribitur: V. Charitatis fervus in Do-  
 mino Jacobus Lainez. Quæ de tredecim Societatis provin-  
 ciis nuper ex Polanco dicebam, indicantur in hac epiftola  
 his verbis: Interim dum Societas cogitur, quæ in duo-  
 decim, tredecimve provincias, & plusquam centum do-  
 mos diftributa eft, faneis orationibus V. C. eam univer-  
 fam commendamus. PP. Barnabitarum, & alias id ge-  
 nus literas fecit Italicas Bartolius l. 4. n. 35. Omnium,  
 quas quidem noverim, longiffimam, atque præftantiffi-  
 mam fcripsit die 12 Febr. 1557. R. P. Fr. Ludovicus  
 de Estrada, Monachus B. Mariæ Hortenfis (in Segun-  
 tina Diœcefi) Ordinis S. Bernardi ad Patres, fratres-  
 que Societatis Jefu de feliciffimo transitu P. Ignatii,  
 quam in Biblioth. Magliavecchiana perlegi Classe 38. cod. 26.  
 a fol. 2. ad 38. nitido, ac vetufto caractere Hispanico  
 defcriptam: vulgatam fuiffe Hispanicè, Latinè, ac Ita-  
 licè, docet Nicolaus Antonius in Bibl. Nova. En tibi sum-  
 mam ejus ex Orland. l. 16. n. 125.

195. Longam, inquit, Ludovicus Strada vir egregie  
 doctus, ac pius e familia S. Bernardi ad Socios Septi-  
 mancenses epiftolam dedit hispanice: quæ longo post  
 tempore italico fermone in lucem edita Romæ eft.  
 Exorsus ab animi fui tumultu, quo fe ad communem  
 gentis humanæ Ignatii morte acceptam cladem diu con-  
 ftitiffe mutum, atque attonitum inftar Jobi amicorum  
 ait; cum fufe ftuporem hominum deplorasset; qui quia  
 non intelligunt quanti referat in terris superesse exi-  
 mia præditos faneitate viros, in eorum occafu minime  
 commoventur, ex illa Ifaiæ voce, Nifi Dominus Sabaoth  
 reliquiffet nobis semen, quasi Sodoma facti essemus, ho-  
 mines Deo caros apte feminibus comparans, cum gra-  
 no finapis diligenter Ignatium confert. In primis, quod  
 hoc semen cum fit minimum, fiat majus omnibus ole-  
 ribus, Dei admiratur ingenium, qui gaudens rebus mi-  
 nutis,



nutis, ac vilibus ad maxima opera, & præclarissima  
 uti, cum tam multi eodem sæculo, ejusdem atque I-  
 gnatius consilii essent, ac præter ceteros Paulus Quar-  
 tus etiam Pontificatus Maximi ad quidvis perficiendum  
 præsidio instructus, & magnus ille Doctor tota His-  
 pania sanctitate, atque doctrina celeberrimus Avila,  
 perfecti tamen operis titulum majore quadam gloria I-  
 gnatio dederit: adeo ut ad hunc, veluti Joannes ad  
 Christum, discipulos Avila suos ultro transmitteret. Tum  
 de coloniis quasi ramis toto orbe diffusis, ac Sociorum  
 multitudine disserens, in his ætate, conditione, lin-  
 guis, nationibus inter sese discrepantibus, conspectam  
 a se narrat majorem, quam si ab una essent omnes  
 stirpe, ac parente editi, consensionem, atque cor ita  
 unum, unamque animam, ut carmine quodam divino,  
 cœlestique philtro tanta conspiratio fieri videatur.  
 Deinde ad convolantes ad hanc sacram arborem digres-  
 sus volucres, inter cetera refert visos a se in Hispa-  
 niensi quadam Academia juvenes antea solitos alia se-  
 qui omnia, diebus quibusque festis summo mane ad  
 crimina sua deflenda, & ad Sacrosancta usurpanda my-  
 steria surgere numero amplius trecentos: neque hæc  
 aliis in templis propter insolentiam fieri (ita enim erant  
 tum tempora) cum id miri habeant commodi Societatis  
 templa, quod in iis inducto more divinam mensam fre-  
 quentandi, neminem deterreat inanis metus, ne singu-  
 laris ac notabilis fiat. Adjicit his exercitationum spiri-  
 tualium laudes, quas appellat Novitiatum quendam toti  
 humano generi institutum. Quod sicut religiosi Ordines  
 habent gymnasia, in quibus suos quique Tyrones ad  
 suam vitæ formam exercent, ac fingunt; ita ex uni-  
 verso mortalium cœtu exercitationibus a B. Ignatio in-  
 ventis suo quique in vitæ genere ad perfectam Chri-  
 stianæ legis disciplinam erudiantur. Postremo obtrecta-  
 torum contra Societatem confutatis calumniis, ejusque  
 instituto non leviter explicato, Socios adhortatur ut  
 B. Ignatii vestigia prementes, contra adversarios spe  
 in Deo collocata, modestiaque ac silentio dimicent.  
 In silentio & spe, *inquit*, erit fortitudo vestra, quo-  
 giam

Annus  
1556.



1. *Pet.* niam voluntas Dei est, ut beneficientes obmutescere faciatis  
 2. imprudentium hominum ignorantiam. Addit scriptam a se  
 v. 15. pro Societate apologiam: & cur id ipse diversi Ordinis  
 faciendum sibi putarit, exponens, epistolam claudit. Ha-  
 ctenus Orlandinus.

Anno 1556. 196. Nicolaus Antonius post hanc epistolam Apologiam,  
 de qua eadem, his verbis recenset: Apologia pro Religio-  
 sis Societatis Jesu lib. 1.; nempe, ut ait Bibliothecæ au-  
 thor Cisterciensis, Societatis Patres Cæsaraugustà ex-  
 clusos unica ad populum, primoresque Urbis concione  
 (quæ hæc forsàn Apologia est) restitui procuravit.  
 Verùm hæc tanti viri suspicio & aliena est a Bibliotheca  
 Cisterciensi, quæ concionem illam ab Apologia distinguit,  
 & ipsâ confutatur epistolâ, qua Estrada nos docet apertis-  
 simè, se sua in Apologia Sanctæ Societatis, res ejus ab  
 originibus fusissimè tractasse, orbem dedocuisse deceptum,  
 docuisse ignorantes, innocentiam denique contra hujus secu-  
 li sapientes vindicasse. Sed præstat ipsa verba Hispanica  
 ex dicto manuscripto describere: Si a vuestras manos, in-  
 quit, llegare la Apologia, que entre mis estudios ten-  
 go ordenada en defensa de la Santa Compañia, alli  
 vereis muy largamente tratadas vuestras cosas den-  
 de sus principios, y dareis gloria a Dios nuestro Se-  
 ñor, contemplando como se deshacen las obscurida-  
 des, que ha sembrado el principe de las tinieblas en  
 nuestra España, en presencia de la verdad mas clara  
 que el Sol: alli bendizireis al criador, quando vie-  
 redes desengañado el mundo, y que caen en la cuen-  
 ta muchos ignorantes, alumbrados por la misericor-  
 dia divina con la industria de un pobre monge vue-  
 stro siervo: no os dejarà de caer en gracia el espe-  
 ctaculo tan notable, quando vieredes mi ignorancia em-  
 pleada en resistir a los sabios deste siglo en defensa  
 de vuestra inocencia: finalmente alli vereis a vuestro  
 Estrada hecho camino, para que passen gentes a gozar  
 de vuestro buen espiritu. *Et cetera.* Non is erat Estrada,  
 qui hæc de concione sua Cæsaraugustana scriberet;  
 quæ Septimancensibus Sociis ignota esse non poterat: is  
 tamen erat a veteri sua monastica professione, vitæ san-  
 cti-



etitate, ac doctrinae præstantia, ut absoluta ejusdem Apo- Anno  
logia pro Sancta Societate Jesu, contra tenebrarum prin- 1556.  
cipem clarissima veritatis luce adornata, facile confutet &  
coævus, & posteros Societatis ejusdem obtrectatores. Nam  
qui meridiana in luce, ut Pauli verbis utar Apostoli, sa-  
nam doctrinam non sustinebunt, & a veritate quidem  
auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, ut  
personatus impiorum antesignanus Hercules Rasiel de Sil-  
va in suo Mirabili Inigo de Guipuzcoa Equite Mariano,  
aliique obscœni tenebriones non rationibus, quas aversan-  
tur, sed como potius & fræno sunt constringendi, sicut e-  
quus & mulus, quibus non est intellectus. Atque hæc uni-  
versè de literario S. Ignatii commercio, certioribus tempo-  
rum notationibus definito: supersunt non pauca sine ulla  
temporum designatione, quæ in sequentem Appendicem con-  
jicio.





## A P P E N D I X.

*Incerti temporis epistolare S. Ignatii commercium; & nonnulla  
ejusdem cum certa, tum dubia opuscula.*

197. **D**uo præmitto in B. Patris laudem illustria in primis, incerti mihi temporis testimonia: primum ex Orlandino l. 16. n. 123.; nempe Ludovicus Montoya Augustinianus magni in Lusitania nominis cum Sancto viro Romæ congressus, scripsit deinde Conimbrica, nullas se vel pretiosiores, vel sibi fructuosiores reportasse ex Urbe reliquias, quam quod Ignatium vidisset, ejusque colloquii, benedictionis, magisterii esset particeps factus. Addit autem Bartolius lib. 4. n. 35., Ludovicum Ignatio Conimbricâ scripsisse in hunc modum: Jesus Christus, summè nobis bonus, sanctæ tuæ animæ semper adsit, quam sui cognitione illuminet, in diesque magis sancti sui amoris ignem in te accendat. Amen. Dominus noster incolumem suâ me benignitate in hanc Urbem reduxit: ut autem istic vestræ Paternitati dixi, nullam inde pretiosiore reportavi reliquiam, nec ullum fructuosius mihi tractavi negotium, quam quod vestram Paternitatem vidi, parentemque mihi conscivi, ejusdem factus particeps benedictionis, ut semper in posterum quoad vixero, quamvis indignus, unus tamen sim, ac minimus fratrum Sanctæ Societatis Jesu, quos equidem multum amaveram, nunc verò plus etiam quàm unquam; atque ita mihi in visceribus hærent, quemadmodum & ipsi me curant, ac diligunt quasi unum ex suis: quanquam ego quidem non sum illorum amicitia dignus ob tantas illas animæ meæ misérias, quas apud vestram Paternitatem exposui, cum me istic dignata est aspicere, & audire, &c. Alterum ex P. Francisco Garzia l. 5. c. 18., & Nolarcio c. 28., apud quos Sancti Francisci Borgiæ frater, cujus tacuere nomen, hæc Ignatio scripsit: Ut me velit suis vestra Paternitas annumerare, aliam equidem afferre causam non valeo, quàm quòd Patris Francisci sim frater, vel magnus porrò peccator; ac vehementer dubito, quonam potissimum ex his nomine tuam possim captare benevolentiam. *Accedit ex Bartolio lib. 4. n. 17. P. Ludovicus Mendoza, qui*

*acce-*



accepta Ignatii epistolâ rescipsit B. Patri, pluris se illam face-  
re, quàm si Papa galerum sibi Cardinalis misisset.

198. Orlandinus lib. 5. n. 5. epistolam S. Ignatii memorat, quæ circa annum 1534. videtur Parisiis conscripta: cum Hieronymo Natali nonnullum, inquit, usum habebat Ignatius, qui ne ad pietatem suâ naturâ propensum, earumque partium negligeret virum in ædem ab interpellatoribus liberam aliquando seduxit. Hic eo audiente, longas sane literas, quas ad nepotem suum in Hispaniam de rebus deserendis humanis, & via ingredienda salutis accurate perscripserat, recitat. Qua Natalis incitatus epistolâ, & ex parte altera divinis obluctans impulsibus, Evangelii Codicem profert, & ad Ignatium, en, inquit, quem ego sequar. Apud Bartolium lib. 1. n. 16. Præsulî solatium in adversa sibi fortuna ex Ignatio quærenti, hæc præter alia respondit: Reverende Domine, eatenus bonum est aliquid in hac vita, quatenus ad æternam nos alteram provehit: ac malum eatenus, quatenus ab æterna vita nos abducit, ac removet. Quare animus, dum probatur adversis, illuminatus, ac cœli defluviis actus, nidum suum in alto collocat, visque sui desiderii tota in eo est, ut non nisi Christum concupiscat, & hunc crucifixum, cujus gratiâ in hac vita ita se Cruci affigat, ut in altera cum eodem resurgat.

199. Dominus Ignatius Guerra mihi Româ transmisit sequentem S. Ignatii literarum particulam, cetera detritarum in archetypo Hispano cujusdam Neapolitani e Societate Jesu: Summa Christi Domini nostri gratia sit perpetuò in cordibus nostris. Nostrorum literis cognovi, quantâ curâ, & studio res Ecclesiæ universas complectaris; quam ob rem te a Deo Domino nostro Spiritualibus suis gratiis cumulandum confido; eisdem pariter cognovi, ac certo scio, quantum tibi Societas hæc minima perpetuis honoribus tuis, ac beneficiis obstringatur: quibus & ego sum commotus, ut has tibi scriberem in ejus gratiæ argumentum, quam percupio & haberi ab omnibus, & referri quacumque ratione benemeritis, ut eorumdem memoriam in sacris precibus retineant; quæ grati animi significatio & est per se omnium præstantissima, & ad eos in hac vita juvandos aptissima. Narrat Garzia lib. 5. cap. 13. Ignatium, cum rescisset Menciam a Benavente, olim de se Compluti benemeritam, e locuplete in eam fuisse delapsam egestatem, ut ostiatim



mendicato vivere cogeretur, eo nuncio misericordiâ commotum, quoniam absens illi subvenire per se non poterat, scripsisse P. Villanovæ, Rectori Collegii recens in eodem oppido constituti, ut ei quibuscumque rebus posset, commodaret, plane certus, quidquid seu ipse, sive alii patres, ac fratres illi commodarent, id omne a se tanquam sibi collatum accipiendum. Ad eandem fidissimæ gratiæ virtutem refero, quod, ipsomet Garzia teste lib. 6. c. 2., Joanni Paschali Barcinonem in hunc modum respondit: ante acceptas tuas literas noveram matris tuæ mortem, eamque Domino nostro commendaram, quo jam fruitur in cœlo. Erat autem Joannis mater Agnes illa Barcinonensis eximia Ignatii fau-trix. Bollandiani t. 7. Jul. p. 577 n. 874. multa de Ignatii studio conciliandæ gratiæ, pacisque viros inter primarios, in quibus memorantur Franciscus Laso, & nobilis quidam Hungarus, de quorum procurata pace testis est, ut ajunt, autographa S. Ignatii epistola.

200. Petrus Ribadeneira in postrema Vita Matritensi anni 1605. lib. 5. c. 3. de Ignatii humilitate: in quadam, inquit, epistola, quam ipse vidi, nunquam se ait cum ullo vel maximè scelerato de rebus divinis egisse, quin magnum sibi lucrum ex eo commercio accedere videretur: certè quòd se nequiores illo reputaret: Hæc, ut alia non pauca in eadem editione a Ribadeneira adjuncta, in Bollandianis desidero. Vide epistolam ad Archidiaconum Cazador 12. Febr. 1536. n. 6. Superiùs n. 80. indicavi, Petrum Canisium an. 1549. a S. Ignatio e Sicilia in Germaniam fuisse advocatum: quare sub illud tempus videtur missa eidem S. Ignatii epistola, quam inter Messanensis Domus Professæ sacra lipsana recenset Silvester Maurolicus lib. 5. Maris Oceani Relig. pag. mihi 409.: hæc B. Pater mandabat Canisio, ut Messanensem Magistratum suo nomine salutaret, eidemque sacrorum munerum, quæ simul per P. Antonium Vinchium mittebat, rationem redderet. In eadem arcula, tunc ab Ignatio missa, duas præterea subdit Maurolicus asservari B. Ignatii epistolas: quibusnam autem missas non indicat. Dixerat idem superiùs ab Excellentissima Bivonæ Duce possideri alteram, ab Ignatio scriptam Juratis, ut ait, Messanensibus, quibus se percupere declarabat, ut inibi scientiarum omnium Academia constitueretur, qua de re facultatem etiam Pontificiam impetraverat.

201. Cum P. Leonardus Kesselius Sociis Coloniensibus præfuerit ab anno 1544. ad 1556., incertissimus est annus, quo datæ sunt literæ his verbis indicatæ Bolland. t. 7. Jul. p. 587. n. 929.:  
Hunc



Hunc ergo magnum quoddam, & inusitatum desiderium cum teneret videndi, potiundique colloquio B. P. Ignatii, litteras ad eum dedit, quibus petebat, ut sibi Colonia Romam pedibus ire liceret, plus trecentis milliariis Gallicis inde distantem; tantummodo ut in ejus aspectum, sanctissimosque sermones veniret. Respondit B. Pater, ejus præsentiam Coloniae propter aliorum utilitatem, necessariam esse; propterea ne de statione discederet; Deum fortasse via magis facili & expedita sui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniae vigilantibus apparuit vivus adhuc, & spirans beatus Ignatius, cum eoque satis longo sermone disseruit. *Eodem t. 7. p. 542. n. 699.*: S. Pater, *inquiunt*, Provinciae Siciliae Praefectum, quod ea, quæ præceperat, non esset executus, jussit in virtute s. obedientiae... quavis hebdomada semel jejunare, solo pane & vino (seu menestra, id est jusculo) contentum esse, totiesque flagellis se cedere, psalmi quinquagesimi curriculo definito: nec ab eo sui afflictandi studio absistere, quoad ipse Pater S. de rei antehac imperatae expletis numeris omnibus certior redderetur. *Ibidem p. 566. n. 816.*: Cum rescisset, in Sicilia permitti Novitiis, aliisque junioribus quibusdam per omnes magni jejunii ferias, eà victus parsimonia, qua ceteros, vivere; acrem præsidibus reprehensionem scribendam, transmittendamque curavit. *Addunt præterea p. 557. n. 773. hoc aliud Ignatianæ severitatis exemplum*: Junioris Magistri, qui Venetiis docebat, inconsulta verba severè castigavit, docens pariter, lanci prius fuisse, quàm linguæ committenda: quod enim iis apud aliquem imprudentius offendisset, peregrinatum missus est pedes, & mendicans solido trimestri.

202. P. Oliverius Manareus Lauretano Collegio præfuit ab extremo anno 1554., ex quo Bollandiani t. 7. Jul. p. 582. n. 902. hæc produunt: Noverat (Ignatius) uti cum subditis magna moderatione, ac mirà prudentiâ addebat illis animum, ubi oportebat. Quando me misit Lauretum, ut Collegium ducerem, & præessem; daret autem ipse mihi tantum instructiones, quibus cognoscerem, quomodo me gerere deberem, cum Domino Governatore loci, & Canonicis, aliisque externis; petii quas regulas servarem; nam (ajo) Collegii Romani regulæ Collegio illi non convenient, nisi perpauca, ob loci sancti, & per concursus peregrinorum circumstantias. Similiter quæ



sunt domus professæ, vix etiam servari poterunt. Ad hæc respondit: Oliveri, facias, sicut tu vidisti, & ut unctio docebit te. Accommoda regulas loco, ut poteris. Petii de personis, quas adjungebat, quas in quæ officia distribuere. Iterum paucis verbis respondit: para, Oliveri, vestes secundum pannum, quem habes; sed quomodo egeris, & distribuere, doce. Accidit autem semel, ut aliquid contra mandatum ipsius litteris acceptum facerem. Significavi porrò, me ita fecisse, quòd illum proposuissem mihi præsentem ob oculos, & visus mihi fuissem audire ipsum dicentem: Fac, sicut tu mente concepisti: nam & ego, si coram essem, ut sic faceres, mandarem. Ipse verò rem ita est interpretatus, ut rescriberet, me ex ipsius voluntate fecisse: homo dat, inquit, officium; sed Dei est dare discretionem. Volo, ut de cætero absque scrupulo agas, ut judicabis ex rerum circumstantiis esse faciendum, non obstantibus regulis, & ordinationibus. *Eadem quidem certe scripsisse Borgiæ, nos docet Cienfuegos lib. 4. c. 12. p. 291., ubi narrat, patrem Xuarez anno 1555. Hispali a Borgiæ missum ad Archiepiscopi Vicarium, ut urgens quoddam negotium expediret, cum ex itinere vidisset reum nullo Sacerdote comite ad supremum duci supplicium, urgens Borgiæ mandatum ex caritate benignius interpretatum ad miserum advolasse reum, supremis sacrorum ministrorum subsidiis destitutum. Qua re feliciter confectà, Vicarium demum adiit; ad Borgiam autem expectato seriùs cum redisset; moræ causam rogatus, ac modestè omnia professus, id responsi tulit: Sic facies, cum fors, & casus id tulerit; ac re precibus ad Deum fuis æquo animo deliberatà cognoveris, Superiorem, si rebus coram adesset, eas tibi in primis mandaturum, ubi casu recurrenti spatium non datur; tunc verò mandatum prætermittite, sic enim ad me scripsit Pater noster Ignatius. Aliam ejusdem B. Patris ad eundem Borgiam epistolam indicat Bartolius in Borgiana Vita lib. 3. c. 11., ubi tantam fuisse ait in Hispania sub Commissario Borgiæ Collegiorum multitudinem, ut S. Pater Ignatius eidem mandarit, parcior ut esset acceptandis illis ac moderatior. Fuit Sancti Patriarchæ prudentissimum consilium, ut hac in re suo uteretur nomine, cum aliis de causis ad publicum bonum gravissimis, tum ut Patrem Franciscum tueretur a nimis quorundam postulatis.*

203. *Apud eundem Bartolium l. 3. n. 18. S. Ignatius in epistola*



*stola quadam inquit*: Nos in Societatem admissis primum omnium plures spiritualium exercitiorum dies præscribimus, secessum ab omni hominum consuetudine, examina, generales confessiones, horarum complurium meditationes, & alia quævis aptissima vitæ reformandæ, ipsorumque vocationis generi dignoscendo; tum eisdem castigandis incumbimus ac deprimendis, humilibus abjectisque per duos, vel plures etiam menses ministeriis exercendis in infimis officiis domesticis. Aliquanto post nosocomiis ipsos ægrotantibus per mensem inserviendis addicimus, deinde menstræ pariter peregrinationi sine pecunia, ullove comœatu, publicis ut in hospitiiis cum pauperibus diversantes, respectus humanos abscondant, ac dum in diem victitant mendicato, paternarum domuum, commodorumque vitæ desiderium abjiciant, atque oculos in solius Dei manus intentos habere discant, cujus tantum fiducia sustententur, seu bene secum agi, seu male, constituerit.

204. *Egregiam ejusdem laudat Hispanicam epistolam lib. 1. n. 26. in hanc fere Sententiam*: Non est sanè mirandum, Scholasticos nostros non eum experiri devotionis gustum omnem, quem velles: nam ille, cujus est gratiam hujusmodi conferre, eandem cui, & quando expedit, impartitur: est autem credibile sub literarum studia, quæ non mediocrem spiritui afflictionem solent afferre, divinam providentiam sensibiles id genus visitationes suspendere: quæ nimirum tametsi mentem magnopere delectant, corpus tamen æque debilitant, & frangunt. Accedit, quod intellectus, contemplationi Scientiarum intenti, occupationes attenuare solent affectus, & exsiccare. Nihilominus studia ipsa, si ad solum divinum obsequium referantur, sunt reipsa devotiones, seu religiones optimæ: ac si nullum solida virtus detrimentum patiatur, orationique præscriptum in Constitutionibus tempus tribuatur, adsint, necne consolationes, non magnopere curandum, nec ægro ferendum animo, sed æquo potius illud a Deo accipiendum, quod ipse volet nobis tribuere, majori semper habitâ graviorum ratione, patientiæ scilicet, humilitatis, obedientiæ, & caritatis. Porro tempus, quod epistola innuit Orationi præscriptum in Constitutionibus, eandem ad postremos Ignatii annos omnino confert. Posterior certe quidem hæc epistola est longiore Scholasticorum institutione, quam hîc integram subjicio.



205. De hac P. Joannes Pinius t. 7. Jul. p. 575. n. 863.: Habeo, inquit, quoddam scriptum Hispanicum, hoc prænotatum titulo: Apographum aliquorum quæditorum, quæ Pater quidam Lusitanus Societatis proposuit nostro Patri Ignatio, ac responsionum ejus, extractum ex originali, quod dicti Patris (illius nempe, qui proposuit) manu scriptum est, ac manu P. Polanci correctum. Scriptum hoc ex tabulario Romano transcripsit. Ignatianarum ibidem notitiarum pro me eruditor, monens, esse satis longum, constare punctis sedecim; atque excerpere se aliqua puncta cum responsionibus. Cujus ego, missis aliis punctis, sextum, ac septimum dumtaxat delibo, ac Latine interpretor. Hæc Bollandianus. Seculo ante P. Nicolaus Lancicius opusc. XI. n. 2. ex ms. Archivii Romani protulerat totam fere ad sextum, quod dixi, punctum responsionem, his ibidem adjunctis: Cum Sanctus Pater interrogatus fuisset a P. Brandano in Lusitaniam discessuro, in quibus devotionibus Scholasticus Societatis, dum vacat literarum studiis, se exercere deberet, respondit. Hæc sunt formalia verba S. P. Ignatii ab illo Hispanicè prolata, & a P. Joanne Polanco ejus Secretario postea subscripta, quæ ad meas manus venerunt. Alias etiam ediderat ejusdem scripti particulas opusc. V. n. 7., & opusc. XVI. n. 28., ubique laudato P. Brandano. In Florentino ms. eidem opusculo Hispano titulus hic præfigitur: Interrogationes P. Magistri Brandonis ad P. Magistrum Ignatium de Lojola. Hæ sunt res, de quibus Societatis Scholasticus desiderat fieri certior ex Patris nostri Sententia. P. Polancus epistolâ Ignatii nomine scriptâ die 1. Jun. 1551. ad P. Urbanum Fernandez libellum hunc laudat memorialem, a se Patri Brandoni traditum. Non dubito, quin agnomen sit Lusitanicè Brandaon, Lancicio Brandanus, aliis Brandon, ut ex Simaon, Simon. Jam verò subjecta Florentini ms. notula post sedecim interrogationes nos docet, Brandonem etiamtum fuisse Scholasticum, cum ad eas P. Ignatius ipsi respondit. Hæc de Brandone. Nunc opusculum ipsum Latine reddo, usus quandoque tum Lancicii, tum Bollandiani versione, ubi suppetit:



Interrogationes P. Magistri Brandonis ad P. Magistrum Ignatium de Lojola. Hæ sunt res, de quibus Societatis Scholasticus desiderat fieri certior ex Patris nostri Sententia.

206., 1. Quantum orationi vacabit, dum studiis in Collegio incumbit? Quantum item consuetudini cum fratribus, ubi Rector neutrum definierit?

2. Sitne Missam nonnullis diebus prætermisurus, an dicturus in omnibus, cum aliquo etiam literarum detrimento?

3. Absolutà jam Philosophià, cuinam potissimum incumbet Theologiæ parti, an speculativæ, an morali, si credat in Collegio se totum utrique non daturum?

4. Quid faciet, dum inordinatis agetur sciendi desideriis?

5. Anne Superiori, ad nullam rogatus operam, suam delaturus sit voluntatem, vel omnia potiùs Superioris arbitrio relicturus?

6. Quibusnam præcipuè meditationum exercitiis incumbet, quæ nostræ vocationis scopum propiùs attingant?

7. Num in suis Confessionibus minimos etiam dicturus sit defectus, an majores tantum, ut Confessio sit brevior?

8. Nunquid aliquorum fratrum Confessiones sit excepturus? Num quædam sint ab eisdem quærenda, licet peccata non sint? Quibus denique in rebus petenda sit a pœnitente facultas, ut Superiorem de auditis in Confessione doceat.

9. Quenam sit habenda sibi ratio agendi cum Superioribus de alterius tentationibus? Num quædam etiam præteritæ, omnino aperiendæ?

10. Viso leviori defectu in privata Societatis personà, anne illam corrigat? Vel sinat potiùs decipi credentem, nullum subesse defectum.

11. Si coram Deo videatur sibi, Superiorem suum, puta Rectorem, in aliquo aberrare, sitne de illo Provincialem moniturus? Atque ita porro de subditio quovis Superiore: seu potiùs sua sibi mens sit obcæcanda.

12. Quid sibi servandum, cum seu extraneis, sive Sociis scripserit, nulla necessitate, vel mandato intercedente, sed caritate solà, aut ejus officio.

13. An in familiari cum extraneis, nonnullisque Sociis consuetu-



suetudine, usurus sit verbis, quæ officiosa ipsis videbuntur; vel parcius agendum?

14. Quid observandum in rebus ad aliquem e Societate deferendis, & qua ratione id agendum?

15. In familiari cum extraneis consuetudine, sitne ipsis certa religio persuadenda? Et an alicui extero seu domestico nova votorum conceptio sit persuadenda?

16. Quò spectandum in usu, vel abstinentiâ privilegii alicujus Societatis cum quibusdam pœnitentibus?

Sequitur brevis responsio, desumpta e rebus compluribus, quas idem Scholasticus audivit a P. nostro

M. Ignatio de Lojola.

207. Primæ interrogationis priori parti fit satis, spectato Scholastici fine seu scopo dum studiis in Collegio vacat, ut eam nempe sibi comparet scientiam, qua Deo Domino nostro, juvandis proximis, ad majorem ipsius gloriam servire possit; quod totum requirit hominem: nec totus literis incumberet, si diutiùs orationi vacaret. Quare Scholasticis non Sacerdotibus (ni vehementius ad devotionem agitentur) una sufficit hora præter Missam: in hac verò Sacerdote versante potest secum aliquid ipse meditari; & in hora, quam dixi, potest ut plurimum horas Beatæ Mariæ V., aliamve orationem, recitare, aut meditationi vacare, Rectoris arbitrio. Scholastico autem Sacerdote sufficiunt Horæ ex Officio, Missa, & examina; quibus poterit semihoram adlere, si magna suppetat devotio. Alteri ejusdem interrogationis parti satisfit spectato pariter agendi cum aliis fine, ut eis nimirum, quibuscum nobis est usus, ad virtutem simus incitamento, cui & rarior officit, & nimia consuetudo: quare ita sunt extrema vitanda, ut medium teneas. In eadem posteriore interrogationis parte agebat Pater noster, quàm maximam esse habendam obedientiæ rationem; agebat autem, ut quemadmodum nonnulli Sancti, ac cœtus etiam religiosi, alii aliis in quibusdam præstant, quæ in aliis non emineant, sic sua etiam Societati esset excellentia, qua ceterorum quemvis cœtum exæquaret, cum hi multas habeant, quas noster habere non potest, tametsi in aliqua, ut in paupertate, se æquare possit: ac vel-

let



let noster reverendus Pater, ut obedientia esset nostra hæc excellentia, ad quam sanè magis teneamur a singulari voto, quo Patres obstringuntur ad obediendum Summo Pontifici, nullà recusatione, aut excusatione interposità. Hanc verò dicebat perfectam esse non posse, quin subditi iudicium omnino congruat cum Superioris sententià; quod si sensus utriusque non congruant, perpetuum erit subdito purgatorium, ac modicæ firmitatis occasio.

208. Secundæ interrogationi respondebat noster reverendus Pater, studiorum cujusque nostrum spectato fine, nisi horum trium aliquod intercedat, obedientia nimirum, vel commune bonum, aut magna devotio, posse duas tantum in hebdomadâ quaque Missas celebrare, præter Dominicas, & festos dies.

209. Ad 3.: speculativæ, aiebat, quòd dein Collegii etiam absoluto curriculo moralem colet, cum hæc pars habendis concionibus, aliisque rebus occurrentibus sit necessaria; speculativam verò esse propriam scholæ, in qua veritates a fundamentis examinantur. Ad 4. respondetur in sexta. Ad 5. ait, expedire, se paratum ad nutum Superiori semel exhibere, ut de se ad majorem Domini nostri gloriam constituat, omni sui curâ in eum conjectâ, uti Christi Vicarium in terris, quin se tamen sæpius eidem exhibeat, nisi urgente re quapiam adactus.

210. Ad sextam: quia Scholastici, attento studiorum fine, non possunt longas instituere meditationes, præter solita exercitia virtutum, quæ sunt quotidiana Missæ auditio, hora una orationis\*, & examina conscientiæ, confessio, ac communio diebus octonis singulis, exercere se possunt in quærenda Domini nostri in rebus omnibus præsentia, videlicet in conversando cum aliquo, in ambulando, aspiciendo, gustando, audiendo, cogitando, & in omnibus, quæ fecerimus: cum verum sit, quod divina ejus majestas in rebus omnibus sit per præsentiam, potentiam, & essentiam. Atque hic meditandi modus, qui Deum Dominum nostrum invenit in rebus omnibus, est facilius illo, qui nos elevat ad res divinas magis abstractas, cum labore nos sistendo illis præsentibus: & pariet hoc exercitium bonum (si nos disponemus) magnas Domini visitationes, tametsi brevi oratione

F f

tione

\* Ita Bollandiani; sed textus Hispanicus, una ora para rezar, hora una ad recitandum horas B. Maria V., aliamve orationem, ut dictum est n. 207. ad primum.



tione contentas. Præterea potest se exercere in offerendis sæpè Deo Domino nostro suis studiis, eorumque laboribus, animum advertens, quod ob amorem ejus illos acceptemus, postponendo nostros gustus, ut aliqua ratione suæ Majestati serviamus, eos adjuvando, pro quorum vita mortem obiit. Et circa duo ista exercitia possemus nos examinare. Hisce duobus exercitiis adjungi potest aliud concionandi in Collegiis: nam quoniam una ex præcipuis post bonam vitam dotibus, quæ proximum plus juvant (ad quod potissimum ordinatur Societas) est illa, quæ in concionando posita est; reverendo Patri nostro non exiguus videbatur fructus referendus, si scholastici se se exercerent in concionando, atque diebus Dominicis concionarentur, quæ vellent: exercitii autem gratia, ne jacturam inferrent studiis, qualibet vespera duo vel tres in cœna possent dicere illam tonorum formam, quam edocti fuissent; ac principio ea usui esse posset, qua utimur Romæ, quo fiat, ut per istius evolutionem facilius assumatur alia, atque ex illa promatur vel augeatur secundùm consuetudinem regionis. Magni sunt hujus bonæ exercitationis progressus, qui brevitatis causâ non recensentur.

211. Ad 7.: ut ne quis in hac re decipiatur, observare potest, qua ex parte inimicus ipsum impugnet & quò deducere eum velit, ut Deum Dominum nostrum offendat: quod si facilia ipsi reddiderit peccata mortalia, operam det, ut expendat vel minutissimas illius generis imperfectiones, ac de illis sese accuset in confessione. Si verò deduci se senserit ad quamdam perplexitatem, faciendo, seu putando peccatum, ubi non est, de minutiis haud confitebitur, sed de peccatis dumtaxat venialibus, & quidem gravioribus. Quod si jam per Domini gratiam consecutus sit pacem cum Domino nostro, breviter confiteatur de peccatis suis, non descendendo ad minimos, ac confundendo se de illis in præsentia divina, ac considerando, objectum, cui repugnant peccata venialia, esse infinitum; sed per Dei Domini nostri bonitatem venialia esse, condonarique aquâ benedictâ, & percussione pectoris cum displicentia.

212. Ad 8., ac priorem ejusdem partem: interrogationes nonnunquam possunt, ac debent fieri de venialibus, quia per ista deteguntur mortalia, ac poenitens ampliùs innotescit, magis-



magisque juvatur. Ad secundam octavæ interrogationis partem, majoris claritatis gratiâ dicebat Pater noster, Superioris interesse plurimum, singula quæque subditorum pernoscere, ut cuique pro suis necessitatibus provideat; ne videlicet impudiciâ tentatum, ignarus morbi ad ignem apponat, excipiendis nimirum mulierum confessionibus, &c.; & inobsequenti gubernaculum tribuat. Quod ut caveat, solet Pater noster quosdam sibi casus reservare, scilicet peccata omnia mortalia, vehementesque contra Societatis institutum, atque caput, tentationes, ut & inconstantia. Hisce perpensis, ac rebus, & ipsarum adjunctis cum animo consideratis, petere potest Confessarius facultatem eas Superiori manifestandi, cum hinc credibile sit, vexatum juvandum esse magis, quàm aliunde.

213. Ad 9.: ex octava intelligitur ad hanc nonam interrogationem responsio, Superiorem videlicet de omnibus omnino rebus, *etiam* præteritis, edocendum, malevolentia quidem nullâ intercedente, sed salvâ caritate, qua proximi sunt prosequendi. Ad 10.: circa priorem hujus interrogationis partem, an aliquem sis correcturus? Ut id benè facias, plurimum juvat & monentis autoritas, & amor ejusdem manifestus; quorum si desit alterutrum, deerit etiam correctionis fructus, seu emendatio. Quare non omnium est admonere: quacumque verò ratione id fiat (dummodo commonefactum emendatum iri judicaveris), omnino expedit, res ut apertè non dicas, sed quodam apto quæsito colore, & quasdam per ambages; aliud enim trahitur peccatum ex alio, ac ex eo fortasse quod jam est admissum, non erit animo comparatus ad correctionis opem pro re sua accipiendam. Ad posteriorem decimæ interrogationis partem, an scilicet patiaris decipi credentem, nullum subesse defectum? Id enimvero, agebat Pater noster, expedire, ut ipse in virtute progrediare; quò enim quisque magis alienos cogitabit defectus, eò minùs in se collectus ipse suos perpendet, minusquè proficiet. Qui verò se perfecit, motusque animi nimios ad ordinem moderatione redegerit, Domino etiam illum promovente, ut non sibi tantùm, sed aliis etiam consulat, poterit sanè peccantem admonere, ad eum planè modum, qui ad 12. exponetur.

214. Ad 11.: ut huic interrogationi satisfaceret, id planè dicebat Pater noster, quod primis olim Patribus dixerat, post-



quam professionem sex simul emisissent, eos scilicet duplici in re posse juvare ipsum animo suo perficiendo: primò proprià ipsorum perfectione; deinde, modo eum edocerent quidquid, ipsorum sententià, secundum Deum non esset; ita tamen, ut orationem admonitioni suæ præmitterent, cum autem idem coram Deo agnoscerent, ac judicarent, seorsum demum ipsum monerent: quod idem ipse nunc facit. Ut verò rectè id fiat, dicebat noster reverendus Pater, referre magnopere, a Superiore id mandari nonnullis subditis, seu Sacerdotibus, sive aliis probitate prælucentibus. Præterea qui solùm prodesse, aut proficere cupit, suum oportet deponat iudicium: cum verò re ipsa dicendum cuius est, quid ipse sentiat, primo se sistat coram Domino, ut cognoscat, atque constituat, quid sibi faciendum sit; ac tum demum Superiorem admoneat. Noster autem hîc Pater commonuit, permagni interesse, quempiam habere censorem (*Sindicum vocat*), qui Superiorem edoceat: unum item, vel duos Rectoris Vicarios, quorum alter subesset alteri, qui Rectorem juvarent: quo fieret, ut Rector multo melius quosvis adjuvaret; magisque a subditis amaretur, quippe ipsorum perfugium, quotiescunque se vexatos a Vicariis sentirent.

215. Ad 12. noster unum dicebat Pater valde mihi notabile, eo scilicet modo agi posse cum aliis, quo dæmon unumquemque ad malum tentat allicere; nempe in ejus irrepit animum, cui malum suadet, ac tandem evincit: quo pariter modo posse quempiam ejus quo cum agit, ingenio, ac propensionibus inservire, omnibus omnia factum in Domino, ut illud tandem extundat bonum, quod allaborat. Addebat hoc etiam noster reverendus Pater, ut a quopiam te expedias, cui te profuturum desperes, oportere cum illo acrius agere de inferno, de iudicio, & de aliis id genus; sic enim non revertet, sin revertit, credibile est, eum aliquid se motum a Domino sensisse. Ad 13. quod attinet, eorum, quibus uteris familiariter, ingeniis morem gere, lentis scilicet, cholericis, &c. moderatè tamen. Reliqua ex ipsis pendent rerum adjunctis, certè potiùs quàm istæc, quæ diximus. Finis. *Hactenus institutio maxima ex parte nondum edita, quæ superiori ejusdem argumenti epistolæ visa est adjungenda.*

216. *Bollandiani t. 7. Jul. p. 580. n. 889. ex P. Oliverio Manareo hæc*



*hæc produnt*: Neque minùs decori, & nitoris in sermonibus scriptis servabat, præsertim quando ad viros graves scribebat. Atque idem decorum a filiis servari desiderabat, & exigebat. Memimi me vidisse epistolam ad quemdam, qua ob litteras ad ipsum scriptas gravi admonitione illum feriebat, quòd lituris, & vitiis maculatas misisset. Ego (*inquit*) hac nocte expedio circiter triginta epistolas, quarum nulla est, quam semel, & iterum non recognoverim; quas autem manu mea scripsi, & scribere soleo ad viros graves, & quibus deferre debeo, bis aliquando, ac etiàm ter scribo, ne lituris, aut vitiis eas aspergam, vel inconcinnè, incongruenterque aliquid inseram. Harum litterarum exemplum vidi in quodam libello P. Francisci Palmii, bonæ memoriæ in Collegio Bononiensi, in quò libello aliquot litteræ B. Patris nostri exstabant. Hunc libellum in Collegio Bononiensi, & alibi, qua maximà potui diligentia, & meà, & aliorum operà frustrà conquisivi.

217. *De rhythmo Hispanico, vulgò Soneto, de amore Dei, quem plures inscriptum cum S. Ignatio Lojolæ, tum S. Francisco Xaverio, ediderunt; satis multa, vel etiam fortasse nimis dixisse me arbitrabar in epistolas S. Francisci Xaverii, editionis Bononiensis t. 2. a pag. 506. Ceterùm vir a doctrina, & humanitate singulari mihi carissimus, disceptatione mea perlecta, me admonuit, audivisse se a Præsule quodam Eminentissimo, eundem planè rhythmum a quibusdam adscribi Seraphicæ Virgini S. Teresiæ a Jesu. Quod mihi novum quidem certè, sed sanè mirum non accidit; cum longè sit facilius, rhythmum de amore Dei, qui a plerisque Hispanis Xaverio adjudicatur, S. Teresiæ affingi, quàm Xaverium ipsum Carmelitanà veste, ac insignibus ostentare graphicè depictum, ipsà licet meridianà luce, orbis Christiani consensu, ac certissimis ejusdem Xaverii testimoniis nequicquam reclamantibus. Nempe in hæc incidimus calamitosa tempora, quibus apertissimam quamque veritatem, ac ipsam etiam sanctissimam religionem per fas, ac nefas dementissimà temeritate contemptam, madentibus continuè oculis, deploremus. Tanta nunc est hominum multitudo, quos infamiæ suæ neque pudeat, neque tædeat: me tædet omninò, in re adeo perspicuà diutiùs immorari. Videsis plura in Xaverianis vindiciis t. 1. epistolarum pag. xxiv. Redeamus ad Ignatium.*

218. *Hispanicum rhythmum, S. Ignatio inscriptum, primus, quem sciam, edidit cum pari versione Italica Vigilus Nolarci (cui*  
*verum*



verum nomen, & agnomen Aloysius Carnoli) ad calcem vitæ S. Ignatii Lojolæ editione quarta Veneta anni 1687. Ubi admonuit Carnolius, nunquam fuisse dubitatum, quin rhythmus istius autor fuerit S. Ignatius, cum id a superiori sæculo constans traditio tenuerit, argumento ipso confirmata, quo animi sensus Ignatio familiæres, & proprii egregiè declarantur: constat etiam, Ignatium ab adolescentia poesi Castellana vacasse in Curia, ubi ea vigeat. Hinc anonymum impugnat, qui rhythmum in Germania sub alterius Sancti nomine Latine vulgaverat. Ast hunc, ait Carnolius, non apparet, fuisse unquam fundendis versibus delectatum; aut Castellanam caluisse linguam seu educatione, sive studio, sed potius Lusitanam longè cum illà gente consuetudine, quod vel ipsius literæ manifestant: porro lingua patria dispar omnino erat in utroque. Hactenus ille, in tomo etiam ipsius manu illustrato, & aucto, quem mihi commodavit vir Excellentissimus Pirithæus Malvezzius, qui pariter singulari religionis amore, ac liberalitate Xaverianis illis, & his Ignatianis edendis literis sumptum omnem suppeditavit. Jam verò in Carnoliana censurâ traditioni quidem, seu veteri, quam laudat, persuasioni facilè acquiesco; cætera ut non probem, ipsemet facit Xaverii literarum conspectus. Nam & ipsum vulgari poesi assuevisse in eodem plane argumento, docemur ejusdem epistolâ II. libri 2. n. 26.; & in Castellana lingua fuisse nitidum, ac disertum, apertè demonstrant cum plures Castellanae epistolæ, quas P. Franciscus Cutillas ex archetypis in lucem protulit, tum aliæ, quas ipse perspexi. Argumentum verò, de quo agitur, utriusque Sancto fuisse familiare, & ex dictis nuper, & ex vulgatissimis constat eorundem gestis. Patria denique lingua, quam Carnolius utriusque adtribuit communem, & Castellanae prorsus dissimilem Cantabricam nimirum, seu Vasconicam, multo familiarior est Lojolæis, quam Xaverianis, saltem multis abhinc annis: nam hujus primævæ linguæ usus quaqua-versus sensim contrahitur. Nobiliores certè, qui liberaliùs educantur, Castellanam linguam a pueris edocentur. Quæ cum ita sint, rhythmum controversum ita S. Ignatio concesserim, ut alium ejusdem argumenti, sed metri brevioris, & vulgari cantilenæ magis apti, Xaverio tribuam.

219. Hic citatâ in epistola II. ad usum, inquit, vulgaris cantus hoc habeant, quibus arriserit, illigatum numeris exercitium Divini amoris ab omni nostri respectu defæcati. Ut te colam



iam Deus meus, Non me movet terror tuæ Manus vibrantis fulmina . . Dignate pro nobis mori, Gratis merentem diligam. *Latina, quam mox subjicio rhythmi Hispanici versio edita est pro Xaveriana a P. Francisco Garzia in fine vitæ Hispanicæ S. Francisci Xaverii, ed. Matrit. an. 1676. Hæc eadem Latina versio, & Carnolianna Italica, simul eleganti formâ recusæ circumferuntur brevi pagellâ cum hac epigraphe: Atto di Amor di Dio di S. Francesco Saverio. Hispanicus textus prodiit etiam Mexici apud Riveram an. 1757. cum hac alia epigraphe: Acto de Contricion, que compuso S. Francisco Xavier. Hunc igitur ex editione antiquiore purum exhibeo, prætermisiss omnibus, quæ in Xaveriana editione ad calcem notantur, ut posteriùs commutata.*

*Hispanicus textus.*

220. No me mueve, mi Dios, para quererte  
El Cielo, que me tienes prometido:  
Ni me mueve el Infierno tan temido  
Para dexar por esso de ofenderte.

Tu me mueves, Señor; mueveme el verte  
Clavado en essa cruz, y escarnecido;  
Mueveme el ver tu cuerpo tan herido;  
Muevenme tus afrentas, y tu muerte.

Mueves me al tu amor en tal manera,  
Que aunque no hubiera Cielo, yo te amára;  
Y aunque no hubiera Infierno, te temiera.

No me tienes, que dar, porque te quiera;  
Que aunque quanto espero, no esperára,  
Lo mismo que te quiero, te quisiera.

*Latina versio.*

221. O Deus! Ego amo te,  
Nec amo te, ut salves me,  
Aut quia non amantes te  
Æterno punis igne.

Tu,



Tu, Tu mi Jesu, totum me  
 Amplexus es in cruce,  
 Tulisti clavos, lanceam,  
 Multamque ignominiam,  
 Innumeros dolores,  
 Sudores, & angores,  
 Ac mortem; & hæc propter me,  
 Ac pro me peccatore.  
 Cur igitur non amem te?  
 O Jesu amantissime!  
 Non ut in cœlo salves me,  
 Aut ne in æternum damnes me,  
 Nec præmii ullius spe,  
 Sed sicut amasti me,  
 Sic amo, & amabo te:  
 Solum quia Rex meus es,  
 Et solum quia Deus es. Amen.

222. Multum diuque dubitavi, anne deberet in hac appendi-  
 ce locum habere Hispanica epistola, quam ex celebri Florentino  
 codice transcripsi; cui titulus: Epistola Christi Domini nostri  
 ad animam piam de modo, qui superandis tentationibus spiri-  
 tualibus habendus ab ipsa est. Videbam enim doctrinam ejus  
 planè congruere Ignatianæ in epistolis ad Sacram Virginem Re-  
 gadellam; titulum verò, quem dixi, & literarum clausulam noto  
 Ignatii stilo non respondere. Sed placuit tandem viri doctissimi  
 consilium, arbitrantis utilem fore hanc eximiam epistolam illustran-  
 dis Ignatii literis, & doctrinis; quippe cum ab aliquo ejus di-  
 scipulo, magistri sui mentis probè conscio, videatur conscripta. In  
 codice quidem præmittitur Joannis Polanci epistolæ ad P. Joannem  
 Baptistam Violam; Polancus autem ob singularem doctrinam, pru-  
 dentiam, ac probitatem Ignatio carissimus, & a secretis, B. Pa-  
 tris sensuum in primis gnarus, & eisdem uberius explicandis in  
 re valde difficili, ac plenè periculi, videbatur aptissimus. En i-  
 taque epistolam ipsam, qua maxima potui fide in Latinum con-  
 versam.

223. Si quando tibi inciderint cogitationes impuræ, foedæ,  
 blasphemix, ac contra me, sanctosque meos perfidix, perge  
 porrò filia mea; noli continuò inde perturbata pusillum tibi  
 indue-



induere animum, nec curam habere ullam res ejusmodi confitendi, cum nullà eis animi deliberatione consenseris. Plus illæ habent in se tristitiæ, quàm delectationis; nec illas ipsa facis, sed pateris. Quapropter qui rectam habet intentionem, easdem nec confiteatur, nec pertimescat; non enim hanc iniquitatem ipse exspuit, cum ipsius non sit; sed in ipsum potiùs illa exspuitur. Quando anima sentire cogitur, & pectore suo volvere phantasias, & cogitationes contra me tales, ut scelestioribus etiam sint horrendæ, magna hinc illi quidem accedit tristitia; verùm id tibi afflictioni est, ut munderis, non ut inquineris. Cum videat dæmon, te ab omni re alienam me cupere, ac deperire, tuam pacem iis phantasiis turbare nititur, quæ videntur horribiles; atque tuam mecum conjunctionem impedire: quo itaque sanctius est tempus, & locus, & quo intensiùs meditandis rebus divinis incumbis, quo item perfectiùs id agis, ut mentem ad me erigas, mihi que jungaris, eo turpiùs, & importuniùs illæ obversantur animo phantasiæ, excitatæ a dæmone, vel a timore nostro pavido, & nimis cauto; cum enim quisquam pavescit, ac timet, id illicò sentit, quod pavescit, & timet: timor autem, atque animi debilitas movet, ac elicit ejus rei phantasias, quæ timetur. Has præterea cogitationes dæmon excitat, quo dum illis depellendis allaboras, in his occupata demoreris, ac distinearis, quin meum gustes amorem, & caritatem; aut quo ab ejusmodi rebus abjecta nimis animo, ad me accedere non audeas. Hæc dæmon efficit, quia te gaudet scrupulis, & perturbationibus involvi, ut tuam impediatur quietem, & animi tranquillitatem: tu verò hæc, quæso, ne aspicias, nec pertimescas, cave respondeas eisdem, aut repugnes, aut animum advertas, quin imo quasi nulla venisset in mentem phantasia, vel cogitatio mala, immota omnino in tuæ pietatis opere, & exercitatione persevera; ac per deridiculum, & irrisionem istas mitte deciduas, fluxasque turpitudines, uti canum latratus, & anserum crepitus, quibus nec respondendum est, nec repugnandum; quod si feceris, facile te ab eis expedies, & oblivione delebis. Sin contra niti volueris eisdem pro viribus resistendo, contendendo, timendo, respondendo, quasi pro reverentia auscultando, semperque discutiendo, altiùs tuæ illas memoriæ infiges, simulque te magnà involves perturbatione;



ne; non enim depugnando vincuntur, sed contemnendo. Finis. Credo, eum qui nos creavit, suumque sanguinem pro nobis fudit, & valde nos amat, id nos admonere, quo nobis est opus. Per Deum rogo, quantum possum, omnes, qui hæc legerint, ut ea maximopere in se referant; certum quippe habeo solatio fore maximo animabus suis, quas Dominus noster sanctas faxit in perfecto sui amore, & caritate. Amen. Amen.

224. Hæc habui, quæ illustrandis S. Ignatii literis, gestisque præmitterem; missis aliis, quæ literas ejusdem propius non attingunt, seu latentes, sive deperditas, quarum ad me ne notitia quidem pervenit. Video equidem longè plures ad me venisse cum sparsim editas, tum nondum vulgatas, quàm speraram; quibus amicorum diligentia, humanitas, liberalitas me sibi devinxit. Nec dubito, quin iis aliorum etiam acuatur pietas, & diligentia, ut quas viderint in hac prima editione desiderari, mecum communicent, quo auctior alia deinceps apparetur. Ego quidem, ut pro hac editione nec labori, nec inopiæ meæ peperci, ita pro nova auctiore a mea tenuitate quicquam, spero, desiderari non patiar. Plura me fateor latuisse loco & tempore, quibus elimatior & auctior hic præviis commentariis evaderet: quorum præcipua, quæ quidem Deo favente recordabor, vel ad calcem cujusque epistolæ, qua indicentur, vel sub finem conabor inter addenda recensere. Obscuriora quædam consultò prætermisi, ne nimium divinarem; nonnulla quædam timerem, ne obscuro & improbo labori par operæ pretium responderet; alia denique Horatiani memor præcepti: & quæ desperas tractata nitescere posse, relinquo. Ut plura non dissimulem insipientiæ meæ tribuenda; tametsi mihi sum conscius curasse me diligenter ab honestatis ac veritatis legibus non aberrare.





LIBER PRIMUS  
EPISTOLARUM  
S. IGNATII LOYOLÆ

Ab Anno 1532. ad 1543.

*Accedunt Card. Gasparis Contareni ad Ignatium literæ  
3. Sept. 1539. p. 13. supra; & Ignatii literarum ad  
Simonem Rodriguez pars maxima, plerisque  
integræ præstantior, a p. 33.*

EPISTOLA PRIMA.

Junio  
1532.

Martino Garziæ a Loyola.

*De diligendo Deo, & proximo propter Deum.*

**P**ropterea tibi non scribebam, quod nulla mihi ratione constaret, ane hinc Deo major gloria, honorque proveniret. Eatenus enim possum in hac vita quempiam diligere, quatenus illum adjuvare possum ut Deo serviat. Quoniam Deum toto corde non amat, qui rem aliquam non propter Deum amat, sed propter se. Plus Apostolos, quam inferiores Sanctos diligimus, quia enixius illi Domino servierunt, ardentiusque Deum Dominum nostrum dilexerunt. Nempe caritas, sine qua vitam assequi nemo potest, definitur amor, quo Dominum Deum nostrum propter se amamus, & reliqua omnia propter ipsum. Multum equidem cupio, ac plus etiam multo, ut verus hic amor sit in te, cognatis, & amicis. Hinc & te, & illos plus pariter diligerem, ac servirem; cum mea victoria & gloria mea in eo sit, ut servis Domini mei serviam.



*Junio* 1532. Hæc autem dico, scribo, ac moneo ex vero amore, corde sincero, & ingenuo. Ob reverentiam, & amorem, quem Domino Deo nostro debes, te rogo, ut in assequenda tibi cælesti gloria, & honore vires tuas omnes impendas; memoria item, ac nomine sempiterno apud Deum Dominum, qui nos judicabit. Non debes parcere cum eo agere, qui tecum in rebus istis adeo liberaliter se gessit. Hoc te iterum ob amorem Domini nostri Jesu Christi sic rogo, ut majori studio rogare non possim; serio contendas velim non cogitare solum hæc omnia, sed velle etiam, & agere; volenti enim nihil difficile, ex his maxime, quæ fiunt propter Dominum nostrum Jesum Christum.

*Omnium bonorum pauper  
Ignatius.*

EPISTOLA II.

12.  
*Febr.*  
1536.

Archidiacono Barcinonensi (Jacobus) Cazador.

*Archidiaconum laudat, gratum se prodit, de addiscentibus bene sperare jubet; multa de Domino Claret, de pia quadam femina, & de Barcinonensi S. Claræ Monasterio.*

*Foris.* Meo in Christo Domino nostro fratri Archidiacono Cazador. Barcinonem.

Jesus.

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit nobis semper favore, & auxilio.

1. **C**um epistolam tua manu scriptam die 5. Januarii, perlegissem, illa me tum gaudio, tum gravi affecit dolore; in ea enim videbam res adeo adversas, & repugnantes, ut me diversis, contrariisque motibus agita-



agitarent. Gaudeo equidem, cum tam bonum, tibi a Deo Domino nostro donatum, zelum video, quo aliorum doles dolorem, ægrotis non modo corporibus, sed animis etiam maximè laborantium. Doleo autem acerba illa infortunia, quæ tuâ mihi epistola perscribis; in qua mihi videntur esse quinque, vel sex argumenta, quibus respondere debeam. Itaque a vilioribus incipiam, quæ animorum nostrorum sitim minus extinguunt; ne in extremo nobis adhærescat sapor eorum & gustus, quæ ad æternam nostram salutem minus conferant.

12.

Febr.

1536.

2. Primum: ais, solitam a te portionem non futuram. Solùm te monui acceptis Elisabethæ Roser literis, eam mihi absolvendis meis literarum studiis in Aprilem proximum provisuram. Quod equidem factu putarim fore optimum, ut in totum possim mihi annum providere cum de libris quibusdam, tum de rebus aliis necessariis. Interea, quanquam annona hîc cara est, meaque nunc valetudo impar est egestati ferendæ, corporisque sustinendis laboribus, præter eos quos literarum studia secum ferunt, sum equidem abunde rebus omnibus instructus: quandoquidem Elisabetha Roser id egit, ut duodecim scutati numi suo hîc mihi nomine darentur, præter alia dona & eleemosynam, quæ istinc mihi ob amorem & obsequium Dei Domini nostri submisistis; qui, ut spero, abunde vobis omnia retribuet, non ea solum quæ in me confertis, sed curam etiam singularem, quam in egestatem meam adhibetis. Hac enim non video parentes in liberos majorem habere posse. Diebus ante festa Domini Natalitia quindecim, septem Bononiæ decubui dies e dolore stomachi, a frigore, a febribus. Venetias itaque venire constitui; ubi dego jam sesquimensum, longe meliori valetudine, in societate ac domo viri cujusdam valde docti & probi, ut mihi videar melius esse non posse.

3. Secundum: quod tres sobrinos rescivi abesse Marable, non me valde commovit, quanquam aliquid præterea nosse vellem, quod & me spero propediem sciturum; amico enim meo Lutetiam Parisiorum scripsi, ut eos conveniret, meoque nomine salutaret. Dixi, me



12. *non commotum*; quòd illi, ni fallor, verecundi sunt, & Febr. hominum judicia præ se ferunt, speciemque virorum: 1536. quare arbitror, eos, quocumque modo se habeant, honestatis ac famæ suæ rationem habituros. Certe quamdiu ibidem fui, videbam Lossadam aliorum duorum se grandiorum, ac præsertim Jacobi exemplo, sedatiùs se gerere. Quos equidem officiis suis functuros spero in Deo Domino nostro; cui utinam placeat propter æternam summamque ipsius bonitatem eosdem semper manu sua perducere.

4. Tertium: ut ipse me rogasti, & in vero Domino nostro mandasti, de Sacerdotis Claret ægritudine, sic ad eundem scribendum putavi. Et quoniam reliqua in ea videbis epistola, in hac unum mihi superest dicendum: nimirum me operam tuam percupere, qua eum adjuves ad internam suam salutem procurandam, & reliqua hujus vitæ Dei munera disponenda; etenim, ut arbitror, nullius illi consilium magis probabitur. Namque si liberos non habeat, nec alios ita necessarios, quibus lege teneatur sua bona relinquere; videtur (quod ego quidem non dubito) fore optimum, sanissimumque consilium, illi ea reddere, a quo omnia acceperit; nempe communi nostro Datori, Gubernatori, ac Domino, in causas pias, justas, & sanctas: meliùs autem dum vixerit, quæ potuerit. Namque ego illud assentiri non possum, ut quisquam alteri bona sua relinquat ad alendos equos, canes, venatus, honores, gloriam, fastusque mundanos. S. Gregorius \* duos inter alios perfectionis gradus constituit: unum, cum quis suis omnibus in consanguineos cognatosque distribuit, Christum Dominum nostrum sequitur; alterum vocat majorem, cum eadem pauperibus tribuendo relinquit, *juxta illud: \*\* Si vis perfectus esse &c.* Verum intelligo melius esse dare pauperibus, quando par non est indigentia propinquorum, & alienorum pauperum: ubi enim *cætera paria* domesticos debeo extraneis anteferre.

5. Quartum: desiderium quod ipse manifestas me  
istic

\* In Ezechiel. lib. 2. hom. 8. n. 4.    \*\* Matth. 19. v. 21.



istic videndi palam concionantem, idem porrò mihi & inest, & inhærescit. Non quod eam in me sentiam gloriam, qua faciam quæ alii non possunt, eove veniendi, quò ceteri non attingunt; sed ut populo exponam tanquam e minimis unus argumenta maximè intellectu facilia, & plana, & levia, a Deo Domino nostro sperans ipsum, ubi minora sectabor, suam adhibiturum gratiam, ut possim quodammodo prodesse ad debitum ejusdem obsequium laudemque promovendam. Quam ob rem absoluto literarum curriculo (lapso nempe anno a præsentis Quadragesima) spero me ad divinum verbum prædicandum altero anno non hæsurum in ullo totius Hispaniæ oppido, quin priùs istic, quod ambo cupimus, nos invicem videamus: existimo enim, nec dubito quin populo isti Barcinonensi plus officiorum debeam, quàm ulli cuiquam terrarum orbis. Sunt tamen hæc intelligenda, *clave non errante*, nisi mihi Deus Dominus noster alia probrosa magis & laboriosa extra Hispaniam dederit: quod mihi neutrum certum est, certo licet concionandi semper in paupertate, depositis tamen curis & impedimentis, quibus nunc teneor in literarum studio. Sed utut erit, in hujus dicti mei argumentum studiis meis absolutis istuc continuò mittam, quos habeo pauculos, & quos habuero libros; sic etenim promisi Elisabethæ Roser illos me ipsi missurum.

6. Quintum: narras, ad Religiosam te mulierem scripsisse, desiderasque nostrum apud eam conspectum, ratus ex illa nobis consuetudine gaudendum fore. Equidem certum habeo; mihi que generalis est regula, quoties aliquem (quamvis flagitiosum) convenio, ut cum eodem de rebus Dei Domini nostri agam, me nimirum lucrum inde reportare, ac in me fructum agnoscere. Quanto magis cum eis utar Dei servis, ab ipso Deo Domino nostro delectis, ego plane lucrari debeo, & magnam quidem partem in omnibus? Enimvero cum primum de illa Doctor Castro me docuit, tuaque manu illam duci rescivi, eandem singulari semper affectu sum prosecutus, Deum Dominum nostrum ob ea laudans, quæ in ipsam confert seu operatur: a quo etiam  
spero

12.  
Febr.  
1536.



12. spero (si modo ipsi majus inde obsequium proveniat & Febr. gloria, nobisque major utilitas) propediem nos con-  
1536. junget.

7. Sextum: quod ea vero attinet, quæ mihi de Sanctæ Claræ Monasterio scribis; ego quidem Christianum non puto eum, cujus totum non transfigant animum solà etiam mente concepta tanta illa in obsequio Dei Domini nostri detrimenta. Non tanti facio mentem uni dumtaxat judiciumque defuisse, quanti nocumentum quod in plures alias redundat, ac in alias etiam, quæ divino servitio possent incumbere. Nam quæ nostra miseria est, cum tanta nobis insit difficultas in vincendis nobismetipsis, in quo quidem maximum subest emolumentum; levis etiam occasio nobis sufficit, ut omnia in nobis conturbet. Enimvero percuperem Monialibus istis interesse, si quidem aliqua via possem penetrare fundamenta ipsa suarum exercitationum, & institutorum; illius præsertim, quæ tanto subest angori atque periculo. Nam ego facile non possum credere, quenquam mundanas voluptates consectantem, vel Deo Domino nostro minus deditum, cum sui plane compos Domino nostro magis servire studet, eidemque adhærescere, ab ipso ideo permitti, ut in tantum desperationis casum delabatur. Ego qui humana sum pressus infirmitate, si quisquam me quæreret, ut mihi serviret, meque majore prosequeretur amore; non eum sinerem in tantam ruere calamitatem; quanto magis Deus Dominus noster, qui cum divinum sit numen, humanam voluit formam induere, ac solùm pro nostra omnium salute mortem subire? Itaque mihi persuadere non possum, propterea quod animo in res divinas incumberet; quin alia vel interna, vel futura subesset causa, in tantum supplicium, tantumque malum incidisse. Quando quidem Dei Domini nostri est mentem dare, non demere; uti etiam spem, non autem diffidentiam.

8. Dixi, *quin causa subesset interna*; potuit enim ejus anima, dum exercitiis vacabat, infecta esse peccato: sunt autem quædam peccata tot artibus seu dolis affecta, ut numerari non posse videantur. Potuit etiam

exer-



exercitia ipsa modo non sano peragere; sæpe enim de- 12.  
cipimur specie recti. Itaque, cum in ea persona bo- Febr.  
num & malum non cohærent, nec gratia & pecca- 1536.  
tum, multum sanè poterat inimicus. Dixi etiam, *vel  
futura subesset causa*: cum enim Deus Dominus noster  
omnibus rebus ordinem, pondus, ac mensuram adhi-  
buerit; fieri potest, ut viderit Dominus, eam, quam-  
vis tunc esset in gratia, acceptis tamen muneribus &  
gratiis non probè ac utiliter usuram; deficiente vero  
animi constantia in graviora lapsuram peccata, & tan-  
dem perituram: Dominus autem noster benignissimus,  
tenue istud obsequium remuneraturus, permiserit, eam  
ita terroribus, assiduisque tentationibus agitari, ut sem-  
per ejusdem ruinam præpediret. Namque semper debe-  
mus de mundi Domino existimare, quidquid in rationa-  
libus agit animabus, totum porro agere seu ad mayo-  
rem nobis gloriam conferendam, sive ut minus im-  
probi simus; neque enim ad alia utenda idoneos nos  
invenit.

9. *Tandem*, cum & fundamenta nos lateant & cau-  
sæ, de effectis constituere seu effectus definire non  
possumus. Est autem nobis semper utilissimum, non  
solum amando vivere, sed etiam timorem colere, sa-  
nissimum. Sunt enim Dei judicia in omni re abyssus  
multa, *in cuius voluntate non est quærenda ratio*. Unum  
nobis est reliquum, ut lugeamus scilicet, atque ore-  
mus, ut majorem conscientiaë illius, & ceterarum om-  
nium salutem impetremus. Ita sanè faxit divina volun-  
tas; nec hosti permittat humanæ naturæ, ut tantam  
ab eis victoriam referat; quas pretiosissimo suo San-  
guine tam caro emit, ac plane redemit: quem denique  
rogo pro infinita sua bonitate, ut gratiam nobis donet  
abundantem, ut sanctissimam ipsius voluntatem & co-  
gnoscamus, & perfectè exequamur. Venetiis die 12.  
Febr. 1536.

*Bonitatis pauper*

*Yñigus.*



18.  
Jun.  
1536.

## EPISTOLA III. \*

Moniali Regadellæ.

*De falsa quadam humilitate, variisque diaboli  
terriculamentis & artibus: eximia Christia-  
næ prudentiæ documenta.*

Meæ in Christo Domino nostro Sorori Moniali  
Regadellæ.

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit  
nobis semper favore & auxilio.

I. **A** ccepta diebus præteritis quædam tua epistola gau-  
dio me affecit in Domino, cui servis quidem,  
ampliusque servire desideras, ac bona omnia, quæ in  
rebus creatis apparent, tribuere debemus. Ut in tua  
dicit, fore ut me \*\* Carceres de rebus tuis uberrime  
doceret, ita sanè fecit; ac non de illis dumtaxat, sed  
de rationibus etiam subsidiariis atque consilio, quæ tibi  
ad illarum singulas suppeditabat. Si vera mihi narrat,  
sanè quod scribam aliud non occurrit; quanquam mal-  
lem tuis doceri literis, cum nemo alius affectiones ani-  
mi cujusque proprias æque valeat manifestare, atque  
affectus eisdem. Rogas, ut te propter Dei Domini no-  
stri amorem in meam curam suscipiam. Certe a multis  
annis Divina Majestas sine ullo meo merito magna mihi  
donat desideria quacumque possim ratione placendi in  
bonum seu viris, sive feminis universis, divinam bene-  
volentiam consecrantibus; quin & illis serviendi, qui  
in ob-

\* In tabulario Collegii nostri Complutensis duæ apographa ad-  
servantur epistola, quas S. Ignatius scripsit Religiosa Moniali Re-  
gadella; quam conjicio degisse tunc Barcinone, fuisseque piam il-  
lam mulierem, de qua in epistola ad Archidiaconum Cazador num. 6.  
Hactenus Alcazar: Bartolius eandem præcise appellat Religiosam  
Barcinonensem.

\*\* Forte Cazeres.



in obsequiis ipsi debitis allaborant: et quia non dubito, quin ex illis & ipsa sis, vellem ibi esse, ubi possem hæc verba operibus repræsentare. Vehementer etiam me rogas, ut quæ Dominus mihi dederit, tibi scribam, præcisumque meum consilium seu sententiam tibi aperiam. Dicam igitur quæ in Domino sentio, ductus optima sanè voluntate. Si qua vero in re videbor asperior; in eos potiùs id agam, qui te perturbare nituntur, quàm contra te.

2. In duobus errare te faciunt; non ita tamen, ut in eam propellaris culpam, quæ a Deo ac Domino tuo te sejungat; sed quæ te perturbet, & a majori Dei obsequio, majorique tua pace te avocet. Primum illud est; quod te ad falsam quandam humilitatem ducit, ac protrahit: secundum tibi summum adducit timorem, quo nimium teneris, & occuparis. Ad primum quod attinet; cum volentibus, & incipientibus Deo Domino nostro servire, communem hanc tenet inimicus rationem agendi, impedimenta videlicet objiciendo, & obstacula; quod primum est telum, quo ferire intendit. Quasi diceret: itane vives totam vitam, usque adeo austeram, quin utaris propinquis, amicis, possessionibus; atque in tanta solitudine sine tantilla requie? Alià enimvero via & ratione absque tantis periculis salvus esse potes. In aurem præterea nostram insusurrat, vitam a nobis in susceptis laboribus tam longam esse ducendam, ut nulla longior; nempe dissimulatis solatiis, & oblectamentis maximis, quæ solet Dominus eisdem tribuere.

3. Quod si novitius Domini servus omnia isthæc abrumpat obstacula, patique potiùs cum suo Creatore Dominoque constituat: hostis continuò alterum intendit telum; jactantiam scilicet, seu vanam gloriam; eidem significando, magnam ipsi probitatem inesse, vel sanctitatem, ipsum videlicet in altiori, quam mereatur, gradu collocando. Si Domini servus hoc telum repellet, se se humillimum demittendo, atque minime asseriendo se talem, qualem hostis indicat: tertium producit telum, falsam humilitatem; cum scilicet servum



18. Domini videt ita probum & humilem, ut cum fecerit  
*Jun.* omnia, quæ Dominus præcepit, se tamen existimat pla-  
 1536. nè inutilem, proprias contuens infirmitates, gloriam nul-  
 lam; tunc demum illi significat, si quid loquatur de  
 donis a Deo Domino nostro acceptis, seu in gestis,  
 sive in desideriis atque tacitis consiliis, peccare se alio  
 vanæ gloriæ genere, quia in propriam loquitur commen-  
 dationem. Ita vero intendit, ut de bonis a Domino suo  
 acceptis non loquatur, ne quicquam in se boni, nec  
 in aliis promoveat; \* ac de alienis etiam taceat, si par  
 inde oriatur sui commendatio, putetque alios facile sibi cre-  
 dituros, & profecturos in melius. Cum ergo nos videt  
 humiles, conatur nos trahere in falsam humilitatem;  
 nimiam scilicet, ac vitiosam.

4. Cui rei præclaro sunt testimonio verba tua. Nar-  
 ratis enim quibusdam fragilitatibus atque timoribus, qui  
 huc spectant; ais: *Sum enim vero misera religiosa, quæ  
 mihi desiderare videor servire Christo Domino nostro. Quin  
 dicere audeas: Desidero servire Christo Domino nostro;  
 vel Dominus mihi dat desideria sibi serviendi: ais tan-  
 tum: Desiderare mihi videor; seu Cupida mihi videor. Si  
 recte cogites, desideria illa Christo Domino nostro ser-  
 viendi non a te sunt; sed a Domino donata: quare di-  
 cens: Dominus mihi magna dat desideria ipsi serviendi;  
 ipsum Dominum laudas. Namque donum ipsius prædi-  
 cas; & in ipso, non in te, gloriaris; siquidem tibi ipsi  
 gratiam illam non attribuis \*\*.* Omnia itaque debemus  
 animo circumspicere: ac si hostis nos efferat; ipsi nos  
 demittamus, peccata nostra miseriasque memorantes:  
 si vero nos demittat, ac deprimat; nos erigamus vera  
 fide

\* *Subjicio verba Hispanica hujus periodi, quæ mihi non vide-  
 tur ex autographo accuratè descripta, cujus proinde interpretationi  
 non planè acquiesco; sunt autem hæc verba: y de los otros, si  
 halla tal aprecio, y creyendo serán credulos, y aprovechados.*

\*\* *Multis hoc probat V. P. Nicol. Lancicius opusc. 8. de humi-  
 litate quærenda cap. 6. a n. 56., Ubi demonstrat sine magna te-  
 meritate negari non posse, non esse contra humilitatem cognosce-  
 re in se Dei dona, etiam maxima, etiam miraculosa, .. Videndum  
 etiam ibidem cap. x. An manifestatio Dei donorum, sit in eo,  
 qui illa aliis manifestat, contraria humilitati.*



fide & spe in Domino, accepta beneficia recensentes, 18.  
 quantoque nos expectet amore & voluntate, ut salvos Jun.  
 nos faciat. Nempe hostis non curat, verane an falsa 1536.  
 loquatur, modo nos vincat. Jam vero diligenter per-  
 pende, Sanctos Martyres, coram iudicibus idololatriis  
 constitutos, se Christi servos esse dicere consuevisse.  
 Tu itaque coram hoste generis humani constituta, at-  
 que adeo ab ipso tentata, cum volet tibi a Domino do-  
 natas vires eripere, teque suis insidiis & fraudibus tam  
 imbecillem, tamque timidam reddere; non audeas di-  
 cere, te cupidam esse Domino tuo serviendi? Imo ve-  
 ro dicere debes, atque intrepide fateri, esse te servam  
 ipsius, & famulam; ac mori te potius velle, quam ab  
 ejusdem obsequio discedere. Si justitiam ille repræsen-  
 tet; ego subito misericordiam: si misericordiam ille;  
 ego contra justitiam. Hac ratione procedamus oportet,  
 ne perturbemur, & ut derisor abscedat derisus, in-  
 hærentes illi sacræ scripturæ testimonio dicentis: \*  
*Attende ne seductus in stultitiam humiliaris: Noli esse  
 humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam se-  
 ducaris.*

5. Nunc de secundo: cum hostis nobis nimium  
 quendam timorem falsæque humilitatis umbram ingesse-  
 rit, ne vel de rebus bonis, sanctis, & utilibus loqua-  
 mur; alium mox producit timorem longè deteriorem;  
 nos nimirum esse a Domino nostro sejunctos, segrega-  
 tos, atque depulsos \*\*. Id quod magnam partem iis, quæ  
 nunc posui, est consequens. Ut enim victoriam primo  
 timore reportaverit, prona suboritur ipsi facilitas nos  
 hoc altero tentandi. Cui rei, aliqua ex parte declara-  
 tæ, aliam addam rationem seu viam, quam tenet ini-  
 micus. Si quem invenit laxæ conscientiæ, qui peccata  
 non perpendat; summis contendit viribus, ut leve pec-  
 catum in nihilum abeat, grave in leve, gravissimum  
 in modicum. Abutitur nimirum defectu, quem in nobis  
 invenit; conscientia scilicet nimis laxa.

6. Si

\* Eccli. 13. v. 10.

\*\* Egregiè hac de re Lancicius cit. c. 6. n. 58.



18. *Jun.* 6. Si *contra*, quempiam offendat subtilioris conscientia, qui pro sua subtilitate vitio laboret: videns eum non solum a se depellere peccata mortifera, & levia quæ potest; sed conari etiam abigere speciem omnem minutæ culpæ, levis defectus, & vitii: tunc studet intricas conscientiam illam conjicere, eandem turbando, peccatum obtexendo quod nullum est; & ut imperfectum quod vere perfectum est repræsentando; ut profligare nos possit, disturbare, torquere. Atque ubi sæpe non potest peccatum inferre, sed ne posse quidem sperat; dat sanè operam ut discruciet.

7. Ut aliquanto amplius timoris causam declarem, breviter agam de duobus lectionibus, quas solet Dominus dare, & permittere. Ea quam dat, interior est consolatio, quæ turbationem omnem depellit; & ad omnigenum Domini amorem perducit: qua consolatione quosdam illuminat, aliis secretiora multa revelat, atque alia ultra. Hac divina tandem consolatione omnes ærumnæ in voluptatem se vertunt, labores omnes in requiem. Hoc fervore, calore, & interiore consolatione procedenti nullum est tam grave onus, quod non vertatur in leve; nec austeritas ulla, laborve ullus tam magnus, ut plane suavis non sit. Hæc nobis monstrat, aperitque sequendorum a nobis, & contra fugiendorum viam. Hæc nobis non semper adest; semper tamen, ex ordine divino, statis suis temporibus procedit, atque id totum commodo nostro. Hac verò cessante consolatione, altera continuo lectio succedit; nempe inimicus noster antiquus, qui omnia nobis opponit impedimenta, quæ potest, ut nos ab inceptis avertat; ac ita nos vexat, omnimode contra primam lectionem, injectâ sæpius tristitiâ, ut plane non capiamus nec cogitare quidem possimus quam ob rem mœreamus; nec ullo pietatis sensu orare possumus & contemplari; sed ne loqui quidem vel audire de rebus Dei Domini nostri cum sapore gustuve interiore. Præterea, si nos imbecillos esse videt, adventitiisque hisce cogitationibus valde obnoxios seu demissos; ita nos cogitare facit, quasi nostri omnino fuisset oblitus Deus Dominus noster;  
hinc



hinc arbitramur, nos esse a Domino nostro planè se- 18.  
paratos; quidquid verò egerimus, seu agere volueri- Jun.  
mus, nullius esse momenti. Hac ratione conatur in sum- 1536.  
mam nos diffidentiam pertrahere, atque inde procedere  
perspiciemus nimium nostrum timorem, & animi deje-  
ctionem; dum nimirum misérias nostras nimis cogita-  
tione revolvimus, nosque ad fallaces hostis susurros adeo  
demittimus. Quare debet, qui certat, observare, ut si  
consolatio adest, nos humiles demittamus & deprimamus,  
nobiscum cogitantes probationem confestim affore  
tentationis: obortà verò tentatione, obscuritate,  
vel mœstitia; eamus contra, nullum ejus sapor-  
em admittentes; sed patienter consolationem Domini  
expectantes: quæ turbationes ac tenebras omnes ex-  
pellet.

8. Superest dicendum, cum afflatu Dei Domini nostri  
agitamur, qua id ratione sit a nobis dignoscendum,  
ac probè cognitum ad commoda nostra vertendum. Usu  
venit, ut sæpe Dominus noster moveat cogatque ani-  
mam nostram ad hanc vel illam operationem, animam  
ipsam aperiens, id est, sine ullo vocum strepitu intra  
eam loquens, totamque ad divinum suum elevans amo-  
rem, quin nos possimus, etsi vellemus, ejusdem in ani-  
mum commotioni resistere. Opus est autem, ut sensa,  
quæ a Deo habemus, omnino congruant mandatis seu  
præceptis Ecclesiæ, debitæque ad majores nostros obe-  
dientiæ: & sane omnimoda complent animum demissione,  
quia idem ubique est divinus spiritus.

9. Ceterum multoties illudi possumus post acceptam  
consolationem, seu afflatum; ut enim gaudet tunc ani-  
mus, accedit inimicus, totus in hilaritate, bonoque in  
odore, ut de suo iis addamus sensis, quæ a Deo Do-  
mino nostro accepimus, quò tandem nos in turbatio-  
nem, mœstitiamque inducat omnimodam. Aliàs idem  
nos movet ad acceptam lectionem minuendam, obsta-  
cula nobis objiciens & impedimenta, ne perfectè om-  
nia, quæ mandata sunt nobis, exequamur. Hîc enim-  
vero major quàm in ceteris rebus omnibus cautela ne-  
cessaria est: cum sæpe magnam de rebus Dei Domini  
nostri



18. nostri loquendi cupidinem cohibendo, tum etiam contra  
*Jun.* plus loquendo quam velimus, vel certe libere nobis  
 1536. sentimus. In his enim habenda magis ratio utilitatis  
 alienæ, quam propriæ voluntatis seu libidinis; nempe  
 cum hostis id agit, ut augeat, vel minuat sensa bona  
 suscepta. Ut sic prodesse aliis conemur, quasi vadum  
 tentantes: si vadum offendas bonum, viam, vel spem  
 fructus; perge porrò: quod si turbatum est vadum,  
 & bona etiam verba offenderint, frænis utere; tem-  
 pus videlicet captans & horam loquendi quam maxime  
 idoneam. Argumenta sunt tacta, quæ hîc scribi non  
 possunt; vel non nisi sermone longissimo; sed hoc etiam  
 habito, & maxime literis, plura superessent; quæ po-  
 tiùs sentienda essent, quam declaranda.

10. Spero, si Domino nostro ita placet, te citò  
 istic videre, ubi poterimus secretiora quædam rimari.  
 Interea, quoniam Castro\* propior tibi est; e re fore  
 arbitror, ut per literas cum eo agas. Unde nullum de-  
 trimentum, commodum quidem potest aliquod exoriri.  
 Adde quod, attentius te circumspectà, invenies, te  
 olim, cum peccatis magis intricabaris, ac Domino tuo  
 servire minus studebas, non ita fuisse tentatam, nec  
 perturbatam ab illo serpente, qui nos semper turbare  
 conatur: quia vestra illa opera sibi placebant, hæc ve-  
 rò nunc bona displicent. Et quoniam mihi ais; ut om-  
 nino scribam tibi quæ in Domino sentio; dico te fore  
 beatam, si servare scies, quod habes. Rogo denique  
 Sanctissimam Trinitatem, ut pro infinita, summaque  
 sua bonitate, copiosam nobis det gratiam ad sanctis-  
 simam ipsius voluntatem agnoscendam, & perfectè exe-  
 quendam.

Venetis 18. Junii 1536.

Ignatius.

EPI-

\* Castro hic mihi est ignotus; vix enim adduci possum, ut  
 credam illum D. Joannem de Castro Toletanum, olim Parisiis I-  
 gnatii magistrum, quem precedenti an. 1535. in Cartusia Vallis  
 Christi Diœc. Segobric. aliquot mensium tironem de Societate Jesu  
 a se condenda consuluerat, ut fusè Bell. t. 7. Jul. a p. 447.



## EPISTOLA IV.

II.  
Sept.  
1536.

Eidem Moniali Regadellæ.

*De consiliis, meditationum effectis, & cura valetudinis.*

Jesus.

Gratia, & amor Christi Domini nostri adsit  
nobis semper favore, & auxilio.

1. **B**inas a te literas accepi diversis vicibus; quarum primis dedi responsum, ut mihi quidem videtur, bene longum, quod te jam accepisse oporteret. Secundis eadem mihi narras, quæ primis; *demptis* nonnullis verbis, quibus solis breviter respondebo. Ipsa, ut ais, tantam in te agnoscis ignorantiam, & imbecillitatem, &c.; quod est multum cognoscere; & tua quidem sententia id fieri ac promoveri a multis sententiis seu consiliis, in quibus pauca præcisa. Equidem tecum sentio: qui parum definiat, parum intelligere, ac minus adjuvare. Dominus autem qui videt, idem opitulatur. Omnis meditatio, in qua mens laborat, fatigat corpus. Ordinatæ aliæ meditationes, & insolitæ, quæ sunt menti placidæ, nec interioribus animi facultatibus laboriosæ, quæ sine interiori, sive exteriori conatu fiunt, corpus non fatigant. sed allevant potius & fovent; nisi duo intercedant. Primum, quando tibi subtrahitur necessarius naturæ cibus, & relaxatio corpori necessaria. *Cibus*, inquam, ut si quis illis intentus meditationibus non meminit statis horis ad vivendum necessariis corpus alere & sustentare. *Relaxationem* voco (sed piam), ut si menti permittas pro arbitrio discurrere per bona quævis, & indifferentia; modo ne prava.

2. Secundum: multis orationi vel contemplationi deditis contingit, ut ante cubitum intellectu nimis ab exercitatione fatigato, nequeant deinceps somnum capere, mente nimirum eisdem assidue occupata, quæ



11. prius versarat, & præsignarat: ubi adversarius magno-  
*Sept.* pere studet plura tunc adducere bona, ut corpus de-  
 1536. tracto somno fatiscat: quod est omnino vitandum. Po-  
 teris quidem multa facere sano corpore: ægro autem  
 corpore quid possis? Bonum corpus maxime juvat ad  
 multa facienda seu mala, sive bona: multa mala in iis,  
 quibus corrupta inest voluntas, & habitus pravi; bona  
 multa in eis, qui totam habent voluntatem erga Deum  
 Dominum nostrum propensam, & bonis habitibus as-  
 suetam. Nisi verò scirem, quales sint meditationes, vel  
 exercitia, & in quantum tempus ad ea te sim horta-  
 tus, quæ \* *Carceres* tibi dixit; ego quidem plane dicere  
 non possem plus quam alià tibi scripsi.

3. Nunc vero iterum confirmo ipse, in primis, ut  
 tecum sentias, amari te a Domino tuo (quod ego non  
 dubito), eodemque ipsi amore respondeas, neglectis  
 omnino cogitationibus pravis, turpibus, seu libidinosi,  
 imbecillitatibus, vel animi langoribus, quibus sane tua  
 voluntas adversatur: ne quid enim hujusmodi vel omni-  
 no, vel ex parte subiret, ne ipsi quidem Sancti Petrus,  
 & Paulus unquam impetrarunt. Quanquam autem non  
 quidem omnia, multa tamen contemptu curantur. Ut  
 enim propter bona bonorum Angelorum opera non sal-  
 vabor, ita nec damnabor propter malas cogitationes,  
 & vitia, quæ Angeli mali, mundus, & caro mihi ex-  
 hibent. Animam meam solam vult Deus Dominus no-  
 ster divinæ suæ majestati consentientem, anima verò  
 ita consentiens facit ut corpus (velit nolit) ad divi-  
 nam ipsius voluntatem se conformet; in quo maximum  
 nostrum positum est certamen, & benigna æternæ sum-  
 mæque bonitatis voluntas: quæ faxit pro infinita sua  
 benignitate & gratia, ut sua nos semper manu diri-  
 gamur.

Venetiis 11. Septembris 1536.

*Ignatius.*

E.P.I.

\* *Forte Cazeres.*



## EPISTOLA V.

16.

M. Emmanueli Mionæ.

Nov.

1536.

*Cohortatio, & commendatio Exercitiorum.*Meo in Christo Domino nostro fratri, Magistro  
Mionæ. Parisios,

Foris.

Jesus.

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit nobis  
semper favore & auxilio.

Intus.

(1) **M**agnopere aedo cognoscere quemadmodum res tibi processerit: nequē id sane mirum, cum tantum tibi in re pietatis, nempe ut Parenti spiritali filius, debeam. Cujus etiam egregio amori, tamque prolixæ voluntati, quam in me habuisti semper, ac re ipsa comprobasti, cum æquum sit, ut respondeam, (2) cumquē nihil in hac vita norim, quo tibi aliquam gratiæ partem referam, nisi procurando, ut ad mensem Spiritalia Exercitia suscipias ab eo, quem nominavi; atque adeo ipse facturum te recepisti: te precor ad obsequium Dei Domini nostri id si expertus es & probasti, ad me perscribas; sin autem expertus nondum es, per ejusdem amorem, & acerbissimam mortem, quam causa nostra obiit, peto, quæsoque, ut in ea te des. Tum vero, si te facti pœnituerit, præterquam quod nullam pœnam recuso, putato me planum, & irrisorem (3) spiritalium personarum, quibus omnia debeo.

I i 2

Quo-

(1) Orlandini versio aucta initio, sine, medio, cum ex Bartolio lib. 1. n. 16., & Carnolio c. 6., tum maxime ex autographo Hispano sapius dem recusso, ac denuo recognito.

(2) Autogr. Hisp.: y como yo hoy en esta vida no sepa en que alguna centella os pueda satisfacer que proveheros por de un mes en egercicios espirituales con la persona que os nombre, y aun me ofrecisteis de lo hacer. Ubi Alcazar illud: proveheros por de un mes, legit poneros por un mes; alii alia.

(3) Autogr. & Alcazar: burlador de las personas espirituales, a quien debo todo; versiones Itala, Ingannator di persona, a cui tanto devo.



16. Quoniam pro omnibus uni scripsi, ad te nihil adhuc  
 Nov. literarum propriè dedi: ex Fabro itaque, atque ex iis  
 1536. literis, quas ad illum scripsi, poteris mea, quæ voles,  
 omnia cognoscere. Iterum, atque iterum, & quoties  
 valeo, ob Dei Domini nostri obsequium id ipsum flagi-  
 to; ne ad ultimum Divina Majestas requirat ex me,  
 quod non urserim, neque cunctis meis viribus postula-  
 rim, id quod in hac vita equidem possum sentire, &  
 excogitare optimum, tum ut homo sibi ipsi proficiat,  
 tum ut fructus ferat, prositque, & proficiat aliis mul-  
 tis. Quod si priorem ob causam necessarium tibi non  
 sentias, præclara cum æstimatione comperies, quantum  
 tibi ad posteriorem conducat. Jam vero finem facio,  
 illud ab immensa Dei Domini nostri clementia postu-  
 lans, ut nobis gratiam suam impertiat, ad sanctissi-  
 mam ejus voluntatem cognoscendam, & perfecte exe-  
 \* Luc. quendam *juxta talentum omnibus commissum*; \* saltem  
 19. ne nobis illud ingerat: *serve nequam, sciebas &c.*  
 v.22. Venetiis 16. Novembr. 1536.

*Omnino tuus in Domino (4)*

*Yñigus.*

1537:

EPISTOLA VI. \*

Petro Contarinio.

*De studio paupertatis, & de suæ commorationis loco.*

Magnifico Domino Petro Contarino fratri meo  
 in Christo Jesu.

Quoniam de rebus nostris prolixiorum sermonem fe-  
 cimus in litteris ad Dominum Martinum Gonzaga;  
 in quibus etiam nonnulla sunt, quæ proxime spe-  
 ctant ad Dominationem tuam, hac de causa paucissimis  
 ver-

(4) Italica est subscriptio Ygnigo; Alcazar descripsit Yñigo. Leviusculas alias varietates neglexi, præter subscriptionis tempus a diez y seis de Noviembre de 1536. años: Ubi corrigenda versiones.

\* Ad ea, quæ a pag. 7. n. 7. dicta sunt de hac & aliis San-



verbis tecum utar, & non (1) *tanquam* necessarium sit ad te scribere, quam ut non existimemur tui immemores. Hactenus Dei benignitate semper bene (2) valuimus, experimur in dies magis ac magis verum illud: *nihil habentes, & omnia possidentes* (3): omnia dico (4), quæ Dominus se adjecturum repromisit quærentibus *primum regnum Dei, & justitiam ejus* (5); quod si omnia adjicien-

*eti Ignatii epistolæ ad Venetum virum nobilissimum Petrum Contarinum, juvat hic addere sequentem ipsarum juratam recognitionem. Die Lunæ prima Octobr. 1685. Vicentiæ. Illius & Riñus D. D. Jo: Baptista Rubinus Episcopus Vicentinus attenta instantia facta per D. Angelum Guadagninum Venetum nomine Illius & Excelsi D. Marci Contareni D. Marci Procuratoris super recognitione hujus epistolæ tamquam scriptæ & subscriptæ ad D. Petrum Contareno manu propria S. Ignatii de Loyola fundatoris Soc. Jesu, & repertæ inter scripturas nobilissimæ domus suæ ad effectum ipsam exponendi publicæ fidelium venerationi in quacumque Ecclesia & præcipue S. Marci Plateolæ hujus Diocesis, habitis super inde debitis informationibus, & præcipue attestationibus juratis tacto pectore more &c. Admodum RR. DD. Victoris Gieræ Dominationis suæ Illius & Riñæ Vicarii Generalis, ac Antonii Montis Archipresb. hujus Ecclesiæ Cathedr., & Patris Hieronymi Manzii Rectoris Soc. Jesu hujus civitatis, qui omnes jurarunt, & una voce dixerunt dictam epistolam esse scriptam & subscriptam propriis manu & caractere S. Ignatii, prout sibi innotescere asseruerunt per comparisonem alterius characteris dicti S. Ignatii alibi in forma recogniti & sibi exhibiti; facultatem impartitus est, quod possit hæc exponi ad Christi fidelium venerationem in quacumque Ecclesia, & in supradicta S. Marci Plateolæ hujus Diocesis. Omnibus &c. In quorum fidem &c. Præsentibus RR. DD. Laurentio Biotto, ac Nicolao Arigonio testibus &c.*

L. ✠ S.

*Jacobus Florentinus Notarius Episcopalis  
Vicentiæ.*

Eandem authenticitatis notam sub iisdem die ac forma habent & sequentes literæ ejusdem S. Ignatii asservatæ domi supradictæ Familiæ Contarenæ. Hactenus novissimus descriptor Venetus, qui addit suprascriptam epistolam coli Plateola super altare S. Ignatio dicatum in publico Oratorio ejusdem Familiæ Contarini. Fugerunt hæc Bollandianos, qui t. 7. Jul. p. 574. n. 865. fragmentum ejus transmissum Romæ prodiderunt. Equidem ipsa etiam Notarii menda incorruptè descripsi.

(1) Forte tam quodd.

(2) Al. valemus.

(3) 2. Cor. 6. v. 10.

(4) Al. quia.

(5) Matth. 6.



1537. cientur iis, qui primum quærent *Regnum Dei, ac justitiam ejus*, anne aliquid deesse poterit iis, qui solum quærent justitiam regni, & ipsum Regem Regum? Eis quoque benedictio (6) non tam *de rore cæli & de pinguedine terræ est*, sed de solo rore cæli; eos dico, qui non divisi; eos dico, qui utrumque oculorum intendunt ad cælestia. Hoc nobis concedat ille ipse, qui cum dives omnium rerum esset, omnibus se spoliavit propter nostram instructionem: qui cum in gloria (7) *omnipotentia* esset; & tantæ sapientiæ, & tantæ (8) *potestatis*, se tamen subjecit (9) *cuius infirmissimæ potestati, & iudicio, & voluntati*. Sed hæc satis ad eos maxime, quos etiam Christus detinere potest in alio gradu; ad te enim magis proprie spectat considerare, ut si quæ habeas, a nullis habearis, a nullis possidearis temporalibus; omnia regeras in eum, a quo omnia habes: qui enim non potest circa illud unum, quod est necessarium, totus occupari, proximum est, ut ea plurima, circa quæ versatur, & sollicitus est, ordinata sint bene. Sed nimium digredior ab eo, quod institueram. Redeo ad nos: Appresso Vicenza a una (10) *mia* fora della porta, che si chiama di S. Croce habemo trovato un luogo Monastico, il quale se domanda S. Pietro in Vanello, dove nessuno abita, e così li Frati di S. Maria delle Grazie di Vicenza sono contenti, che maneamus inibi ad (11) *placitum nostrum*; id quod facimus, erimusque ibi per aliquot menses, si Deus permiserit; e così non resta... (detritum est forte, *se non*) che siamo buoni e perfetti, perchè Dio numquam manca di sua bonità. Roga ergo & tu nobiscum Dominum, ut det nobis istam gratiam perficiendi ejus voluntatem sanctam, quæ est sanctificatio omnium, & bene vale in Christo Jesu Domino nostro, qui nos dirigat omnes in viam pacis, quæ est in ipso solo.

*Egenus in Domino frater  
Ignatius.*

*A la-*

(6) *Gen. 27. v. 28.*

(8) *Al. bonitatis.*

(10) *Al. via.*

(7) *Al. tantæ potentia.*

(9) *Al. hominis infirmissimi.*

(11) *Al. beneplacitum.*



*A latere ejusdem epistolæ:* Quantum spectat ad Dominum . . . ego te maxime obsecratum velim, ut si quidem forte ejus negotia, quæ per te fieri possunt, non sint expedita, age quæso te, ut ipse nullo modo dicere possit, neque sciat reputare nos esse in causa quam ob rem detineatur Venetiis. 1537.

## EPISTOLA VII. \*

2. Dec.  
1538.

Eidem Petro Contarinio.

*De solempni Romani Gubernatoris sententia pro Ignatii & sociorum ejus innocentia, agentibus Contariniis.*

Magnifico Dño Petro Contarinio fratri meo in Christo charissimo. In Venetia.

Jesus.

Gratia Dñi nostri Jesu Christi & pax sit cum omnibus nobis.

Postremas litteras tuas ad nos recepimus, & simul eas quas causa nostræ commendationis mittebas ad patrum \*\* Dñum Contarinum prout . . . gratias agimus tuæ erga nos & humanitatis & benignitatis. In alteris sane perspeximus qualē nostri memoriam habeas, in alteris vero experti sumus officium tuum. Statim ut patruus tuus legit tuas litteras, misit unum ex servis suis ad Dñum Gubernatorem uti ejus hortatu dignaretur absolvere causam illam nostram, quæ penes ipsum erat; non

\* Sententia, de qua hæc epistola, sub die 18. Nov. 1538. lata fuerat ab Alma Urbis Gubernatore Benedicto Conversano, Electo Britonoriense, cujus mendum est Britovoriense in Ribadeneira & Barzolio. Fragmentum hujus epistolæ descripsit Orlandinius lib. 2. p. 48.

\*\* In ms. p<sup>um</sup>.



2. Dec. 1538. non multis autem postea diebus res omnino terminata est, & eo modo quo maxime precabamur futurum ad Dei honorem, & plurimarum utilitatem animarum. Lata est sententia declarans quemadmodum facta diligenti inquisitione nihil neque in vita nostra, neque in doctrina repertum sit, quod dignum sit suspitione: ipsam autem sententiam prout jacet, si forte placebit... tuo videre, scias jam ipsam esse penes \* *Legatum* Cæsaris, qui apud vos est; aliqui enim ex amicis nostris eam ad ipsum miserunt. Scimus sane ex hoc non factum iri, ut nemo nos vituperet posthac, neque hoc quæsivimus unquam: tantum voluimus prospectum esse honori, sanæ doctrinæ & vitæ immaculatæ. Nunquam anxii erimus Dño concedente, dum nos dicemur indocti, rudes, loquendi nescii; & item dum dicemur pravi, deceptores, instabiles; sed dolebamus, quod doctrina ipsa, quam prædicamus, non sana diceretur, & item quod via, quam ambulamus, putaretur mala; quorum neutrum est nostrum, sed Christi & Ecclesiæ ejus: sed de his satis. Illi omnes, quos in litteris tuis dixisti per nos salutandos tuo nomine, per me nunc te salutant, bene habent omnes . . . . . per Jesum Christum Dñum nostrum, qui est pax nostra, quies, satietas, & consolatio & . . . omne illud bonum . . . quod facti sumus ex regeneratis, & ad quod tandem in hoc mundo consequamur. Sed jam vale in ipso, & nos ut facis prosequere.

Ex Urbe Roma quarto Nonas Dec. 1538.

*Egenus in Dño Fr.*

*Ignatius.*

EPI-

\* *Ms. Legum.*



## EPISTOLA VIII.

Elisabethæ Roser.

19.  
Dec.  
1538.*De suis, sociorumque Romæ gestis, persecutionibus,  
& innocentia vindicata.*

Jesus.

Gratia, & amor Christi Dñi nostri adsit nobis semper  
favore, & auxilio.

I. **C**redo equidem, te magnopere fore sollicitam, nec mirari minus, me crebriores ad te non dedisse literas, ut vel ipse vellem, & sane cupiebam: porrò, si plurima illa obliviscerer, quæ Dño nostro debeo a te in me collata tam sincero amore & voluntate, arbitror mei non fore memorem Divinam ipsius Majestatem; cum tanta ob ejusdem amorem, & reverentiam in me semper contuleris. Quare meæ in scribendo tarditatis causa ex eo est orta, quod expectabamus spe adducti negotium quoddam nostrum in diem, vel in mensem expediendi. Ut vero de rebus hîc nostris certiores te faciam, negotium illud nostrum fuit ejusmodi, ut per ipsos integros octo menses toleraverimus oppugnationem seu persecutionem omnium gravissimam, quas hactenus quidem subierimus. Non quòd nos ipsos, aut in judicium vocando, aut alia propiùs ratione vexaverint; sed quia sparsis in vulgus rumoribus, appositisque novis nominibus, in suspicionem & odium populi cum gravi ejusdem offensione nos vocabant: ut nobis omnino opus fuerit, convenire Legatum, & hujus Urbis Governatorem (nam Papa tunc Nicæam abierat) ratione magnæ offensionis, qua plures afficiebantur; cœpimus autem nonnullos vocare nominatim, qui nobis obtrecebant, ut apud majores nostros ea mala deponerent, quæ in doctrina nostra, vitæque deprehendebant. Hac vero de re aliqua te docebo,



19. Dec. 1538. cebo, quibus gestorum ab initio continuatio seriesque melius innotescat.

2. Annus jam est & eo amplius, cum tres Societatis Romam pervenimus, ut me tibi scripsisse memini: quorum duo confestim cœperunt *gratis* docere in Schola Sapientiæ, Theologiam positivam alter, alter scholasticam; idque Summi jussu Pontificis. Ego me totum dedi ad alios tradenda & explicanda exercitia spiritalia & intra Romam, & extra. Hæc de compacto gessimus, quod literati nonnulli, seu viri primarii a nobis stabant, vel potiùs ab honore & gloria Dei Dñi nostri; siquidem nostrum non est, nisi laudem & obsequium Divinæ Majestatis promovere: ne tantam in mundanis offenderemus repugnantiam, ac dein possemus liberiùs sanctissimum Dei verbum prædicare, odore quodam suspicionis sentientes terram esse aridam, sterilem bonorum fructuum, & malorum fœcundam. Postquam iis exercitationibus (Deo Dño nostro agente) nonnullos nobis conciliavimus, qui favore nos consensuque tueantur, & quidem personas literis ac dignitate præstantes; \* lapsis ab adventu nostro quatuor mensibus, censuimus in hac eadem Urbe omnes e Societate congregandos. Convenientibus sociis studuimus concionandi, hortandi, & confessiones audiendi facultatem impetrare; quam nobis Legatus concessit amplissimam: verùm interea multa de nobis ad ejus Vicarium mala retulerunt, distinentes ejusdem facultatis expeditionem.

3. Hac demum habita quatuor aut quinque concionari cœpimus festis ac Dominicis diebus alii in aliis Ecclesiis; pueros etiam docere in aliis Ecclesiis de præceptis, de peccatis mortalibus, &c.; continuantes semper duas in Sapiencia lectiones, & alibi confessiones. Alii omnes Italice concionabantur, ego solus Hispanice: omnibus autem concionibus adeo frequens aderat auditorium, ut nostram expectationem omnem facile superaret. Huic enim

\* *Hispan.* Al cabo de quatro meses de nuestra venida pensamos juntarnos todos, . . . convenerant autem ante finem Martii 1538.: Ignatii ergo Romam adventus videtur ante finem Novembris 1537. contigisse. Vide supra n. 9. a p. 8.



enim tria intercedebant, primo tempus inusitatum; nos enim subito post Resurrectionis pascha cœpimus, cum alii Quadragesimæ, principaliumque festorum oratores cessabant; hîc autem de more in Quadragesima tantum, & Adventu conciones habentur. Secundò plerique omnes laboribus atque concionibus defuncti Quadragesimæ, mox (quæ nostra sunt peccata) quieti potius mundanisque voluptatibus animum adjiciunt, quàm similibus aliis, vel novis pietatis operibus. Tertio nostrà quidem sententià nulla nos concinnitas, nec elegantia commendat, & tamen multis persuasi experimentis arbitramur, Dominum nostrum pro sua infinita summaque bonitate nostrum non oblivisci, quin & per nos, adeo licet humiles & nihili, aliis adesse pluribus auxilio & favore.

19.  
Dec.  
1538.

4. Accepto itaque a nobis iudicio, cum ex adversariis duo ad illud nominatim essent vocati, unus autem longe aliter apud iudices compareret, atque ipse putarat; ceteri, quos ad jus vocandos nominavimus, adeo sunt conterriti, ut ire nec vellent, nec auderent, nos hac inhibentes, ut causam apud alios iudices ageremus. Cum autem iis gauderent redivitibus, ut annuos ducatos alius mille, alius sexcentos numeraret, alius verò ampliori etiam dignitate præstaret; curiales omnes & comitiales homines ita versarunt Cardinales, aliosque plures in curia dignitate pollentes adeo perturbaverunt, ut nobis fuerit hoc certamen diutius protrahendum. Tandem aliquando ex ipsis duo, qui primarii habebantur, in jus vocati, se coram Legato & Governatore stiterunt, dixeruntque, audisse se conciones nostras, lectiones, &c. atque omnino in defensionem nostram absolutam de doctrina & moribus nostris detulerunt. Legatus, & Governator, quamvis optime de nobis sentirent, volebant ut horum hæc, & aliorum causa silentio premeretur. Nos verò rogabamus (& quidem sæpius, quod justum agnoscebamus), ut proferretur scripto bonum vel malum, quod nostræ inesset doctrinæ, populi ut offensio tolleretur: id quod ab ipsis nullo jure & æquitate impetrare unquam potuimus. Jam vero, terror



19. per iudices incusso, non ea deinceps, quæ antea, ja-  
*Dec.* ctabantur in nos, saltem publicè.

1538. 5. Ceterum cum obtinere nunquam possemus, ut  
 ferretur sententia, seu nostræ causæ declaratio; Sum-  
 mum Pontificem, e Nicæa regressum, supplex convenit  
 amicus noster, ut res tandem nostra rite declararetur.  
 Annuit quidem Pontifex; sed tamen cum nihil plane  
 conficeretur, eundem iterum duo e Societate nostra  
 convenerunt. Contigit autem, ut confestim in castel-  
 lum abiret suburbanum: quo ipse profectus, solus San-  
 ctitatem suam in cubiculo suo ad horam fere integram  
 sum allocutus. Tum vero post multum sermonem de  
 cogitatis nostris atque consiliis, eidem aperte narra-  
 quoties in Hispania & Parisiis contra me actum fuerit  
 in iudicio; quoties item Compluti & Salmanticæ fue-  
 rim in carcerem coniectus: atque hæc ideo, ut ab alio  
 nemine plura de me quam a me ipso cognosceret; ve-  
 hementiusque illum incitarem ad causæ nostræ cogni-  
 tionem, ut tandem palàm de nostra doctrina ferretur  
 sententia, vel iudicium pronunciaretur. Denique cum  
 nobis ad concionandum & exhortandum sit admodum  
 necessarius bonus odor, non solum apud Deum Dñum  
 nostrum, sed etiam apud homines, extra pravam sus-  
 picionem omnem de nostra doctrina & moribus; San-  
 ctitatem suam omnium nomine supplex rogavi, ut re-  
 medium præscriberet, quo in nostram doctrinam & mo-  
 res institueretur inquisitio & examen penes quemvis  
 ordinarium iudicem, ab ipsa deligendum: si enim vi-  
 tium in nobis deprehendatur, corripì nos volumus &  
 castigari; sin virtus, ut sua nobis Sanctitas præsidio  
 sit. Pontifex (ut ex mea cum ipso locutione augurari  
 licebat) benignissime accepit, nostra laudans ingenia  
 bonis operibus intenta. Itaque post breve temporis spa-  
 tium, quo me cohortatus est (verbis quidem profecto  
 veri rectique Pastoris), præcepit diligenter Guberna-  
 tori, qui est Episcopus, & tam in sacris, quam in  
 profanis causis primarius hujus Urbis magistratus, ut  
 nostram statim causam transigeret.

6. Qui cum novam inquisitionem diligenter insti-  
 tuis-



tuisset; Romamque venisset Pontifex, ubi palàm nos 19.  
 sæpe verbis exornavit coram ipsa etiam Societate (so- Dec.  
 lent enim super ejus mensam de more, quintodecimo 1538.  
 quoque die de religione disserere), magna nostræ tem-  
 pestatis pars dissipata est; novaque in dies succedit  
 tranquillitas: ut res jam secundissimè, mea quidem sen-  
 tentia, procedant, prout cupimus ad obsequium &  
 gloriam Dei Dñi nostri. Adde quod alii atque alii nos  
 urgent Antistites, ut in ipsorum terris (Deo Dño no-  
 stro operante) fructum afferamus. Nos vero in spe  
 quiescimus majoris opportunitatis. Nostra demum cau-  
 sa, Deo Dño nostro volente, judiciali est absoluta sen-  
 tentià. Qua in re unum hic accidit, quod non omni-  
 quidem admiratione careat; nam cum fuerit hïc de no-  
 bis dictum, vel sparsum in vulgus, e multis subter fu-  
 gisse regionibus, ac præsertim Parisiis, Hispania, &  
 Venetiis; eodem plane tempore, quo de nobis feren-  
 da erat sententia seu iudicium, aderant hïc Romæ vix  
 dudum appulsi, Regens Figueroa qui me semel Com-  
 pluti cepit, ac bis in me inquisivit; Generalis Vicarius  
 Apostolici Venetiarum Legati, qui etiam (post quam  
 in ditone Veneta concionari cœpimus) in me inquisie-  
 rat; Doctor Ori, qui pariter causam meam Parisiis  
 dijudicaverat; ac Vicentinus Episcopus, apud quem  
 tres vel quatuor e nostris aliquandiu conciones habui-  
 mus: qui testimonium nobis omnes tribuerunt. Civita-  
 tes præterea Senensis, Bononiensis, ac Ferrariensis le-  
 gitima huc miserunt testimonia: Dux autem Ferrariensis  
 negotium nostrum toto pectore complexus ob violatam  
 in nobis Dei Dñi nostri dignitatem, non modo testi-  
 monium misit, sed literas etiam suo Legato, ac no-  
 stræ pluries Societati, quibus rem in se suscipiebat;  
 perspecto scilicet suæ Civitatis fructu, & aliarum etiam  
 quas obivimus (quanquam in hac non parum fuit com-  
 modè tempus capere se tuendi, & perseverandi), pro  
 quibus Deo Dño nostro gratias agimus.

7. Ex primo, quo cœpimus, tempore duæ vel tres  
 conciones nunquam hactenus defuerunt singulis festis;  
 ac duæ pariter lectiones quotidianæ, alii vero sacris



19. confessionibus, & exercitiis spiritalibus vacabant. Nunc  
*L. ec.* autem lata jam demum sententia, crescemus, ut spero,  
 1538. in conciones, & in puerorum institutiones: & quam-  
 vis terra sit sterilis & arida, tantamque ab adversariis  
 passi simus contradictionem; vere tamen dicere non  
 possumus, defuisse nobis quid faceremus; Deumque  
 Dñum nostrum ultra sapientiam nostram, captumque  
 omnem non egisse. Singularia, ne longior sim, singil-  
 latim non persequar; universè a Deo Dño nostro val-  
 de contenti sumus.

8. Tantum addam, quatuor esse vel quinque, cer-  
 tos Societatem nostram complecti; qui a multis diebus,  
 ac mensibus in decreto consilio perseverant. Nos illos  
 cooptare non audemus: hoc enim erat ex iis unum, quæ  
 nobis objiciebantur; nempe socios a nobis adscisci, no-  
 vamque Congregationem seu Religionem sine Aposto-  
 lica autoritate institui. Quare quod nunc attinet, vitæ  
 licet societate disjuncti, sumus tamen animis conjuncti  
 omnes, ut inter nos conveniat in posterum: id quod  
 speramus a Deo Dño nostro ad majus ipsius obsequium  
 & laudem cito disponendum. Quoniam quo loco res  
 nostræ sint novisti, ob amorem & reverentiam Dei  
 Dñi nostri te rogo, ut magna utamur patientia, desi-  
 derantes ut idem nobis utatur ad majorem ipsius glo-  
 riam & laudem propagandam: maximis enim momentis  
 nunc quidem certe rerum cardines vertuntur. Quæcun-  
 que gerantur, crebrius te docébo.

9. Dico autem tibi non dubius: si tui obliviscar,  
 putem me a meo Creatore ac Domino oblivioni da-  
 tum. Quam ob rem non tam verba curo seu officiorum,  
 sive gratiarum plena, quam certum ut hoc habeas:  
 nimirum, præterquam quod apud Deum Dñum nostrum  
 vivit quidquid in me ob amorem ejus & reverentiam  
 contulisti, in omnibus quæ per me quoad vixero, age-  
 re placuerit Divinæ Majestati, eisdem merita suâ divinâ  
 gratiâ conferendo, te fore omnino ea ratione partici-  
 pem, qua me semper ad divinum obsequium & laudem  
 tam singulari studio adjuvisti. Personis omnibus, tibi  
 notis ac mihi, sanis & piis, in sancta conversatione  
 coa-



coadunatis in Christo Dño nostro, salutem a me, quæ- 19.  
so, plurimam, & commendationem. Denique Deum Dec.  
Dñum nostrum rogo, ut pro sua infinita, summaque bo- 1538.  
nitate, sua nos velit gratia cumulare, ad sanctissimam  
ipsius voluntatem pernoscendam, & rite exequendam.

Romæ 19. Decembris 1538.

*Bonitatis pauper*

*Yñigus.*

Dum hæc scribebam, præscripsit Pontifex per Ur-  
bis Præfectum, ut lata per Urbem lege puerorum scho-  
læ congregentur, eosque, ut facere dudum cœperamus,  
doctrinam Christianam doceamus. Utinam Deus Dñus  
noster, quoniam sua res agitur, vires nobis ad majus  
suum obsequium & laudem suppeditet. Sententiam ip-  
sam, de nobis hîc latam (quoniam latina est), Archi-  
diacono mitto Cazador, qui tecum de illa communicabit.

EPISTOLA IX.

2.  
Febr.

Martino Garziæ, & Beltrano, Loyolæ Dominis .

1539.

*De lata pro Societate sententia, de Araoz, de prima sua Missa.*

Jesus.

Meis in Christo Dño nostro, & universo nostro bono,  
fratribus \* Martino Garziæ, & Beltrano,  
Loyolæ Dominis .

Gratia, & amor Christi Domini nostri adsit  
nobis semper favore, & auxilio .

Quoniam elapsis ante diebus per Rozas & Magdale-  
nam de Quando scripsi vobis, in hac ero brevis:  
cum autem ille magnopere de nobis abiret solici-  
tus,

\* Cave, ne tres hic personas distinguas Martinum, Garziam,  
& Beltranum, ut in mendosum apographum irrepsisse video. Alia  
superius a p. 9. n. 10.



2. tus, magnamque moram per itinera sit facturus, pu-  
*Febr.* tavi equidem hanc ante illos fortasse ad vos perventu-  
 1539. ram, atque adeo mitto simul sententiam, seu declara-  
 tionem de nobis hîc datam, ut eam ipsi tradas, si fe-  
 rendam secum putaverit; ne scilicet, quòd nostra usu-  
 sunt consuetudine, bona ipsorum decrescant desideria,  
 vel aliorum in Dño nostro, qui nos in æternum judi-  
 cabit. Beati illi, qui se in hac vita præparant, ut ju-  
 dicentur & salvi fiant a Divina Majestate: ob cujus  
 amorem & reverentiam vos rogo, ut sine mora stu-  
 deatis conscientias vestras diligentius corrigere, quòd  
 importunæ ac extremæ tempore necessitatis nostræ ani-  
 mæ vestræ sint securæ. Facite, quæso, ut omnes qui  
 de me scire volent & animis suis prodesse, a vobis  
 meo nomine visitati, & amicissimè salutati, hanc sibi  
 conscriptam putent. Finem facio, Deum Dñum nostrum  
 rogando, ut pro sua infinita & summa clementia nos  
 velit gratià suà cumulare ad sanctissimam suam volun-  
 tatem pernoscendam, & rite exequendam.

Romæ die secunda Februarii 1539.

Baccalaureus Araoz hîc remanet: si Deus Dñus no-  
 ster partem eorum, quæ illi cupio, mihi dabit, næ ille  
 in hac vita & altera dives erit. Die Nativitatis præte-  
 ritæ in Ecclesia Dominæ nostræ Majori in sacello, ubi  
 est præsepe, in quo infans Jesus positus fuit, suo cum  
 auxilio & gratià dixi meam primam Missam. Valde  
 cupio, atque ob amorem & reverentiam Divinæ Ma-  
 jestatis vos deprecor, ut religionibus nostris exercen-  
 dis nos invicem recordemur, cum animis nostris singuli  
 considerantes imminere nobis extremum vitæ diem ac  
 momentum, quo sumus integram & exquisitam quisque  
 suæ vitæ rationem reddituri.

*Bonitatis pauper*

*Yñigus.*

EPI-



## EPISTOLA X. \*

Petro Contarinio .

*Officiosa , & commendatitia .*Admodum Magnifico Dño D. Petro Contarino carissimo *A ter-*  
Dño meo in Dño nostro . Venetias . *go .*Jesus . *Intus .*Gratia & pax Christi Dñi nostri adsit nobis  
semper auxilio & favore .

**M**emor tuæ in nos Dominationis magni amoris ac benevolentiaë, solitique favoris, apud ipsum etiam Cardinalem Contarenum patronum nostrum observandissimum, qui ob amorem quidem & reverentiam Divinæ Majestatis, tua tamen Dominatione commendante, nos præcipuis filiis suis spiritalibus annumerat, quam maxime sum lætatus, hanc mihi offerri occasionem quam optimam Dominationi tuæ hasce literas perscribendi, tametsi breves ob usitatam meam præteritam invaletudinem. Nempe quorundam Barcinonensium, meorum in Domino nostro amicorum, literas accepi, quibus mihi latorem præsentium commendant, virum, ut præ se fert, studiosum & cupidum conditori ac Domino nostro inserviendi, ob cujus amorem & reverentiam tuam rogo Dominationem, ut vir iste Jerosolyma transfretandi cupidus, ubi opus ipsi fuerit, in Domino nostro commendetur: quem si juveris, ut a te juvari multos certum habeo, *indubitanter* a Domino nostro spero te fore semper lætum ac plane felicem: ipse autem pro sua infinita summaque bonitate gratiam suam perfectam  
L I velit

\* Quamvis hac epistola ex dictis p. 15. n. 17. anno 1540. videatur adscribenda, tamen quia nec annus est omnino certus, & eà hic præposita, videntur alia meliùs inter se connexa, hic eam putavi collocandam.



velit nobis donare, ut sanctissimam suam voluntatem cognoscamus, & integrè exequamur.

Romæ die . . . . .

*Dominationis tuæ perpetuus  
in Dño nostro servus*

*Ignatius.*

*Ineunte  
anno  
1540.*

EPISTOLA XI.\*

*Azpeitiensibus.*

*De rebus a se apud eos gestis, de morum emendatione,  
de sacrorum, Eucharistiæ præsertim,  
usu frequentando.*

*Ignatius popularibus suis summam Jesu Christi  
gratiam & caritatem.*

I. **S**upremi Numinis infinitæ sapientiæ notum est profecto; quoties ego, & quam vehementer optaverim atque statuerim, omnibus propter Dominum si qua in re, etsi minima, mihi integrum foret, usquequaque placere, spiritualemve, quamcumque possem, operam commodare; vobis vero præsertim, apud quos singulari plane, nec à me satis unquam rependendo, natus sum Dei beneficio. His autem à Deo potius incitatus desideriiis, quam humano adductus consilio, ante annos jam amplius quinque, affecta quamquam vexatus

\* Hunc locum huic deberi epistola colligebam superiùs a p. 12. n. 14. ex iis maxime, qua in sequenti de Araozio indicantur. Latinam ejus versionem . . . Firmo Martinecorena elaboratam, & a Josepho Petisco castigatam, (qui jam dudum in Domino requiescunt a laboribus suis) minime sollicitavi: quod idem religiosè præstabo in ceteris eorundem industriâ elaboratis. Atque utinam possem in omnibus. Capiti hujus epistola respondent hæc Hispanica verba: Carta que escribio el P. Maestro Ignacio a la su tierra sobre la frequentacion del Sacramento. La summa gracia, y a nor de Christo nuestro Señor sea siempre en nuestro favor, y en nuestra ayuda.



tus valetudine, vestrum tamen oppidum, Parisiorum Ineun-  
 urbe relicta, adire non recusavi. Ubi quæ deinceps ad te an.  
 commune vestrum qualecumque commodum subsequuta 1540.  
 sunt, vos ipsi nostis; cum videlicet à consueta Dei,  
 qui nos isthuc adduxerat, benignitate & clementia ali-  
 quanto viribus confirmati, nonnullo vobis adjumento  
 esse potuimus: & quæ tum quidem à nobis omissa  
 sunt; culpa nostra, quod & alias ubique, prætermissa  
 putandum. Jam vero ea ipsa, quibus antea afficieba-  
 mur, hodieque desideria perseverant; atque eo etiam  
 nos impellunt, ut præsentis vitæ rationem in omnes  
 partes tranquillam vobis reddere studeamus, veraque  
 animi pace lætitiæque perfusam: quæ tota tamen ad  
 Dei famulatum & observantiam referatur, non ad ina-  
 nia sæculi blandimenta; neve quæ ejusmodi sit, ut ex-  
 terna tantum simulatione demulcens, vana pacis ima-  
 gine decipiat. Multos namque videre licet primarios  
 sæculi principes, inferioresve dynastas pacem extrinse-  
 cus induciasque pacisci; requie interim nulla unquam  
 intrinsecus affectos, infesto potius in eos animo, qui-  
 buscum in speciem amicitiae fœdera sanxerunt, simul-  
 tatem & invidentiam atque vindictæ cupiditatem fove-  
 re: quo nihil est à vera Dei pace magis alienum. Hæc  
 etenim, quæ in intimos pervadit animi sensus, præsi-  
 dia cuncta secum affert gratiæque dona, ad salutis &  
 æternæ vitæ consecutionem requisita: ex quo deinde  
 & hominem propter Deum, à quo creatus est, amare  
 docet; & illud etiam efficit, ut cum hominem propter  
 Deum, tum Deum ipsum propter se diligendo, uni-  
 versa legis mandata opere perficiantur; nam, ut est \*Rom.  
 apud Paulum \*, qui diligit proximum, legem implevit: ea 13.  
 siquidem, qua erga proximum afficitur, caritate, Deum v. 8.  
 simulque hominem diligit dilectione pari. Pacis igitur  
 desiderio percitus, quam vobis afferre gestio; denuo  
 mecum cogitare cœpi; alia ne fortasse via, quæ primo  
 exequi proposueram, ex parte possem, si minus præ-  
 sens, absens nunc ad exitum perducere. Quam quidem  
 ad rem cum in præsentia commodum accidat, ut reli-  
 giosus vir è Dominicana familia, magna jam dudum



*Ineunte* consuetudine nobiscum amicitiaque conjunctus, opus  
*te an.* plane egregium auctore ac duce Deo nuper instituerit,  
 1540. quo suus Eucharistiæ Sacramento honor constet & cul-  
 tus; visum est proinde, animas vestras *in Spiritu Sancto*  
 reficere ac recreare Pontificio diplomate, quod per  
 Dominum Baccalaureum ad vos transmisimus, duas aut  
 tres, quas indicat, indulgentias continente. Tales vero  
 quoniam eæ sunt, tantique faciendæ, ut nec à me pro  
 illarum meritis laudari, nec verbis posse confidam con-  
 venienter extolli; quod restat unum, omnes vos pro-  
 pter amorem Dei ac reverentiam hortor & obsecro,  
 maximo eas in pretio habere curetis, atque earum etiam  
 juvare causam, quoad ejus fieri poterit, omni ope co-  
 natuque enitami: publica nempe ad id instituta sup-  
 plicatione, populum *instanter* pro concione moneri al-  
 laborando, aliaque ejusmodi adhibendo pietatis incita-  
 menta, quibus fidelium multitudo ad ardentio rem reli-  
 gionis sensum acrius impellatur & excitetur.

2. Subit animum frequenter illius recordatio tem-  
 poris, quo isthic apud vos commoratus sum, qualique  
 populus mente fuerit, quali tunc voluntate affectus;  
 cum, quæ sancte sunt constituta, laudibus excepit &  
 gratulatione plurima: nimirum, ut signo dato, depre-  
 cationibus adjuventur, qui lethali peccato obstricti te-  
 neantur; ac ne quis per compita palam stipem emen-  
 dicari cogatur, cunctorum inopiam sublevari curaretur:  
 alearum ludis quibuscumque severissime interdiceretur,  
 gravi quoque animadversione in earum emptores vendi-  
 toresque proposita; & quod per summam Divinæ Ma-  
 jestatis injuriam nefas exsecrandum irrepserat, lineo  
 capita velamento turpi de causa foeminas obducere;  
 evelleretur omnino: quas ego leges institutaque sanctis-  
 sima religiose vos custodire, jam tum incœpisse memi-  
 ni, ac tamdiu porro perseverare, quoad vobiscum ver-  
 satus sum; nec sine magna quidem Bonitatis Divinæ  
 significatione, quæ talia est per vos pie admodum exe-  
 quuta. Ab eo autem tempore nihil postea nobis est  
 allatum, quo de vestra seu constantia, seu levitate  
 certiores efficeremur; quod ad persistendum attinet,  
 in re-



in rebus his tam per se justis, tamque Deo gratis ac-  
 curatione debita retinendis. Itaque sive quod in officio  
 permanentes, sitis etiam ad meliora progressi; sive quod  
 à proposito desciveritis, ut ad ingenium & ad priora  
 delaberemini; quo novus tamen aliquis adhortatione no-  
 stra vobis cumulus accedat, oro vos & obtestor, ac  
 propter amorem Dei que reverentiam enixe & vehemen-  
 ter rogo, ut omni diligentia studeatis, Christo Domi-  
 no famulari & obsequi, summamque ejus Majestatem,  
 in eximio præsertim Eucharistiæ Sacramento, cum hu-  
 manæ Divinæque naturæ amplitudine atque præstantia  
 delitescens, magnopere revereri: ubi totus scilicet  
 adest ipsemet, magnusque perinde, ac in cœlesti nunc  
 beatorum sede conspicitur, peræque potens, atque in-  
 finitus. Sodalitium propterea, quod in hujus honorem  
 Sacramenti sit instituendum, inter alia, quibus ad pie-  
 tatis ac religionis studium ex constituto dirigatur, ea  
 quoque curabitis lege constringi; ut quisquis in Soda-  
 lium numerum cooptetur, semel in mense sacram Con-  
 fessionem obire, & Eucharistico pane teneatur, se se  
 reficere; sponte tamen, & conscientiæ, si secus ege-  
 rit, detrimento nullo: quo facto, certo mihi persua-  
 sum habeo, inæstimabili vos animarum vestrarum emo-  
 lumento auctum & ornatum iri.

3. Ac fuit tempus illud, cum Eucharistiam quotidie  
 omnes omnino Christiani, quibus per ætatem liceret,  
 suscipiebant universi; inde tamen haud ita multo tem-  
 pore, pietatis studio paullatim defervescente, nonnisi  
 octavo quoque die fuit ab omnibus sumi cœpta: longo  
 tum intervallo deinceps, cum incorruptæ caritatis ar-  
 dor nimium quantum frigeret ubique, id etiam est in  
 more positum, ut tribus tantummodo præcipuis anni  
 recurrentibus solemnibus, à cunctis perciperetur; copia  
 interim, pro majori cujusque vel minori religione ac  
 libito, sæpius ad illam accedendi facta: sive tertio quo-  
 que adire die, vel octavo quoque placeret potius, sin-  
 gulisve quibusque mensibus. Donec eo tandem negli-  
 gentia atque imbecillitate nostra perventum est, ut cœ-  
 lesti quotannis cibo semel duntaxat recreari, tantum  
 non



*Ineunte an.* non pigeat; neque jam aliud, præter inanem Christiani-  
*1540.* te an. nomini speciem, reliquum nobis quidquam esse videatur: prout, maximam orbis totius terræ partem tranquillo & vacuo vobis animo contemplantibus, apparebit. Hos igitur, quoniam tantus in eo vertitur, cum animarum nostrarum fructu non modico, Divinæ quoque Majestatis honor & cultus, majori sanè, par est idcirco, cura sollicitari; ut pia veterum instituta virorum aliquo pacto reducere & instaurare conemur. Quæ si cuncta penitus revocare nequimus; eorum saltem partem nonnullam restituere studeamus: post Confessionem videlicet rite peractam, quod supra dictum est, Eucharistiæ pariter Sacramentum in menses singulos ad-  
*\* Vide* cundo: ea vero si quis frequentius adhibere voluerit; *p. 30.* næ is quidem gratum Deo sine controversia præstabit obsequium \* Augustini testimonio, reliquorum omnium consensione Doctorum & suffragio confirmato: nam ubi primum illud testatus est, *quotidie communicare nec laudo, nec vitupero*; adjecit deinde, *singulis tamen diebus Dominicis ad communicandum hortor*. Quapropter cum summa quoque Dei bonitas usitataque clementia bene nos sperare jubeat, auxilii cœlestis opem large vobis processuram; quò possitis universi in re alioqui tam præclare, quam manifeste vestram salutem spectante, debitam ei servitutem exhibere; finem ego scribendi faciam obsecrans, & efflagitans, imisque precibus orans, vestris me apud Deum precationibus ac piis operibus continenter adjuvare non gravemini, iisque *maxime*, quæ in Sanctissimi Christi Corporis obsequium sint à vobis peragenda: ut vos vicissim, in me recipio nostris omnibus, nullius quamquam pretii, deprecationibus, meritòque aspernendis operibus, usque tamen perpetuoque juvandos.

Roma an. 1541.

*Ignatius de Loyola.*



## EPISTOLA XII.\*

16.

Beltrano, Loyolæ Domino.

Mart.

1540.

*Commendat S. Franciscum Xaverium, & Regis  
Lusitaniæ Legatum.*

Jesus.

Dominus noster adsit nobis semper auxilio, & favore.

**M**agna, summaque festinatione, qua urgemur exem-  
plo, ut alios in Indias, alios in Hiberniam, &  
per Italiam mittamus, omnino impediatur, quominus ad  
te pluribus, ut vellem, perscribam. Hasce fert literas  
Magister Franciscus Xavier, Navarrensis, filius Do-  
mini Xavierensis, unus e Societate nostra; qui pergit  
jussu Pontificis, & postulatu Regis Lusitaniæ, præter  
alios duos, qui ad eundem Regem mari se conferunt:  
a quo Magistro Francisco plane omnia cognosces, qui  
& tecum de quibusvis meo loquatur nomine, perinde  
ac ipse coram adessem. Scias hunc Lusitani Regis Le-  
gatum, cui comes it Magister Franciscus, esse maxi-  
mopere nobis firma amicitia conjunctum, cui multum  
admodum debeamus, quique in rebus ad Dei Domini  
nostri obsequium pertinentibus magno se sperat præsi-  
dio nobis fore apud suum Regem, ceterosque omnes,  
apud quos valebit. Quare pro Dei Domini nostri ob-  
sequio te rogo, ut eum istic perhonorifice excipias, &  
quam lautissimè poteris. Si fuerit ibidem Araozius,  
hanc sibi scriptam putet. Porro autem Magistro Fran-  
cisco eadem omnino fides meo nomine habenda est,  
quæ mihi ipsi haberetur. Matronæ, universæque fami-  
liæ

\* Non dubito, quin P. Alcazar, qui hanc epistolam perhibet  
ab Ignatio scriptam fratri suo in Francisci Xaverii commendatio-  
nem, id ab exteriori ejusdem inscriptione, vel a Methymnensi Col-  
legio plane reseverit, licet de varia & germana verbi frater signi-  
ficatione nihil monuerit. Videris supra a p. 9. n. 10. & 13.



16. *liæ me, quæso, maxime commenda. Dominus noster  
Mart. adsit nobis semper auxilio & favore.  
1540. Romæ 16. Martii 1540.*

*Bonitatis pauper*

*Yñigus.*

31.  
*Mart.  
1540.*

EPISTOLA XIII.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

*Spondet frequens literarium commercium. Cardinalis Eporo-  
diensis in Franciscum & Societatem affectus; Legati  
erga eundem studia, & in æde Lauretana  
pietas Religiosa: Bononiæ gesta.*

*A ter- Meis in Christo Dño nostro fratribus Domino Ignatio  
go. & Dño Petro Codacio Romæ in turre Meranguela  
apud Dñum Antonium Frerepan.*

Jesus.

*Intus. Gratia & amor Christi Domini nostri adsit semper  
nobis auxilio & favore. Amen.*

1. **D**ie Sancto Paschæ accepi literas a te, perlatas in  
fasce ad Dominum Legatum misso, & cum iis  
tantum gaudii ac consolationis, quantum non exprimo;  
Deus Dominus noster scit. In hac deinceps vita non  
aliter, credo, quam per literas congrediemur; in altera  
*facie ad faciem* cum multis amplexibus. Superest (1)  
ut

(1) *Quo loco Possinus*: Superest igitur, ut hoc exiguo nobis  
reliquo tempore mortalis exili, crebris invicem epistolis conso-  
lemur. Equidem desiderari hac in parte meam diligentiam non  
sinam. Persuasus enim illo tuo, quo me digredientem monuisti,  
sapienti dicto: Colonias Metropolitibus, ut Filias Matribus, usu  
mutuæ notitiæ connecti oportere: placè decrevi dare operam,



ut hoc exiguo nobis reliquo vitæ tempore, crebris invicem nos epistolis conspiciamus: ego quidem ut mihi mandatis, ita faciam servato filiolarum more frequenter scribendi.

31.  
Mart.  
1540.

2. Egi per otium, & ex animi mei sententiâ cum D. Cardinali Eporediensi (2), prout ea de re scriptum mihi mandatum dederas. Excepit me humanissimè, offerens perofficiosè favorem nobis suum in omnibus quæ suæ potestatis forent. Bonus senex cum ab eo discederem amplexatus est me, osculantem manus ejus. In medio ejus quem cum illo habui sermonis, abjeci me in genua, & nomine totius Societatis osculatus ei sum manus. Quantum ex iis quæ mihi respondit intelligo, multum ille probat nostrum procedendi modum.

3. Dominus Legatus me tot officiis cumulat, ut nunquam finis sit si enumerare velim: nec scio quomodo inducere possem in animum illa admittere, nisi cogitarem, & quasi pro certo haberem, mihi ista apud Indos nihilò minore pretio quam vitâ ipsâ rependenda. In templo Dominæ nostræ Laureti, Dominicâ Palmarum, excepi ejus Confessionem, & ei Sacram Eucharistiam ministravi. Idem præstiti multis ex ejus Domo. Feci Sacrum in Sacello Dominæ nostræ, & bonus Legatus egit, ut secum Sacram Communionem perciperent intra Sanctam illam Ædem omnes sui domestici. Po-

M m

stea

ut & ego, & quæcumque unquam ubivis terrarum mecum erit nostræ Societatis pars, tibi ac Societati Romanæ nunciorum atque officiorum commercio jungamur; sicquæ ad vos cuncta nostra minutè ac distinctè referamus, ut filiolaræ solent, cum matribus rationem reddunt. *En archetypi Xaveriana verba: Resta que en este poco tiempo que desta vida nos quedã, por frequentes letras nos veamos: yo ássi lo arè como me lo inbiais a mandar quanto a lo del escribir amenudo servando el orden de las ruelas. Suspiciabar olim, ac modo vix dubito, quin a religioso & accuratissimo viro aliquis potius Ignatiana epistola commentarius ad ejusdem mentem continnatus, quàm ipse archetypus Latinè sit reditus. Id quod ex aliis etiam discrepantibus comprobatur.*

(2) Possinus: Cardinali Inurea; archet.: Cardenal Yurea. Eporedia in subalpinis Taurinensibus vulgo Jurea, Yurea, Ivrea: Margino Inurea.



31. stea die Paschæ iterum confitenti absolutionem, & con-  
 Mart. fesso Christi Corpus impertii; itemque aliis ex ejus fa-  
 1540. miliâ probis viris & religioni deditis. Sacerdos fami-  
 liaris Domini Legati multum se isthic commendat ora-  
 tionibus vestrum omnium: is mihi spondit, se iturum  
 nobiscum in Indias.

4. Salutate (3) a me Dominam Faustina Ancoli-  
 nam, & dicite illi fecisse me unum Sacrum pro suo  
 & meo Vincentio, & cras aliud oblaturum pro ipsa.  
 Præterea, certò sibi persuadeat, me numquam ipsius  
 oblaturum; ne tum quidem cum ero in Indiis. Meo  
 quoque nomine (4) eidem, quæso te D. Petre frater  
 mi carissime, in memoriam revoca, ut quemadmodum  
 mihi promisit confessuram se peccata, & Sacram Eu-  
 charistiam percepturam, sic faciat: meque literis cer-  
 tiorem reddat, an id, & quoties, præstiterit. Quod  
 si velit gratificari Vincentio suo & meo; dic ei meo  
 nomine, ut ignoscat illis qui occiderunt ejus filium;  
 quandoquidem pro illis Vincentius multum orat in cæ-  
 lo. Hic Bononiæ plus occupationis habeo in audiendis  
 confessionibus, quam nuper isthic in S. Ludovici. Om-  
 nes

(3) *Possinus*: Fac salutes a me Dominam Faustina Ancoli-  
 nam; & dicas ei, nisi grave est, fecisse me unum Sacrum pro  
 suo & meo Vincentio, & cras aliud oblaturum pro ipsa. *Archet.*:  
 A Madona Faustina Ancolina dareis mis encomiendas, y dezilde  
 como he dicho una Missa....

(4) *Possinus*: Meo quoque nomine revoca, quæso in memo-  
 riam D. Petro, fratri meo carissimo, ut quemadmodum mihi pro-  
 misit confessuram se peccata, & Sacram Eucharistiam perceptu-  
 rum, sic faciat; *archet.*: y de mi parte Micer Pedro hermano  
 mio carissimo azelde memoria que me tenga la promessa que me  
 hizo de confessarse y comunicarse. *Totam epistolam quam diligen-  
 tissimè descripsi ex archetypo, qui nunc in egregia Hierotheca ser-  
 vatur in secretiori Sacello S. Francisci Xaverii Collegii Bononiensis  
 S. Lucia; ibidem notatur, eidem Collegio missam fuisse epistolam  
 die 28. Maji 1763. a Reūdo P. Generali Laurentio Ricci, olim a  
 P. Possino Latinè vulgatam. Hujus porrò non exteriorem vidit Pos-  
 sinus inscriptionem, sed subscriptionem, qua tota Latina est a Xa-  
 verio, non apte Hispanice a P. Francisco Cutillas reddita: Hijo  
 menor en Christo de V. Sta Charidad.*



nes impensè saluto: quod singillatim quemque ac nominatim non memoro, non est (mihi credant verè loquenti) oblivionis culpa.

Bononiâ pridie Kal. Aprilis an. MDXL.

*Vester in Christo frater & servus*

*Franciscus.*

EPISTOLA XIV.

Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ.

26.,  
al. 24.,  
Jul.  
1540.

*Petit Breve Apostolicum confirmatæ Societatis, & Spiritualia Exercitia Regi offerenda: horum usus, & Sacramentorum frequentatio. Stradam pro Academia Conimbricensi poscit, & Collegii formam. Dubium de Indica expeditione. Petit doceri modum de aggregandis Sociis.*

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.

I. **P**ostquam scripsi valde prolixè de rebus quæ hîc geruntur, offerunt se aliqua quæ tunc exciderant, inter quæ hæc sunt: si Breve quod tangit totam Societatem, expeditum est; mitte hûc, oro te, ejus exemplum. Nam Rex & qui nos hîc amant, libenter id videbunt, uti & sententiam quam pronunciavit Prætor, dum nos absolvit. Rex petiit Exercitia cum desiderio illa videndi: si exemplum eorum è correctis videretur tibi etiam mittere, gratissimum id foret Majestati ejus. Enimvero magnus ille Princeps valde benè affectus est erga totam Societatem: & videtur nihil non obsequii a nobis ei deberi, pro ingenti amore quo nos prosequitur. Binas a te literas accepi, utrasque perbreves; alteras scriptas VI. Idus Junii, alteras Kalendaris Maji. Domino Legato pergratum erit accipere

M m 2

a te



26. , a te aliquam epistolam : quam ad eum dedisti , perlatam  
*al. 24.* ipsi dum esset in itinere Româ huc , vix credas quan-  
*Jul.* tâ curâ conservet . Si non posses scribere , fac ut quas  
 1540. epistolas scribit Strada , possimus ei ostendere .

2. Hoc ipso temporis puncto accingimus nos ad  
 danda Exercitia duobus Licentiatis in Theologiâ , quorum  
 unus est valde celebris Concionator , alter Pædagogus  
 Fratris Regis , Infantis nimirum Domini Henrici . Pro-  
 curamus etiam ab aliis personis non vulgaribus ea desi-  
 derari ; persuasi , quò majori desiderio ea appetierint ,  
 eò plus ex iis utilitatis percepturos . Est unde laudetur  
 Deus Dominus noster , dum videmus hic multos sancta  
 Confessionis & Communionis Sacramenta frequen-  
 tantes .

3. Statue-sis quid tibi videatur de Francisco Stra-  
 da : ecquid placeat mittere eum in Academiam Conim-  
 bricensem . Nam ibi nec illi , nec aliis deerunt neces-  
 saria ad eorum studia , quantum sperare licet ex eo  
 quod qui illic degunt , valde benè inclinati sunt ad res  
 omnes pias & bonas : quare non dubitamus quin brevi  
 in istâ Universitate Collegium quoddam nostrorum in-  
 stituatur . Nos opportuno tempore non omittemus age-  
 re cum Rege de excitando Convictu Studiosorum : ad  
 quod , opus esset doceri nos quæ tua mens sit circa  
 formam institutionis ejus , modumque in ea proceden-  
 di ; tum de eo qui isti Congregationi præfuturus est ;  
 quæque Sodales disciplinâ teneri debent *ut crescant ma-  
 gis in Spiritu quam in literis* : ut cum alloquemur Re-  
 gem , ei exponamus vivendi modum , quem observaturi  
 sint qui in nostris Collegiis operam literis dabunt : quo  
 de toto argumento scribi à te ad nos fusè pervelim .  
 Non apparet obstitutum quidquam , quominus illic ædi-  
 ficetur Domus excipiendis Magistris & Scholaribus ;  
 imo & aliæ domus Instituti nostri . Multùm libenter  
 qui hîc sunt , facerent nobis Domos , si adessent qui eas  
 incolerent .

4. Episcopus amicus noster dixit nobis : Regem  
 nondum plane constituisse , an missurus nos in Indias sit ,  
 quòd illi videatur , nos hîc non minus servituros Do-  
 mino



mino nostro quam illic. Institerunt duo Episcopi quo- 26.,  
rum contraria sententia est, nos nullâ ratione detineri al.24.,  
in his locis debere, sed mitti in Indias; quod futurum Jul.  
existiment ut aliqui Reges convertantur. Nos semper 1540.  
intenti sumus adjungendis nobis Sociis: & credo non  
defuturos, prout se res sensim procedendo aperiunt.  
Si hîc remaneamus, fundabimus aliquas Domos. Faciliùs  
reperientur qui aggregentur nobis ad hic manendum,  
quàm ad illò eundum. Si tamen iverimus, & Deus  
Dominus noster annuerit nobis aliquot annos vitæ, in-  
stituemus cum auxilio ejusdem Dei aliquas Domos inter  
Indos & Æthiopas.

5. Si breve quod tangit totam Societatem, non est  
adhuc expeditum, tamen da, quæso te, operam ut no-  
bis detur facultas ædificandi Domos nostræ Professionis  
inter Infideles. Sive autem hîc hærebimus, sive naviga-  
bimus ad Indos, per amorem & obsequium Dei Domi-  
ni nostri obsecro te, scribe ad nos modum & ordi-  
nem, quem observare debemus in aggregandis sociis,  
idque *multum ad longum*; quandoquidem clarè perspicias  
exiguitatem nostri talenti: unde nisi nos adjuves, ob  
nostram imperitiam negotiandi, omittetur occasio pro-  
movendi majus obsequium Dei Domini nostri. Vale.

Ulyssippone VII. Kal. Augusti. \*

\*\* *Vestræ S. Caritatis filius  
in Christo minimus*

*Franciscus.*

EPI-

\* Annus & subscriptio deerant autographo, recisa à quodam,  
ut apparet.

\*\* Cutillas: 24. Julii 1540. Vestræ S. ....



4.  
Oct.  
1540.

## EPISTOLA XV.

Ignatius Beltrano, Lojolæ Domino.

*Multa indicat, quæ vix aut ne vix quidem aliunde  
noverim. Vide p. 12. n. 13.*

Foris.

Jesus.

Meo in Christo Dño nostro fratri  
Loyolæ Domino . . . . .

Intus.

Jesus.

Summa gratia & amor Christi Dñi nostri adsit nobis  
semper favore & auxilio.

**A**b Araoz cognovi quantam tibi Divina Majestas largiatur gratiam, ut ipsi servias; teque odori bono & exemplo esse isti provinciæ: qua de re assiduas Deo Dño nostro gratias ago, sperans te semper in melius continuè profecturum, donec id plene tibi accidat, quod plane fore semper credidi, ex quo te novi. Et quoniam elapsis ante diebus, cum Bullam misi de Sanctissimo Sacramento, pluribus ad te scripsi, hanc paucis absolvam. Si Araoz istic non fuerit, ut nova quædam de nobis magis propria resciscas, poteris ejusdem literas reserare ac legere. Si Stephanus de Guia provincia in ista non existit, propter Dñi Dei nostri obsequium te rogo, ut certum hominem ad eum cum ipsius mittas (1) fasciculo, vel certe omnino caute fasciculus ejus mittatur . . . (*sequitur versus plicaturâ folii detritus*) obsequium Dei Dñi nostri. Quod si Stephanus in vivis non est, opus omnino est, ut aperto fasciculo alter in eo contentus cuidam de Rojas mittatur, cui destinatur; credo autem in Alaba eum degere, . . . (2)  
Pedro-

(1) *Hispan. semper emboltorio pro fasciculo, an melius involu-  
cro? Putabam ego literarum fasciculum.*

(2) *Archetyp. : oc . . . en Pedrola, forte o cerca en Pedrola;  
ut Pedrolam indicet Alaba propinquam.*



Pedrolæ, ac solet etiam Bilbai commorari, vocaturque, ut arbitror, (3) Fanste de Rojas. Superioribus literis scripsi tibi quantopere cupiam Æmilianum Romæ videre, quod credam gratissimum id fore Dño Deo nostro, & cum amicis tum consanguineis universis honori & gloriæ; quod iterum te rogo, ac meæ te fidei committe. Dominus de Ozaeta... (*alius pariter versus detritus*) aliarum responsum percipio, & cognatæ meæ matronæ cum universa familia Domnæ Mariæ de Vicuña. Ceteris omnibus, quibus salutem a me gratam fore cognoveris, mandabis ut me multopere Dño nostro commendent, qui pro sua infinita summaque bonitate nos semper tueatur ac foveat.

Roma 4. Octobris 1540.

Bonitatis pauper

Inigus.

## EPISTOLA XVI.

Franciscus Xaverius Ignatio de Loyola,  
& Petro Codacio.

22.  
Oct.  
1540.

*Auctus Sociorum numerus, Concionum & Exercitiorum fructus, Regis commendatio, & in fratris obitu mæror. De M. Mederes, Rescriptisque Pontificiis. Edoceri se postulat.*

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit nobis semper auxilio & favore. Amen.

I. **H**os raptim deproperare versus cogimur procincto & multum festinante cursore. Paucis igitur sic habetote, benè valere nos & crescere. Jam sex numero hîc sumus; omnes ex notis nobis Lutetiæ Parisiorum, præter duos, Paulum videlicet & Emmanuelem de Sancta Clara. Domino enim nostro placuit in tan-

(3) In archetypo sine dubio Fanste, mihi Franciscus salvo meliori.



22. tantum fortunare vota & conatus nostros, hisce nobis  
 Oct. sociandis adiutoribus ad celebrandum nomen ejus inter  
 1540. gentes, quæ ipsum non noverunt.

2. Imputamus cælesti favori, quem vos isthinc concilietis nobis, fructum qui hic existit ex nostris ministeriis, longè superior facultate, scientiâ, intelligentiâque nostris. Tam multi, iique præstantis dignitatis ad nos accedunt aperiendæ causâ, per sacram confessionem, conscientiæ, ut tempus desit quo cunctis satisfaciamus. Dominus Princeps Henricus summus Inquisitor Regni hujus, & Regis frater, sæpius commendavit nobis, ut curam susciperemus eorum in spiritu juvandorum qui Sacræ Inquisitionis custodiâ tenentur. Hos itaque quotidie adimus; damusque operam ut intelligant, quanto Dei beneficio in eo pœnitentiæ gymnasio exerceantur. Ad eos simul cunctos exhortationem habemus semel quovis die: tradimusque Exercitia primæ hebdomadæ, magno ipsorum solatio & fructu. Multi ex illis dicunt nobis, agnoscere se singularem in ipsos Dei gratiam, quòd operâ nostrâ primum audiant plurima scitu necessaria ad salutem animarum suarum.

3. Ante hos paucos dies misimus ad vos literas Regis ad Pontificem & ad Oratorem in Urbe suum, quibus commendat res nostræ Societatis ut suas proprias. Ad commendatitias ejus generis in hâc Aulâ impetrandas, jam non egemus interpositione ullius: per nos ipsi sufficimus. Nunc quoque Rex, nisi esset in gravi luctu ob mortem Principis Eduardi, scripsisset iterùm ad Sanctissimum Dominum & ad Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum, aliosque quorum isthic favor necessarius aut utilis rebus nostris est. Verum ita, ut dixi, obrutus dolore ac consternatus est acerbo funere Principis sui Fratris, ut domi clausus neminem admittat; & tristi justitio negotia pendeant. Concedendum pio mœrori justum spatium est. Ubi resederit post paucos dies, exorabimus ab optimo Rege literas quàm vobis multas ad quoscumque designabitis.

4. Quidam qui studiorum cursum Parisiis confecit, vitæ societatem nobiscum iniit. Nomen ei, Magister  
 Con-



Consalvus Mederes. Nondum est Ordinibus initiatus. 22.  
 Per Dei Domini nostri obsequium oramus, impetrate Oct.  
 & mittite Rescriptum Pontificium cuius vi, extra con- 1540.  
 sueta tempora, tribus diebus festis promoveri per soli-  
 tos gradus ad Sacerdotium ritè possit, ut sacretur Pre-  
 sbyter antequam solvamus in Indiam. Opus etiam es-  
 set impetrari Privilegium sex Clericis arbitrato nostro  
 communicabile, utendi Breviario novo. Ea res usum  
 haberet nonnullum ad faciliùs alliciendos quosdam, ut  
 nos in Indias sequi vellent. Per Domini nostri amorem  
 vos obtestamur, curate quam celerrimè perferri ad nos  
 Breve quo dirigimur in Indias. Nam tempus eò solven-  
 di instat. Magna nos spes tenet fructùs uberis ex illâ  
 nostrâ navigatione secuturi.

5. Facite, oramus vos, quam primùm sciamus, quid  
 nos oporteat constituere de iis, qui aut Parisiis fue-  
 runt studiorum causâ, aut eò ituri sunt. Respondeatis  
 etiam distinctè ad ea quæ scripsimus de Strada; deque  
 consilio excitandi Contubernii Scholarium nostrorum in  
 Conimbricensi Academiâ. Nam ad id, & pia ejus ge-  
 neris opera pronum hîc paratumque habemus favorem  
 Procerum, & liberalitatem Locupletum. Docete igitur  
 citò nos, quid circa hæc decreveritis, ut prout jusse-  
 ritis efficere conemur quod videbitur *magis expedire ad*  
*laudem Dei*. Raptè chartam è manibus Veredarius mo-  
 ras increpans. Ergo quod hactenus hic scripsi, sit in-  
 star epistolæ communis mecum Magistro Simoni: hujus  
 autem, communis item utrique, subscriptio, quasi si-  
 gilli vicem præstet.

XI. Kal. Novembris anno MDXL.

*Utriusque nomine*

*Magister Simon.*



22.

Dec.  
1541.

## EPISTOLA XVII.

Cardinalis Reginaldus Polus Rever. D. Ignatio  
de Loyola.*Nicolaum Bobadillam laudat, & Societatis se Patronum  
exhibet.*

Reverende Domine.

**C**um Magister Nicolaus Bobadilla uberes hîc cœpisset ferre fructus suarum tum concionum, confessionum, & lectionum adjuvante Domini Dei nostri gratia, tum formæ morum vitæ nimirum suæ probatissimæ; certior nunc fîo vestræ Paternitatis ad me literis, eundem aliò avocari: quod mihi foret quidem certè gravissimum, ni viderem, hac ipsum via non solùm Sanctissimi Domini nostri mandatis obedire, sed majorem etiam Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem promovere: id quod facit, ut discessum ejus patienter feram. Cùm ipsi, tum Sociis suis tantam veri sui luminis copiam largiatur divina clementia, ut iis, quibus est opus, valeant illud accendere; meam sanè voluntatem vestræ Paternitati, & universæ vestræ Societati defero, operamque profiteor libentissime: vos autem rogo, ut mei piis vestris fundendis precibus recordermini. Viterbii die 22. Dec. 1541.

1. Febr.  
1542.

## EPISTOLA XVIII.

Elisabethæ Roser.

*De sua invaletudine, de egregiis Araozii dotibus, de suis  
literis a Cazador non intellectis.*

Jesus.

Summa gratia & amor Christi Domini nostri adsit  
nobis semper continenti favore & auxilio.

**T**enuis mea valetudo non me juvat, nec verò patitur, ut sim longior: sit sanè Divina Majestas benedicta, exaltata, & gloria cumulata, quæ utrumque  
no-



nostrum sic visitat, ut demum aliquantum respirare nos  
 sinat, quo ipsi amplius servire possimus. Ut longiori-  
 bus aliis tibi scripsi atque promisi, unus \* e Societate  
 istuc ad Pascha Florum se conferet decem\*\* ante vel  
 post diebus, quàm baptismum Hebrææ cuidam contule-  
 rimus; post dies fere viginti seu mari sive terra profi-  
 ciscetur, & quoniam illi pericula utrobique non dec-  
 runt, hisce *maxime* temporibus, vestris & aliarum re-  
 ligiosarum mihi amicarum precibus eundem prosequimi-  
 ni. Si sanus istuc pervenerit, tibi erit, spero, gaudio  
 & solatio in Creatore & Domino nostro, cum hîc  
 summopere apud nos omnes colatur & ametur ob mul-  
 ta Divinæ Majestatis beneficia & dona eidem collata.  
 Cazador mihi epistolam scripsit, qua cognovi literas  
 meas non eodem intelligi sensu, quo scribuntur; quare  
 suam ad eundem epistolam remitto cum alia a Magi-  
 stro

N n 2

\* *Iis, qua p. 20. n. 21. dicta sunt de hac epistola, & de Araozio in ea indicato, addenda hic putavi excerpta ex Orland. lib. 3. n. 75., qua suo loco & tempore non satis perpenderim: Interim, ait ille anno 1542., Antonius Araozius Sacerdos jam creatus Professionis suæ votis primus post decem in Ignatii manibus rite editis, unâ cum Jacobo de Eguia remittitur in Hispaniam, ut quam in iis populis animorum propensionem biennio ante perspexerat, eam usitatis Societatis artibus tueretur. Pedites pro more iter emensi, ubi Barcinonem attigere, tantam e vestigio nacti sunt messem, ut ne minimæ quidem parti satis fuerint colligendæ: nec longius progredi alia in oppida, urbesque licuerit: sed reliquum anni tempus in una illa civitate fovenda, juvandaque consumpserint... Prorex Franciscus Borgia audiens brevi Araozio discedendum, perstudiose literas ad Ignatium dedit. Atque inter cetera, Tantum hic profuit, inquit, ut equidem pro magna duxerim hujus civitatis infelicitate si avocetur. Atque adeo pro injuncto mihi hujus regni onere, putavi hoc tibi significandum, ut Angelus Persarum fecit, cum pro filiis Israel ob recta exempla, & alium inter Persas fructum retinendis contendit. Hæc & multo plura Prorex haudquaquam vero majora... Ille verò Romam anno jam labente revertitur.*

\*\* *Cum nulla sit in textu Hispanico interpunctio, hanc e re ipsa desumpsi. Pascha Florum tam in hac quàm in sequenti epistola Hispano more Dominicam potius Resurrectionem significat, quàm Palmarum Dominicam, qua illo denotatur nomine apud Cangium.*



1. stro Laurentio ad me scripta, addita quidem alterâ  
 Febr. quam ita perscribo, ut me quoad possum demittam ac  
 1542. deprimam, quod idem facere cum omnibus semper aveo,  
 nonnullâ etiam declaratione adhibita, qua meliùs intel-  
 ligar. Omnibus iis tribus literis perlectis, eas tantum ob-  
 signabis, quas nunc Cazadori scribo, cui omnes tres  
 denuo colligatas fac ut tradas. Universis tuis, meisque  
 in Domino nostro Sororibus me facies magnopere com-  
 mendari, ut nobis semper adsit continenti favore & au-  
 xilio.

Roma die primo Februarii 1542.

*Bonitatis pauper*

*Inigus.*

*Ineunte*  
*Febr.*  
*1542.*

EPISTOLA XIX.

Beltrano, Lojolæ Domino.

*De Æmiliano Beltrani fratre Lutetiam profecturo,*  
*ibidemque providendo.*

*Foris.* Meo in Christo Domino nostro fratri, Loyolæ Domino,  
 Azpeitiam.

*Intus.*

Jesus.

Summa gratia & amor Christi Domini nostri adsit  
 nobis semper continuo favore & auxilio.

2. **Q**uoniam quidem prolixiores alias tibi scripsi, &  
 tenui nunc utor valetudine, partim eadem per-  
 stringam, nunciatâ præcipuè fratris tui pro-  
 fectione, qui quidem utique, juvante Divina gratia &  
 corporis valetudine, hoc labente mense ante Quadra-  
 gesimæ initium Roma discedet suscepto itinere Parisiensi  
 bona



Bona (1) comitatus societate, & publicâ munitus si- Ineun-  
 de Legati Galliarum, qui eum semper nobis impense te Feb.  
 faveat, semper utique nobis, quoties quidem est opus, 1542.  
 fidem publicam dare nostris consuevit.... (2) Æmilia-  
 ni ad ducenta hinc miliaria; digressus dein ab his, qui  
 Lutetiam, pergunt, (*Deo Duce*) recta Barcinonem pe-  
 tet, ubi per aliquot menses exhortando ad virtutis stu-  
 dium demorabitur. Si ad eum scribes, certior de ipso  
 fies in domo Elisabethæ Roser e regione ecclesiæ san-  
 cti Justi.

2. Quare si nondum fratri tuo Parisiis provideris,  
 cum hæc ad te pervenerit, ob Dñi nostri reverentiam  
 a te peto, ut quam diligentissimè & quantocius id a-  
 gas; ut ad Pascha Floridum, & ante quam possint il-  
 luc accedere, provisa sibi necessaria Parisiis inveniat,  
 ut eidem Salmanticæ providere consueveras, aliave ra-  
 tione, quæ tibi melior videbitur. Nisi enim ordinatè  
 fuerit provisum, multa solent ibi pati Scholastici, ut  
 arbitror probè nosse Domnam Mariam de Bicuña de fi-  
 lio suo, quem illic habet; ad quem poteris a te pro-  
 visa fratri tuo transmittere, ibidem ipsi tradenda; vel  
 ad Magistrum Hieronymum Domenech Canonicum Va-  
 lentinum, in Longobardorum Collegio degentem, ad  
 quem eum hinc mittam, ut ejusdem consuetudine ac  
 literis amplius adjuvetur.

3. Enim vero, ut ex iis auguror, quæ hîc Romæ  
 ego jam vidi, & plane sum expertus in spiritualibus  
 illis exercitiis, quorum & tu olim experientiam ali-  
 quam cum sudoribus cepisti, frater tuus uberrimum in-  
 venit, ac retulit ex illis fructum, & tantum profecto  
 ut in Domino nostro sperem, modo aliquamdiu vitam  
 ipsi largiatur, lucernam fore multo gratissimam atque  
 jucundissimam vobis omnibus, qui vero illum amore  
 prosequimini, qua videlicet complures illuminentur ani-  
 mæ, quas terrenarum, mundanarum, & caducarum re-  
 rum.

(1) *An bono comitatus socio? Hispan.:* con una buena compa-  
 ñia que lleva.

(2) *Integra fere linea ita est corrupta, ut paucula voces super-  
 vites sensum non reddant.*



*Ineun-* rum amor tenebris obscurat & offundit. Atque adeo ut  
*te Feb.* & vobis sit omnibus solatio in posterum, cura omnino  
 1542. ut ei confestim subvenias, transmissâ tota simul pen-  
 sione, quam ipsi in annum mittendam constitueris. Et  
 quia video, hisce præcipue temporibus, posse te non-  
 nullam ab argentariis pati difficultatem, quominus ipsi  
 subvenias (3): ... De rebus hîc nostris, & de Socie-  
 tate dispersa novas semper habemus causas, ut majo-  
 res & magis assiduas agamus gratias Deo Domino no-  
 stro, qui semper nobis adsit continuo favore & auxi-  
 lio. Matrifamilias cum universa Domo, & omnibus,  
 quibus salutem a me gratam fore perspexeris, multam  
 a me salutem dices, & vises in Domino nostro.

Roma.

*Bonitatis pauper*

*Ynigus.*

## EPISTOLA XX.

Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ.

23.  
*Maji*

1543.

*al. V.* *Missio Comorinensis: pagus ex itinere lustratus, Prætoris*  
*Kal.* *victoria, & Religionis studium dignum Pontificis*

*Nov.*

1542.

*Maximi, & Ignatii laudibus, sacrisque*  
*Societatis precibus.*

Gratia & charitas D. N. &c.

1. **E**x urbe Goa scripsi ad te verbosius de nostra ex  
 Lusitania in Indiam navigatione. Nunc de mea  
 in Comorinum Promontorium expeditione (quoniam ita  
 vis Pater optime ac suavissime) paucis accipe.

2. Profectus sum cum aliquot ejus loci indigenis  
 Goani Seminarii alumnis, qui ab ineunte ætate Eccle-  
 siasticis cæremoniis instituti sacris jam ordinibus initia-  
 ti sunt. Obiimus Neophytorum vicos, qui paucis abhinc  
 annis Christiana sacra susceperant. Hæc terra nequa-  
 quam a Lusitanis incolitur, utpote quæ summè & ste-  
 rilis

(3) *En intercisa verba, qua interpretari non sum ausus: yo a-  
 visandome de algunas . . . . . la que ba dentro de esta por que  
 vias le podreis proveer.*



rilis est, & pauper: Christiani autem indigenæ destituti à Sacerdotibus, nihil aliud norunt, nisi se esse Christianos. Nemo est, qui eis rem Divinam faciat; nemo qui Symbolum, Pater, & Ave, Divinæque Legis præcepta tradat. Ex quo igitur huc veni, haudquam cessavi: vicos sedulò circumibam; pueros omnes nondum baptizatos sacrâ abluebam aquâ. Itaque per magnum infantium numerum expiavi, qui, ut dici solet, planè ignorarent, quid interesset inter dexteram & sinistram. Pueri autem me neque divinum officium persolvere, neque cibum sumere, neque quietem capere sinebant, quoad aliquam precationem eos docuissem. Tum verò sentire cœpi *talium esse regnum Cælorum*. Proinde cum tam pium postulatum non possem nisi impiè repudiare, initio facto à confessione Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, Symbolum Apostolorum, orationes Pater noster, & Ave Maria eis inculcabam. Animadverti magna in illis ingenia, ac si foret, qui Christianis eos præceptis informaret, non dubito, quin perboni Christiani essent futuri.

23.  
Maji  
1543.,  
al. V.  
Kul.  
Nov.  
1542.

3. Ex itinere in Ethnicorum pagum divertî, ubi nemo volebat fieri Christianus, etsi finitimos pagos Christo adjunctos viderent, quippe in Ethnici reguli ditione se dicebant esse, qui suos populares Christi sacra suscipere prohiberet. Hic mulier quædam ad pariendum vicina tertium jam diem partûs difficultate laborabat, ut à multis desperaretur ejus salus. Atque ut impiorum imploratio invisâ est Deo, quoniam omnes *Dii gentium dæmonia*, eorum preces haud quaquam audiebantur. Contuli me cum uno è comitibus meis ad parturientis domum; statimque cœpi fidenter *invocare nomen Domini*, oblitus me esse in terra aliena: verùm illud occurrebat: *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo*. Ergo fidei nostræ capita per interpretem explicare institui. Et illa Dei benignitate credidit his, quæ à nobis dicebantur. Demum rogata, utrum vellet esse Christiana, se verò, & libenter respondit. Ibi tum ego Evangelio (quod numquam ibi auditum esse arbitror) recitato, mulie-



23. *Maji* mulierem rite baptizavi. Quid multa? sub Baptismum  
 1543. *al. V.* peperit, quæ in Christo speravit & credidit. Inde ego  
*Kal.* ejus virum, ac liberos, & infantem illo ipso natum  
*Nov.* die, omnemque familiam per Baptismum Christo pe-  
 1542. *\* Cut.* peri. Confestim toto pago miraculi divinitus in ea do-  
 uno. mo patrati fama percrebuit. Itaque primores adii, eis-  
 que Dei nomine denunciavi, ut Christum ejus Filium  
 agnoscerent, in quo\* una consisteret mortalium om-  
 nium salus. Negabant illi, nisi potestate a suo Regulo  
 factâ, avitam Religionem mutare se ausuros. Reguli  
 igitur procuratorem conveni, qui fortè ad exigendum  
 Domini vectigal venerat. Is ubi me de nostra Religione  
 disserentem audivit, affirmat Christianum esse bonum  
 sibi videri: proinde se, omnibus, qui vellent, Christi  
 Religionem suscipiendi facere potestatem. Sed qui bo-  
 num consilium aliis dederat, sibi ipse non cepit. Tum  
 verò oppidani primarii, cum sua quisque familia, primi  
 ad Christi cultum se aggregarunt; horum auctoritatem  
 cæteri secuti sunt; omnes cujusque generis atque æta-  
 tis baptizati. His rebus ita confectis Tutuchurinum re-  
 ctâ contendimus. Ibi ab oppidanis perbenignè accepti  
 sumus, atque in spem venimus fore, ut ex his locis  
 capiamus fructus animorum uberrimos.

4. Prætor hosce Neophytos mirè amplectitur ac  
 fovet; eisdemque nuper, cum vexarentur à Saracenis,  
 auxilium tulit. Piscatores vulgò sunt; maritimam oram  
 incolunt; séque, ac suos sustinent piscatu, maximè  
 margaritarum. His naviculas, quibus in piscando ute-  
 bantur, Saraceni nuper ademerant. Id ubi rescivit In-  
 diæ Prætor, ipsemet valida classe Saracenos adortus  
 devicit; magnâque eorum cæde facta, omnes eis naves  
 ad unam eripuit. Neophytis locupletioribus sua restituit  
 navigia, tenuioribus scaphas condonavit Saracenorum.  
 Ita insignem victoriam egregiâ liberalitate cumulavit;  
 atque ut opem ipse divinam expertus erat in victoria,  
 ita Christianos suam experiri benignitatem voluit. Sa-  
 raceni jacent afflicti, atque prostrati, nec quisquam  
 inter eos est, qui oculos tollere audeat, cæsis omni-  
 bus eorum Principibus, cæterisque, qui aliquid viribus  
 pol-



pollere videbantur. Quamobrem Neophyti Prætozem 23.  
 quasi parentem diligunt; atque ab illo vicissim liberum Maji  
 habentur loco. Dicit vix potest, quantopere ille novel- 1543.  
 lam hanc Christi vineam mihi commendavit. Nunc præ- al. V.  
 clarum quiddam molitur, & ad posteritatis memoriam, Kal.  
 & ad Christianæ religionis emolumentum. Hosce omnes Nov.  
 Christianos, locorum intervallis disjunctissimos, certam 1542.  
 in insulam transcribere cogitat, eisque Regem dare,  
 qui jus dicat, eorumque commodis & saluti consulat.  
 Si Pontifex Maximus exploratum haberet, quàm dili-  
 gentem Indiæ Prætor operam navet religioni, profectò  
 illum pro egregiis suis in rem Christianam studiis atque  
 officiis collaudaret. Proinde efficies, si videbitur, ut  
 literis ad eum missis declaret, ipsius officia sibi gratis-  
 sima accidisse. Nec verò est, quod illi Neophytos com-  
 mendet (nihil enim cuiquam magis est cordi) sed po-  
 tiùs, ut religiosissimo Præsidi pro suo merito laudem  
 tribuat & gratiam: quippe cum tantopere Christianæ  
 rei consulat, tam sollicitè pro Christi excubet grege,  
 ne quid ab Ethnicis lupis raptum intereat. Tu verò uti-  
 que ad eum scribas velim: tuas enim illi litteras per-  
 jucundas fore certò scio. Simul Deum pro eo unà cum  
 universa Societate deprecaberis, ut divinam illi opem  
 impertiat, & perseverantiam in bene cœptis: non  
 enim qui bene cœperit, sed qui perseveraverit usque ad  
 finem, hic salvus erit. Ego verò infinità Dei benigni-  
 tate, & simul tuis, totiusque Societatis sacrificiis ac  
 precibus fretus, confido fore, ut si in hac vita non  
 licuerit, certè in beata illa, longè majore cum gaudio,  
 nos revisamus.

V. Kalend. \* Novemb. anno post Christum na-  
 tum MDXLII.

Tuus in Christo filius  
 Franciscus Xaverius.

O O

EPI-

\* Meliùs Cutillas: 23. Maji 1543., ut multis probatur a pag.  
 LXXXI. Prolegom. in S. Xaverium. In hac & duabus literis se-  
 quentibus eadem subscriptio, quam ex Tursellino descripsi, apud Cu-  
 till. est Hispanicè: Hijo menor en destierro mayor. Francisco:  
 seu Filius minimus in exilio maximo. Franciscus.



## EPISTOLA XXI.

18.

Oct.

1543.,

al. 20.

Sept.

1542.

Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ .

*Collegium Goanum & Proregem laudat : Indulgentias petit  
ac Socios : Lusitanos ab Indulgentiarum religione,  
Proregem a singulari in Societatem Jesu  
studio mirificè laudat .*

Gratia & charitas Domini nostri Jesu Christi , &c.

1. **C**erti quidam homines divino planè numine instin-  
cti nuper Goæ Collegium instituerunt , quo ni-  
hil his locis erat necessarium magis . Id augetur in dies .  
Et sanè est , cur Deo gratulemur , tale domicilium ex-  
citari , ad multorum Neophytorum institutionem , con-  
versionemque infidelium plurimorum . Hujus Collegii æ-  
dificationi præsent viri sanè honesti , ac primarii . Præ-  
tor ipse negotio mirificè favet : is usque eò sibi persua-  
sit rem ad Christianæ religionis amplificationem perti-  
nere , ut ejus potissimùm ope atque operâ brevi desti-  
natæ ædes augendæ absolvendæque videantur . Templum  
ipsum , quod Collegio proximum ædificatur , perpulchrè  
descriptum est ; jacta dudum fundamenta , perducti ad  
summum usque parietes , jam fastigium ac tectum im-  
ponitur . Proximâ æstate sacris initiabitur . Duplo ma-  
jus est ( si quæris ) quàm templum Parisiense Collegii  
Sorbonici . Collegio attributi annui redditus tanti , ut  
sustinere queat alumnos facilè centum : opinio autem  
est , ejus vectigalia auctum iri quotidie . Nos quidem  
Deo bene juvante , confidimus hinc multos paucis an-  
nis exituros , qui & rem Christianam valdè juvent hisce  
in locis , & Ecclesiæ sanctæ fines longè ac latè pro-  
ferant .

2. Ego vero , ut principia se dant , in spem venio  
intra sexennium hujus Collegii alumnos facilè trecentos  
fore ; eòsque variarum gentium , nationum atque lin-  
guarum , quorum operâ paucorum annorum spatio , Chri-  
stia-



Christianorum numerus non mediocriter augeatur. Prætor, 18.  
 ubi primum otium erit ab Ethnicis (perpetuò enim cum Oct.  
 eis bellum gerit) Collegii ædes celeriter se exædifica- 1543.  
 turum recepit: sic enim in animum induxit suum, nihil al. 20.  
 in tota India æquè pium ac sanctum reperiri; ejusmo- Sept.  
 di autem domus Christo dicatas, conciliatrices esse vi- 1542.  
 ctoriarum, quas adhuc multas atque præclaras de E-  
 thnicis reportavit, speratque in posterum etiam præ-  
 clariòres se, Deo adjuvante, relaturum. Quare te ego  
 per Christum Dominum, ejusque cultum etiam atque  
 etiam rogo, ut tuis totiusque Societatis precibus Mar-  
 tinum Sosam Deo commendandum cures; quò videlicet  
 satis illi consilii auxiliique divinitus suppeditet, ad va-  
 stam hanc Indiæ provinciam bene gerendam, omninò-  
 que, ut *sic transeat per bona temporalia, ut non amittat  
 eterna.*

3. Equidem si arbitrarer ullum relinqui commen-  
 dationi meæ locum, non secùs tibi hominem commen-  
 darem, quàm me ipsum. Etenim suâ me ille egregiâ  
 virtute adedò sibi devinxit, ut non minùs ego in ejus  
 ære esse videar, quàm ipse in meo, quanquam mutua  
 hæc officia ac studia ad unam Christi gloriam referun-  
 tur. Quod si quando (quod Deus avertat) ejus me  
 caperet oblivio, enimverò existimarem, me pro tam  
 ingrato animo gravissimas Deo pœnas daturum. Scri-  
 bit Prætor de hoc Collegio ad Regem, ut si videatur,  
 Pontificem Maximum per litteras impellat, ad aliquot  
 è Societate mittendos in Indiam, columnina hujus Col-  
 legii futuros. Id Collegium ab aliis *Conversionis Sancti  
 Pauli*, ab aliis *Sanctæ Fidei*, appellatur; quod mihi  
 nomen magis appositum videtur, quòd ejus alumni ad  
 Christianæ fidei semen in Ethnicorum animis serendum  
 instituti esse videantur.

4. Mandavit mihi Prætor, ut de hoc Collegio, e-  
 jusque institutione pluribus ad te scriberem; itaque fa-  
 ciam. Institutum igitur id est, indigenis, variarumque  
 nationum pueris Christiana Religione imbuendis, qui  
 deinde satis eruditi domos remittantur, ad suos popu-  
 lares docendos. Nullis verbis consequi possim, quan-



18. topere Prætor Societatem nostram, ejusque institutum  
 Oct. probet. Sic enim censet, quoniam per te in Societa-  
 1543., tem Filii sui nos omnes Deus vocavit; se & Deo &  
 al. 20. suo officio tum demum satisfacturum, si quàm neces-  
 Sept. saria sit alumnorum hujus Collegii institutio, te per  
 1542. litteras docendum curaverit, ut ad eam rem aliquot  
 huc è Societate mittendos putes. Suum enim esse ait  
 hoc Collegium exædificare; tuum idoneis alumnorum  
 magistris instruere. Idem, ad Christianæ Religionis di-  
 gnitatem, pietatisque hisce in locis accessionem, mul-  
 tum referre statuit, impetrari à Rom. Pontif. privile-  
 gium aræ maximæ hujus templi; ut quoties ad eam Sa-  
 crum pro mortuis fiat, toties una anima eximatur è  
 Purgatorio; similiter ut si Romæ fieret ad altaria, quæ  
 privilegiata dicuntur. Atque ad arcendam Sacerdotum  
 ibi celebrare cupientium avaritiam, diploma ita com-  
 poni vellet, ut illud ipsum ita concederetur, si Sacer-  
 dos gratis, nullâque spe præmii ac mercedis humanæ  
 ad aram illam Missæ sacrificium faceret: qui autem  
 rem Divinam faciendam curarent, confessione expiati,  
 sacrosanctæ Eucharistiæ sub idem Sacrum fierent parti-  
 cipes. Et sanè æquum est, ut alienam è Purgatorio  
 animam liberaturus, prius ab inferno ac tartaro liberet  
 suam. Quocirca vellet Sacerdotibus ad eam aram Sa-  
 crum facientibus Indulgentiarum aliquid à Pontifice Ma-  
 ximo concedi, ut hoc præmio invitati, rem Divinam  
 ibi facere exoptarent. Hoc idem Pontificis beneficium  
 cum ad conciliandam loco existimationem, tum verò  
 ad excitandam harum gentium pietatem, expetit mirum  
 in modum. Vel ex hisce postulatis conjecturam capias  
 licet de ejus animo, qui de rebus sanctis ac piis tam  
 bene sentiat, tam sedulò laboret.

5. In iis qui huc abs te mittentur, non dubito,  
 quin unus atque adeò plures venturi sint spectatâ pro-  
 bitate ac fide; quippe cum tale administraturi sint Col-  
 legium, tantumque ærumnarum perpessuri, quantum  
 hæc regio affert necessariò. Mare utique & terra eo-  
 rum robur ac virtutem satis explorabit. Negotium sci-  
 licet est ejusmodi, quod firmâ constitutione corporis,  
 & flo-



& florente ætate viros postulet; adolescentibus certè 18.  
quàm senibus aptius: quanquam senes vigentes ac vi- Oct.  
vidos non respuit. Quicumque venient, benignè ac be- 1543.,  
nevolè excipientur ab incolis, atque identidem urge- al. 20.  
buntur, ut confessiones audiant, pias meditationes tra- Sept.  
dant, sacras habeant conciones. Nimirum erit messis 1542.  
multa & copiosa. Habemus jam pueros indigenas am-  
pliùs sexaginta paratos, qui nunc à Jacobo Borbano,  
viro egregio è Franciscana disciplina, erudiuntur; ini-  
tàque ætate in hoc Collegium migrabunt. Horum ple-  
rique legere norunt, complures etiam scribere, satis  
præculi ad Grammaticorum præcepta capessenda. Hoc  
eò scribo, ut idoneus mittatur magister litterarum, cui  
quidem in suo munere obeundo sat negotii sit futurum.

6. Ex eorum numero, quos isthinc expectamus,  
Prætor Concionatorem aliquem optat esse, qui de sa-  
cris Litteris aliquid, aut de Sacramentis explanando,  
Sacerdotes necessariis rebus (neque enim ferè qui huc  
veniunt, abundant doctrinâ) instruat: eadèmq; operâ  
ad Dei amorem, hominùmque conservationem impellat;  
idque non doctrinâ magis quam exemplo. Siquidem,  
quod te non fugit, ad persuadendum facta dictis sunt  
potiora. Reliquos autem socios tales desiderat, qui in  
confessionibus audiendis, Sacramentis ministrandis, con-  
vertendis Ethnicis operam sedulò collocent suam: quip-  
pe in hac insula ex infidelium conversione fructus per-  
cipi potest uberrimus. Complures enim eorum omni  
ope destituti in superstitionis caligine ac tenebris ja-  
cent, Conditoris ac Domini sui penitus ignari. Itaque  
Sacerdotes tres, præceptorem litterarum unum isthinc  
Prætor expectat. Scribit etiam ad Regem (si rectè me-  
mini) ut à Pontifice quatuor de Societate nostra po-  
stulet: Indulgentias item certas petat, quas in epistola  
perscribo, uti per Regem impetratas iidem Socii, qui  
isthinc venturi sunt, perferant in Indiam. Sic autem  
tibi persuadeas velim, hac re illos omnium, quotquot  
in India sunt Lusitanorum conciliaturos benevolentiam,  
multùmque apud eos existimationis & auctoritatis quæ-  
situros; quod sanè ad res divinas in eorum animis in-  
seren-



18. serendas valet vel plurimum. Omnibus, quas vidi, na-  
 Oct. tionibus Lusitana Romanarum Indulgentiarum æstimatio-  
 1543., ne (ut mihi quidem videtur) antecellit; & istiusmodi  
 al. 20. rerum dulcedine multò magis ad crebrum Sacramento-  
 Sept. rum allicitur usum. Quare tum ad alendam eam, quam  
 1542. dixi gentis religionem; tum verò propter summam ejus-  
 dem erga Pontif. Max. observantiam, illum ego in tam  
 obsequentes filios perliberalem in postulatis conceden-  
 dis fore confido. Quicquid hujus generis a Pontifice  
 impetratum erit, id Pontificiis consignatum diplomatis  
 ad nos mittendum curabis, ut res & fidei plus habeat  
 & dignitatis.

7. Prætor ad te, ut opinor, dat litteras. Etsi enim  
 neutiquam te de facie novit, valde tamen tui studiosus  
 est, & simul Societatis universæ. Quæso te, scribe  
 homini & cum Indulgentiis Pontificiis par sacrarum co-  
 ronarum, alteram ipsi, conjugii alteram munusculum  
 mitte. Pergratæ illi erunt, vel quòd Pontificiis Indul-  
 gentiis præditæ, vel quòd abs te dono datæ. Petit in-  
 super abs te Prorex, pro ea, quam habet tui fidu-  
 cia, hoc ut sibi à Pontifice impetres, ut quoties ipse,  
 ejus uxor, & liberi confiteantur, toties omnibus fru-  
 antur Indulgentiis, quas perciperent, si septem Urbis Ec-  
 clesias ritè obirent. Hoc si perficies, næ ille pluri-  
 mum tibi debet: & simul me aliquid apud te posse  
 existimabit, si meis hisce adductus litteris, suo ad te  
 nomine scriptis, hæc quæ dixi beneficia a Pontifice  
 Maximo impetraveris. Sed finem scribendi facio, Chri-  
 stum Dominum obtestans, ut qui pro sua infinita mi-  
 sericordia nos conjunxit in vitæ ratione, post mortem  
 item in sempiterna felicitate jungat.

XII. \* Kal. Octobris, anni à Christo nato MDXLII.

Goâ.

Tuus in Christo filius

Franciscus Xaverius.

EPI-

• Cutillas: 18. die Oct. 1543. Plura de his literis n. p. LXXXIV.  
 Prolegom. in S. Xaverium.



## EPISTOLA XXII.

20.

Dec.

Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ .

1543.

al. 20.

*De Indulgentiis, de confirmandi potestate Proepiscopis deleganda, de Quadragesima transferenda, & de Conimbricensi Societatis Collegio.*

Sept.

1542.

Gratia & charitas Domini nostri Jesu Christi, &c.

1. **P**rætor Indiæ, cui nos omnes, qui hic sumus, quique Romæ versantur, tum propter summum ejus studium cultus divini, tum propter egregiam erga nostrum Ordinem voluntatem debemus plurimum, rogavit me, ut de quibusdam horum locorum spiritualibus necessitatibus facerem te per litteras certiore. Itaque cum & ipse tantoperè ad pias res sit propensus, & ejus postulata pietati virtutique congruant, facile adductus sum, ut hæc abs te ejus nomine postularem.

2. Primùm igitur quoniam Indi S. Thomam Apostolum, Indiæ patronum, sanctissimè colunt; ad hujus venerationis & cultus amplificationem, vellet in diem Apostolo sacrum, & septem insequentibus plenam Indulgentiam à Pontifice Maximo impertiri iis duntaxat, qui per eos dies ritè confessi ad sacram Eucharistiæ accesserint mensam. Hanc ille conditionem idcirco videlicet requirit, ut populus ad sacram Confessionem Communionemque inducatur, dièsque festus piè sanctèque, ut par est, celebretur; præsertim verò cum Quadragesimæ tempore (quod his locis in æstatem incidit) omnes hic sint in armis. Quippe Indi terrâ, Lusitani mari dominantur. Quo fit, toto ut sacro illo tempore in re militari ac navigatione consumpto, milites ac mercatores vulgò sint Confessionis & Eucharistiæ prorsus expertes. Quocirca Prætor, ut homines ad Sacramenta pelliciantur, hanc à Pontifice Indulgentiæ illecebram postulat; quæ sanè erit quasi altera Quadragesima.

3. Pe-



20. 3. Petit deinde, ut hujus urbis nosocomiis hoc **1543.**  
*Dec.* Pontifice impetres beneficii, ut ægroti, eorūque ad-  
*al. 20.* ministri, quoties confessi Christi Corpus accipient,  
*Sept.* omnium peccatorum suorum indulgentiam consequan-  
**1542.** tur: morientes autem culpâ pariter absolvantur & pœ-  
 nâ. Id verò eam ob causam expetit, ut ægri Sa-  
 cramentis utantur frequentius; valentes autem liben-  
 tius inserviant ægris, atque in piis operibus se exer-  
 ceant; omnes denique Deum castè pièque veneran-  
 tes exemplo sint Ethnicis, inter quos versantur &  
 vivunt.

4. Jam Prætor ut eximiâ pietate Dei parentem co-  
 lit, summâ religione ejus dies festos agit. Is multò ma-  
 ximam anni partem magna cum cohorte versatur Goæ.  
 Hæc urbs sita est in insula ejusdem nominis, quæ pa-  
 tet millia passuum fermè decem. In insula autem sunt  
 aliquot B. Mariæ templa sanè religiosa & opulenta,  
 ædificiorum specie, vestibus Sacerdotum, sacrâ supel-  
 lectili, ministrorum frequentiam cultūque visenda; quæ  
 cæteris instructa & ornata rebus spiritualia tantum or-  
 namenta desiderant. Itaque Prætor, quoniam maximo  
 apparatu ædes illæ suo quæque tempore festos B. Vir-  
 ginis agitant dies, ad augendam eorum celebritatem,  
 veramque B. Mariæ religionem postulat, ut sacris eis  
 diebus, quicumque post sacram Confessionem Commu-  
 nionemque ritè factam, illa templa piè ac religiosè  
 adierint, delictorum omnium referant indulgentiam.  
 Nimirum ejusmodi beneficiis præter cæteras Christiano-  
 rum regiones eget India, ubi in maxima Christianorum  
 multitudine (complures enim Lusitani, plurimi Neophy-  
 ti sunt, multi etiam quotidie Christiani fiunt) mira est  
 Sacerdotum paucitas. Itaque per Quadragesimæ tempus  
 confessiones omnium audiri nullo modo possunt. Præ-  
 tor autem id agens, ut nemo hic Confessionis & Com-  
 munionis expers vivat, hæc quæ dixi, postulata per  
 te edit Pontifici Maximo, ut omnes Sacramentorum  
 participes esse cupiant, verisque thesauris nobis à Chri-  
 sto Domino ad sempiternam beatitudinem comparan-  
 dam relictis utantur.



5. Est in hac urbe, ut in plerisque aliis Christiano-  
 rum locis, honestorum hominum Sodalitas, quæ hoc  
 suscepit, ut indigenas Christianos tum veteres, tum  
 novos rei familiaris inopiâ laborantes sublevet. Misericordiae Sodalitas appellatur, totâque è Lusitanis ho-  
 minibus constat. Incredibile dictu est, quàm studiosè  
 ac sedulò in miserorum egestate sublevendâ hi boni  
 viri operam navent Deo. Ad horum igitur benigni-  
 tatem magis accendendam postulat Prætor à Pontifi-  
 ce, ut Sodalibus confitentibus & communicantibus,  
 quot annis cumulata peccatorum Indulgentiam; mo-  
 rientibus verò, culpæ simul ac pœnæ absolutionem  
 largiatur. Et quoniam plerique eorum uxores habent,  
 eadem viris cum conjugibus beneficia vellet esse com-  
 munia.

20.  
 Dec.  
 1543.,  
 al. 20.  
 Sept.  
 1542.

6. Lusitani non maris solùm Indici potiuntur, sed  
 etiam in ora maritima complura oppida præsi-  
 diis tenent, ubi cum conjugibus ac liberis habitant. Hæc lo-  
 ca intervallis sunt disjuncta maximis. Velut Goa di-  
 stat à Moluco, ubi arx est Regis Lusitani, leucas  
 circiter mille; à Malaca, quæ urbs Christianis est  
 sanè frequens, leucas quingentas; ab Armuzia, ur-  
 be præclara & ab Lusitanis valde celebrata, leucas  
 CCCC. ab oppido Dio leucas CCC. à Mozambico leu-  
 cas CM. à Sofala leucas MCC. Hisce omnibus in op-  
 pidis Episcopus Goanus singulos habet Vicarios, quod  
 ea propter maxima locorum intervalla intervire ipse  
 non queat. Itaque Prætor, haud ignarus, quàm ne-  
 cessarium sit Confirmationis Sacramentum versantibus  
 inter barbaros, & adversus Ethnicos perpetuò bellan-  
 tibus, petit à Pontifice, ut ad Christianam fidem in  
 India stabiliendam, Episcopo faciat potestatem Confir-  
 mationis suis Vicariis committendæ; cùm tam disjun-  
 ctis locis unus Episcopus satisfacere, ut maximè velit,  
 minimè possit.

7. In hoc terræ tractu adeò natura statutas tem-  
 porum mutat vices, ut cùm in altero Indiæ latere æ-  
 stas viget, hoc alterum hieme urgeatur: contrâque  
 cùm illud hibernis laborat frigoribus, hoc æstivi fervo-



20. re Solis exæstuet. Atque æstate quidem hîc incredi-  
*Dec.* bilis æstus existit: quippe Solis vapor est tantus, ut  
 1543., pisces, simul atque extincti sunt, putrescant. Itaque  
*al. 20.* per æstatis tempus, dum hoc mare navigatur, illud  
*Sept.* alterum clausum est, quippe quod usque eò concita-  
 1542. tur procellis, ut ei se committere audeat nemo. Qua-  
 dragessimæ autem tempore, ut suprâ dixi, milites om-  
 nes armati instructâ classe exeunt in expeditionem,  
 itèmq; mercatores commercii causâ ultrò citròque  
 commeant. Hic enim Lusitani, qui mari potius quàm  
 terrâ potiantur, mercaturam vulgò faciunt; eaque se,  
 familiàsque sustentant suas. Quamobrem cùm propter  
 æstus intolerabiles, quos dixi, tum propter continen-  
 tem Lusitanorum navigationem, Quadragesima jacet,  
 paucis admodum jejunii legem servantibus. Mandavit  
 igitur mihi Prætor, ut te de tota re docerem sedulò,  
 & simul per Deum obtestarer, ut Quadragesimam in  
 menses Junium ac Julium (si quomodo fieri possit)  
 per Pontificem Maximum rejiciendam his locis cures.  
 Siquidem eo tempore non solùm se frangunt calores,  
 verùm etiam propter maris agitationes navigatio con-  
 quiescit. Itaque ob ipsam anni temperiem & plerique  
 facilè jejunarent, & omnes Quadragesimæ admonitu  
 facilè parerent confitendi communicandique legibus.  
 Postulatum est ejusmodi (nisi quid tu secùs) ut ad  
 Dei cultum maximè pertinere videatur. Rogat te ve-  
 hementer Prætor, quidquid in hoc genere effici potue-  
 rit, ne prætermittatur procuratoris incuriâ. Horum  
 omnium laborum illud erit præmium, quòd omnium,  
 qui hîc sunt, tibi voluntates conciliabis; & divini  
 cultûs, meritorùmque, quæ ex hisce beneficiis conse-  
 quentur, particeps eris. Vale.

Goâ XII. \* Kal. Octob. anni MDXLII.

8. Olyssipone discedens scripsi ad te de Collegio  
 quodam Societatis, quod Conimbricæ in publico Gym-  
 nasio Rex constituere decreverat. Mandavit is mihi,  
 ut ali-

\* *Cutill.*: 20. Decembris 1543.

Minimus filius in exilio maximo  
 Franciscus.



ut aliquot è Societate ad eam rem per litteras postulare, suamque opem ac studium ad ejus Collegii aedes, dorèmq; deferrem; laborari enim illis locis idoneorum hominum penuriâ, qui tanto tot locorum intervallo disjunctos Ethnicos populares (1) suos Jesu Christi fide ac præceptis imbuant. Tu velim, quid super hac re actum sit, quam primùm facias me certiolem.

20.  
Dec.  
1543.  
al. 20.  
Sept.  
1542.

Tuus in Christo filius  
Franciscus Xaverius.

EPISTOLA XXIII. (2)

Ignatius Cardinali Marcello Cervinio.

24.  
Jun.  
1543.

*De Innocentii III. decreto in egrotantium salutem a medicis observando.*

Rñno Præsuli & Dño meo ac Parenti in Christo colendissimo Cardinali Sanctæ Crucis.

Jesus.

Foris  
ad  
ver-  
bum.  
Intus.

Amplissime mi Dñe & Parens in Christo colendissime.

Summa gratia & amor æternus Christi Dñi nostri Dominationi vestræ Rñmæ salutem & consolationem plurimam impartiatur.

**A**mplitudinis vestræ litteræ, sexta decima die datæ, cum ad me vigesima prima sint allatæ, heri cum apud amplissimum Legatum eò me sermonem convertente, ut Innocentii III. decretum a medicis observari, prospiceretur; rem se & ad aulam retulisse, mihi

P p 2

con-

(1) Hispanicè Cutillas: Vasallos suyos.

(2) De hac epistola, & ejusdem argumento dicta sunt multa a p. 24.: accepi æm litteras Florentiæ datas 15. Januarii 1802. cum alio ejusdem ecgrapho, descripto a Marco Tosio Chartophylace Ducalis tabularii veteris; qui attestatur, se in dicto tabulario eam invenisse cum adjuncto testimonio P. Jo: Antoni Ceccardi Rectoris



24. confirmavit Amplitudo sua ; quò videlicet sanctior hæc  
 Jun. observantia redderetur, firmitusque in posterum consti-  
 1543. tuta ; & soluto Cæsaris cum Pontifice conventu, ex-  
 pectare se ab Illmo Farnesio responsum cum decreto  
 opportuno : quippe res erat tota Sanctitati suæ probè  
 cognita, opusque ipsum mirificè ab ea commendatum  
 pro eximio, quo tenebatur, observantiæ, quam dixi,  
 desiderio. Ego itaque Dominationem vestram Illmiam,  
 quam egregio prorsus animo ad opus istud compara-  
 tam non ignoro, certiozem de his faciendam duxi ;  
 quòd nimirum amplissimus Legatus, per litteras admo-  
 nitus Dominationis vestræ, Illmi Farnesii litteris con-  
 junctas, de Pontificis approbatione in dubium minimè  
 revocanda, continuo rem exequetur. Deum Dñum  
 nostrum oro, ut amplissimam Dominationem vestram  
 supremi sui Numinis afflatu in omnibus prosequatur &  
 regat.

Roma VIII. Kal. Jul. 1543.

Humillimus, & perpetuus

in Dño nostro servus

Ignatius.

EPI.

Collegii Soc. J. Orvietensis subscripto die 29. Junii 1641., quo af-  
 firmat se illam accepisse a P. Leonardo Cresci Rectore Collegii An-  
 conensis, ubi religiosè archetypus colebatur. Hac ille pluribus. In  
 exemplo hujus Ignatiana epistola ad me misso mendosè descriptus  
 est annus 1553., pro 1543.: utrum primo, an secundo describentis  
 oscitantia, nihil refert. Nec mirum, si seculo & eo amplius a  
 Ceccardio ad Lagomarsinium, epistola hujus primum editorem, no-  
 bilissima domus Cervinia sacrum illum archetypum ab Anconensi  
 Collegio impetraverit. Epistola initium, quo inscriptio, & urbana  
 religiosaque simul salutatio continetur, Ignatiano stilo accommoda-  
 vi; reliquum aliorum concinniori stilo libens concessi.



## EPISTOLA XXIV.

13.  
Aug.  
1543.

Ignatius Margaritæ Austriacæ.

*Commendat Patrem Ordinis Prædicatorum, ut afflicto  
& pœnitenti solatium & gratia impetretur.*

Jesus.

Excellentissima Domina mea in Dño nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Dñi nostri  
salutet ac visitet Excellentiam vestram.

Cum meus Petrus Codacius Canonicus Mediolanensis, qui nobis ac novæ flagitiosarum domui omnia procurat, nunc curiam adeat ad impetrandam confectionem, seu absolutum illarum Bullæ testimonium propter quandam dictæ domus, earumque sodalitiis necessitatem; hac ego idonea usus opportunitate, quoniam Pater quidam Ordinis S. Dominici literas mihi attulit, in quibus magnopere ab iis commendatur, quibus ubi justè atque honestè mea sententia possim, salva religione deesse non debeam, nec verò ausim renuere, constitui has tibi literas ad majorem Dei gloriam conscribere, præcipuè cum eam huic patri Dominus Deus noster gratiam contulerit (quod ab ipso rescivi), ut maxima ipsius vexatio atque mœror Excellentiæ vestræ auribus insonaret. Cum autem hoc inter præstantissima misericordiæ opera egregium planè sit, solari scilicet animum summo mœrore atque dolore confectum, non possum non pro illo intercedere, Vestramque Excellentiam submissè deprecari, eoque magis quod mihi eximia suppetunt experimenta, quibus novi Excellentiam vestram ad omnia misericordiæ opera in Dño nostro paratam omnino atque propensam: ne tamen acris viderer intercessor ac deprecator in re, quæ non videretur facienda, justa, & meritoria, habità etiam ra-



13. tione repulsæ non ferendæ , & ipse rem in Dño per-  
*Aug.* pendit , & eandem cum aliis viris doctis , & Pœniten-  
 1543. tiariis contuli : atqui omnibus omnino res visa est me-  
 ritoria & commendatione digna , maximè cum miser  
 ille fuerit per triennium ob admissam culpam carceri  
 addictus , atque octo vel novem annorum spatio pluri-  
 bus pœnis piacularibus affectus ; nunc autem huc ad-  
 venerit Superioris sui licentia , doctorumque suæ reli-  
 gionis virorum consilio , ut habita facultate possit ani-  
 mam suam divino sacrificio consolari . Quod tamen , ut  
 hîc quidem sit ad offensionem vitandam , ita intelligen-  
 tur , ut non ibi , ubi delictum est admissum , celebre-  
 tur , sed alibi publice vel privatim , prout Superiori  
 suo & ordini ad Dñi Dei nostri gloriam aptius videbi-  
 tur : qua etiam ratione Sua Sanctitas multo facilius ,  
 libentiusque solutum & immunem reddet , atque ani-  
 mam ejus solabitur . Et quoniam & hæc & cetera om-  
 nia meo Petro Codacio planè committo , non secus ac si  
 adessem ipse , finem facio rogando & submissè Dñum  
 Deum nostrum precando , ut divinâ sua , æternâque  
 bonitate omnibus in rebus Excellentiam vestram regat  
 & gubernet .

Roma 13. Augusti 1543.

Excellentiæ vestræ

*Humillimus & perpetuus*

*servus in Dño nostro*

*Ignatius .*

Domina Carpensis Comes quan-  
 quam non omnino , melius  
 tamen valet : immortales sint  
 gratiæ datori vitæ omnis in-  
 ternæ & externæ ad amplio-  
 rem suam laudem , obsequium,  
 & gloriam .

EPI.



... de ...  
... de ...  
... de ...

... de la ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...

... de ...  
... de ...







## EPISTOLA XXV.

15.  
Nov.

1543. Hæc epistola, de cujus præcipuo argumento plura dicta sunt a pag. 28. n. 28., eodem quoad ejus fieri potest modo hîc describitur, quo est in archetypo: de quo interior hierothecæ inaurata corona vetusto & nitido caractere sic ait:

Carta de S. Ignacio Fundador de la Compañia de Jesus, escrita toda de su mano propia en el año del Señor de 1543.

Barcelona.

Iñus

La suma gr̄a y amor de C̄hro n̄ro Señor sea siempre en n̄ro continuo favor y ayuda. Primero, aviendo entendido su Divina Voluntad seer complida en llevar y sacar de los trabajos presentes desta vida a la v̄ra y n̄ra en el Señor n̄ro hermana luysa, con muchas razones y señales teniendo por cierto q̄ esta en la otra

5. llena de gloria para siemp̄ sin fin, de donde (nosotros no la olvidando en las n̄ras aunq̄ indignas y pobres oraciones) espero nos favorecera y pagara con santa usura; por tanto si alargando, hablase palabras de consolaros en alguna manera, pensara hazeros injuria, juzgando q̄ en todo os conformais (como debeis) con la suma y eterna providencia, toda para n̄ra mayor gloria. 2.º quanto al

10. habito yo! . . . . .! . . . . . eis tenido una sentencia per v̄ra parte, y aunq̄ no la . . . . .: . . . . . 'endo confirmacio de la Sede Apostolica, no . . . . . e cierto, q̄ estais conformes al serviº y voluntad diu . . . . . ºbligue a pecado . . . . .

15. aventurad . . . . . onfirmada por el Vicario de C̄hro n̄ro Señor o con su auct. . . . . - la regla de Sant Benito de Sant Fran.º, o de Sant', . . . . . sus propias fuerzas obligue a pecado alguo, mase . . . . . es confirmada y auctorizada con la Sede Apostolica) . . . . . e la tal regla infunde. 3. quanto al comulgar cada dia sabemos q̄ en la Primitiva Yglia, todos se comulgaua cada

20. dia, y que no hai en contrario cano ni escritura alguna de la n̄ra Sancta Madre Yglia ni dizen los Teologos escolasticos, ni positivos q̄ no puedan comulgar cada dia las personas que son movidas por devocion, y si el bienaverado Sant Augustin dize q̄ comulgar cada dia ni lauda ni vitupera, en otra parte deziendo q̄ exorta a todos a comulgar todos dias de domingos, mas adelante dize hablando del cuerpo sacratissimo de C̄hro n̄ro Señor, este pan es cotidiano, luego asi vivid, como cada dia podais recibir; esto todo seyendo asi, aunque no ubiese tantas buenas señales ni tan sanas mociones, el bueno y entero testimonio es el propio dictame de la conciencia, es a saver, despues de haber examinado bien la propia conciencia, si delante de Dios viereis en ella indicios

30. claros (o que podais juzgar por tales) que v̄ra anima mas se ayuda y mas se inflama en el amor de v̄ro Criador y Señor y con tal intencio, os comunicais, hallando por experiencia, q̄ este Sanctissimo manjar spual os sustenta, quieta y reposa, y conservando, os aumenta en su mayor serviº, alabanza y gloria, no dubitando, os es licito, y os sera mejor


35. comulgar os cada dia, y porq̄ desto y de otras cosas habiendo comunicado asaz con el licenciado Araoz que esta dara, al qual en todo remitiendome en el Señor n̄ro ceso rogando a Dios n̄ro Señor por la su infinita clemencia, en todas cosas seais guiada y gobernada por la su infinita y suma bondad.

De Roma 15. de Noviembre de 1543.

De bondad pobre

Injgo.







## EPISTOLA XXV.\*

15.  
Nov.

Religiøsæ Barcinonensi . Barcinonem .

1543.

*Primum de sororis morte consolatur : dein de religiosa vita nescio quid : tertio de quotidiana S. Eucharistiæ sumptione profert de Thesauro suo nova & vetera .*

Jesus .

Summa gratia & amor Christi Dñi nostri adsit nobis semper continuo favore & auxilio .

1. **P**rimò, cum Deo planè volente factum esse cognoverim, ut Aloisia, tua soror ac mea in Domino nostro, a præsentibus hujus vitæ subducta miseris auferretur; multisque argumentis & signis certum habeam, ipsam in altera esse plena gloria sempiterna & infinita, unde spero (retentà in meis indignis licet & imbecillis precibus, ejusdem continenti nec intermissà memorià) nobis præsidio fore, & sancto etiam cum fœnore repensuram: quare si multis tecum agerem, ut aliquam tibi consolationem afferrem, injurius in te mihi viderer, cum sentiam te (ut debes) omnino acquiescere summæ & æternæ providentiæ, quæ tota majori nostræ gloriæ intendit.

2. Secundo, quod habitum spectat... *De hac secunda parte judicet lector ex reliquiis ejus intercisis.*

3. Tertio, de communione quotidiana notum est  
atque

\* De Antonia Strada, & de Regadella, Religiosis Barcinonensibus S. Ignatii familiarissimis, dictum est pag. 2. & 6.: quibus addo ex literis indidem acceptis, in tabulario monasterii Religiosarum a S. Hieronymo servari ephemeridem manu scriptam, cujus folio 17. hæc notantur: Suor Brigida Vincenza Monja Chorista fue persona de gran Religion, y a quien el P. Ygnacio tuvo por Madre todo el tiempo, que estuvo en Barcelona, comunicando cada dia cosas de espíritu, y secretos del Cielo. Suor Antonia Estrala persona de gran penitencia y oracion. Ceterùm cuiusnam hæc fuerit scripta, incertum.



15. *atque testatum, ut in primitiva Ecclesia quotidie omnes*  
 Nov. *communicabant, quin hisce pristinis moribus ullus adver-*  
 1543. *setur canon vel ulla Sanctæ parentis nostræ Ecclesiæ*  
*scriptura, nec docent Theologi Scholastici seu qui mores*  
*tractant, non posse quotidie communicare illas perso-*  
*nas, quæ pietate ducantur: & si beatus \* Augustinus*  
*ait, nec laudari a se nec reprehendi Eucharistiam quo-*  
*tidie accipientes; alibi suadet omnibus & hortatur Do-*  
*minicis diebus universis communicandum, tum verò po-*  
*stea de Sacratissimo Christi Dñi nostri Corpore ait,*  
*hic panis est quotidianus, sic itaque vive, ut quotidie*  
*merearis accipere. Quæ cum ita sint omnia, quamvis*  
*tot bona non suppeterent signa nec tam sani motus ani-*  
*mi, bonum tamen & firmum testimonium est mentis*  
*propriæ conscientia, scilicet postquam diligenter con-*  
*scientiæ tuæ sinus exploraveris, si coram Deo in ea vide-*  
*ris indicia clara (seu quæ possis talia judicare), unde*  
*constet animam tuam magis adjuvari, ac tui Creatoris*  
*& Dñi amore magis inflammari, atque in hunc finem*  
*Eucharistiam percipias, qua demum in te ipsâ expe-*  
*riaris, te sanctissimo spirituali hoc cibo sustentari,*  
*quietam ac tranquillam reddi, atque ita conservari ut*  
*inde ad majus ejusdem obsequium, laudem, & gloriam*  
*proveharis; minimè dubites, quin tibi liceat, utilior-*  
*que sit futura quotidiana sacræ Eucharistiæ perceptio.*  
*Et quandoquidem hac de re, atque de aliis cum Licen-*  
*tiato Araoz, qui hanc tibi dabit, abundè communica-*  
*vi, ejusdem te in omnibus iudicio & fidei committens*  
*in Dño nostro finem facio, Deum Dñum nostrum pro*  
*sua infinita clementia rogans, ut in omnibus rebus ab ip-*  
*sius infinita summaque bonitate regaris & gubernaris.*

Roma 15. Novembris 1543.

*Bonitatis pauper*

*Inignus.*

LIBER

\* De singulari hujus epistola argumento, ac de Augustini in primis testimoniis dictum est a p. 28. n. 28. & 29.



LIBER SECUNDUS  
 EPISTOLARUM  
 S. IGNATII LOYOLÆ

Ab An. 1544. ad 1550.

EPISTOLA PRIMA.\*

Petrus Prior & Generale Capitulum Majoris Cartusiæ  
 Ignatio Præposito Societatis Jesu.

15.  
 Maji  
 1544.

*Singularem bonorum omnium participationem  
 promittit & postulat.*

Frater Petrus, humilis Prior Majoris Cartusiæ, ceterique  
 Definitores Capituli generalis Ordinis Cartusiensis,  
 Reverendo in Christo Patri, ac devotis viris Do-  
 minis Ignatio Præposito, suisque fratribus  
 novæ Societatis nominis Jesu, ubique  
 locorum constitutis, salutem quam  
 præparavit Deus diligen-  
 tibus se.

**A**udita famâ odoriferâ, fratres in Domino dilectis-  
 simi, de vestra exemplari conversatione, salu-  
 tari doctrina, & voluntaria paupertate, cete-  
 risque virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorandi  
 seculi refulgentes, perhibemini homines in via perditio-  
 nis errantes ad arctam viam salutis revocare, vacillan-  
 tes stabilire, stantesque ad proficiendum in virtutibus  
 stimulare, & magnum in Domino Ecclesiæ Catholicæ  
 fructum afferre: gavisus sumus in Domino, gratias illi  
 agentes, quòd in tantâ desolatæ Ecclesiæ suæ calami-  
 tate, qua premimur, excitare dignatus est, & mittere

Qq

novos

\* Vide supra p. 36. n. 36., & Bolland., t. 7. Jul. p. 707. n. 261.



15. *Maji* 1544. novos operarios in vineam suam, recordatus misericordiae suæ. In quo quidem sancto opere, cupientes vobis pro nostro modulo cooperari, fraternitatem vestram obsecramus, per caritatem ejus, qui pro nobis non dubitavit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; sed in sancto proposito perseverantes, in omnibus exhibeatis vos, sicut Dei ministros, in multa patientia, non deficientes inter labores, pericula & persecutiones, quæ omnibus piè vivere volentibus occurrere solent: tempore enim suo metetis non deficientes. Et nos, fratres, si quid poterimus apud Dominum, Divinis sacrificiis, orationibus, abstinentiis, ceterisque piis exercitiis, quorum omnium vobis & successoribus vestris, in vita pariter & post mortem, singularem concedimus participationem, vestris piis conatibus libenter cooperabimur in Domino, postulantes, ut nos vicissim in orationum & bonorum participatione commendatos suscipere dignemini.

Datis Cartusiæ sub sigillo nostro, anno Domini MDXLIV. feria V. post Dominicam Cantate.

Sedente nostro Capitulo generali.

EPISTOLA II.\*

14.  
*Jun.*  
1544.

Ignatius Lojola Jacobo Crescentio.

*De bono pacis domesticæ, ac de religiosæ paupertatis amore.*

Jesus.

*Foris.* Domino meo in Dño nostro Dño Jacobo Crescentio.

*Intus.* Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia & amor Jesu Domini nostri visitet  
& salutet Dominationem vestram.

1. **Q**uod res hîc tam diu differantur, quamvis diligenter adlaboretur; mirum id quidem, ut arbitror, nequaquam erit Dominationi vestræ.

Quid-

\* Exterior hujus epistola inscriptio est Italica, cetera Hispana.



Quidquid autem obtineri potuit, cognoscat totum Dominationis vestrae ex adjuncto epistolio, Illūmi Dñi Crescentii sententiam continente, ejusque manu conscripto. Ego tamen pace potissimum desiderans, undique cohærere personas ejusmodi, usque adeo inter se conjunctas, facere non possum, quin propter Dei Domini nostri obsequium auctor sim Dominationi vestrae, ut, quoad ejus fieri poterit, acquiescere & conformare se studeat, concordiae nimirum causa, quæ magnæ cui-libet in speciem utilitati præstat, & tranquillitatis plenæ filiis suis ea ratione familiæque reddendæ. Id vero, quod è majori Dei gloria eadem in re futurum arbitrabitur Dominationis vestrae; det operam, ut pro ea, qua prædita est, animi pietate subito ad me rescribat: quò videlicet illud ego pro viribus, quanquam infirmis admodum, omnibus tamen exequi contendam.

14.  
Jun.  
1544.

2. Pecunias & \* rationes pauperum Domno Elpidio, è nostris uni, commisi, vestrae Dominationi perferendas ipsa plane die, qua matutino tempore profecta est Dominationis vestra. Sed cum is Dominationem vestram domi nactus non esset, pecuniæ summam cum rationibus voluit omnem matrisfamilias Dominae Joannæ custodiæ commendare; quas tamen ipsa & recusavit omnino, & etiamnum recusat accipere. Itaque ubi rationes percurrerit Dominationis vestra, injungat ei per epistolam, ut nummos in se recipiat; ususve præscribat, in quos ab ipsa convertendi sunt: si minus isthuc ego fidum per hominem deportandos curabo. Nam cum voto paupertatis non benè consonat, pecuniæ famam permanere pacto quovis apud me depositæ; vellem sane in extremo discessu ne obolum quidem, seu alienum, seu ad me spectantem, a vertice ad talos apud me reperiri, terræ corpus, aut terram potius tantummodo relinquentem. Finem facio, Deum Dominum nostrum obtestans, ut pro summa infinitaque bonitate sua gratiam dignetur nobis affatim impertiri, ad san-

Qq 2

ctis-

\* *Archetypus*: la cuenta de los pobres con los dineros.



14. ctissimam ejus voluntatem intelligendam, atque perfe-  
 Jun. cte exequendam.

1544. Roma postridie Id. Junii an. 1544.

Dominationis vestræ

*Humillimus in Dño nostro servus*

*Ignatius.*

22.,  
 al.27.,  
 Jan.  
 1545.

EPISTOLA III.

Franciscus Xaverius Patri M. Ignatio, Præposito  
 Generali Soc. Jesu: ita *Cutillas*.

*Urget quæ biennio ante postulavit. De Sociis in India  
 perutilibus. Universæ Societatis precibus se com-  
 mendat, petitque nuntios de rebus Socie-  
 tatis, ac de veteri amico.*

Gratia & charitas D. N. &c.

*Pater mi amantissime.*

1. **C**um omnibus Collegii S. Fidei studiosis, tum ve-  
 rò Prætori, qui studio vincit omnes, ut morem  
 geras, te oro atque obtestor per Deum; nimirum, ut  
 si fieri potest, mittas aliquando ad nos illa, quæ tibi  
 mandarunt: Diplomata, inquam, quæ te à Pontifice  
 Max. curare voluerunt, ut Aræ maximæ hujus Collegii  
 facultas detur unius animæ ex Purgatorio liberandæ,  
 quoties ad eam Sacrum fiat pro mortuo, cum ea con-  
 ditione, quam ab hinc biennio ad te scripsi, Prætoris  
 nomine. Cætera \* item expectamus, de quibus tum ejus-  
 dem jussu ad te litteras dedi.

2. Socii neque audiendis confessionibus, neque con-  
 cionibus habendis, neque ceteris Societatis muneribus  
 obeundis idonei, post legitimam meditationum exerci-  
 tationem, & menses aliquot in humilibus abjectisque  
 ministeriis exactos, magno usui essent hisce in locis, si

COR-

\* *Cutillas*: los otros Breves.



corporis robore pariter & animi virtute pollerent. Nam 22.,  
 in his Ethnicorum terris doctrina minimè \* est necessa- al.27,  
 ria: sat est, non esse planè rudem litterarum, ut pueris Jan.  
 atque idiotis solemnes preces & præcipua mysteria 1545.  
 tradere, oppidâque & vicos obeundo, infantes modo na-  
 tos baptizare norint. Horum quippe multi pereunt sine  
 Baptismo, quòd tam multis, tamque disjunctis inter se  
 locis adesse nequeamus in tempore. Proinde ex istius-  
 modi hominibus parum istic appositis ad Societatem,  
 quos videris aptos ad circumeunda hæc loca infantes ba-  
 ptizando, & Catechismum tradendo idiotis, huc ad nos  
 mittito; hic enim egregiè operam locabunt suam. Hos  
 ego magnis corporis viribus, & patientes laboris esse  
 volo: quoniam hæc terra laboriosissima est, tum pro-  
 pter maximos calores, tum verò propter salubrium a-  
 quarum inopiam, alimentorùmque tenuitatem. Alimenta  
 quippe sunt oriza, piscis, & lac, prætereà nihil, non  
 panis hic est, non vinum, non cetera, quibus isthic  
 abundatis. Adolescentes igitur ac sanos, non imbecillos  
 ac vetulos desidero, ut assiduum baptizandi, docendi,  
 circumcursandi laborem perferant; cum præsertim sæ-  
 pè non modò recentes baptizari infantes, sed etiam  
 novos Christianos ab Ethnicorum furore ac rabie prohi-  
 beri oporteat. Nonnunquam etiam singulari Dei bene-  
 ficio ejusdem causâ capitis discrimen est subeundum,  
 quod salvâ charitate vitari non potest. Sed meminisse  
 debent, nos natos esse mortales: nihil autem optabilius  
 Christiano, quàm mortem oppetere pro Christo. Quam-  
 obrem oportet eosdem animi robore ac divina virtute  
 septos esse. Et quoniam ego ejusmodi roboris ac vir-  
 tutis expers in ea loca proficiscor, ubi vel maximè in-  
 digeam cœlesti ope, te per Deum, ejusdemque cultum  
 obtestor, ut in tuis sacrificiis mei nominatim ipse re-  
 eorderis, meque insuper universæ Societatis precibus  
 muniendum sedulò cures. Sic enim mihi persuadeo, tuâ  
 ac Societatis deprecatione multis magnisque periculis  
 esse

\* *Hispanicè Cutill.*: no se requiere tanto la doctrina como la buena vida; hoc est: non tam doctrina est necessaria, quam probitas.



22., esse me divinitus ereptum. Hæc eò ad te scribo, ut  
*al.27.,* intelligas, cujusmodi viris *hæc* opus sit. Verumtamen si  
*Jan.* quos videris, viribus quidem ad ea, quæ dixi, incom-  
*1545.* moda sustinenda satis præditos, ceterum ad vitæ peri-  
 cula adeunda parum alacres ac paratos, mittas tamen  
 velim. Neque enim desunt regiones, ubi sine capitis  
 periculo operam dent rei Christianæ. Ac memento,  
 ad venandos hosce Ethnicos haudquaquam opus esse  
 multis litteris. Nimirum istiusmodi hominibus, ubi ali-  
 quot annos erunt in his locis versati, satis virium at-  
 que animorum ad majora opera addetur divinitus. Aptos  
 quoque confessionibus excipiendis, tradendisque exer-  
 citiis spiritualibus, etsi majori labori ferendo non sint,  
 mittas licebit: hi enim aut Goæ, aut Cocini habita-  
 bunt; quibus in civitatibus & magnoperè juvare po-  
 terunt rem Christianam, & ipsi omnium rerum, item  
 ut in Lusitania, habebunt copiam: etenim, ut illæ ur-  
 bes Lusitanorum familiis frequentantur, imbecillitatis  
 morborumque subsidia utique non deerunt: est enim  
 utrobique & Medicorum & medicamentorum satis. At  
 ceteris in locis, quæ Lusitani non incolunt, cujusmodi  
 sunt ea, quæ nos in præsentia peragramus, ægrotan-  
 tium auxilia suppetunt nulla. In utraque earum civi-  
 tatum, quas modò dixi, civibus exercitiorum spiritua-  
 lium usu excolendis præclarè opera navari potest.

3. Ab hinc quadriennio solvimus ex Lusitania, ex  
 quo tempore unam omnino abs te epistolam ab urbe,  
 à Patre Simone è Lusitania duas accepi. Valde aveo  
 mi Pater de te, ceterisque Sociis quotannis aliquid co-  
 gnoscere. Non dubito quin \* singulis annis des aliquid  
 ad me litterarum, sicut ego ad te dare soleo: sed ve-  
 reor, ne utrisque intercidentibus epistolis, sicuti ego  
 tuas, ita tu vicissim desideres meas. Duo è Societate  
 hoc anno veniebant in Indiam; sed navis, quæ vehe-  
 ban-

\* *Totam periodum usque ad desideres meas, Cutillas absolvit  
 his verbis: No dudo que en cada un año me escriba V. Santa  
 Charidad, dandome este consuelo. Alio itaque exemplo usus est  
 Cutillas, alio Tursellinus: quæ ille suppediavit, caractere Italico  
 distinxit.*



bantur, nondum tenuit Goam: utrùm in Lusitaniam re- 22.,  
 verterit, an Mozambici (in qua insula naves Lusitanæ al.27.,  
 hibernare solent) hiemaverit, nescio. Jan.

4. Pervelim scire, utrùm vetus ille amicus noster 1545.  
 mulâ vehatur. Nam si etiamnum vehitur, similiter ut  
 cum hominem isthuc reliqui, magnam ejus imbecillita-  
 tem esse oportet, qui tot Medicis ac medicamentis  
 nondum perficere potuerit, ut pedibus ingrediatur suis.  
 Novi ad te quod scribam, nihil habeo, nisi ut huc ad  
 nos mittas quàm plurimos, quando hic est tanta ope-  
 rariorum penuria. Deum oro, ut si numquam posthac  
 nos inter nos in hac vita visuri sumus, certè in beata  
 illa cum majore, quàm hic est, quiete revisamus.

VI. Kalendas \* Februarias anni MDXLV. Cocini.

*Minimus filius in exilio maximo  
 Franciscus.*

EPISTOLA IV.\*\* 1545.

Ignatius Lojola Franciscó Borgiæ.

*Borgiam mirificè laudat, seque deprimit; de christiana  
 cordis demissione, ac de fructibus panis Eucharistici  
 egregie disputat: denique Gandiensi Collegii  
 administrationem commendat.*

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
 salutet ac visitet Dominationem vestram.

I. **A**ceptis pridie Kal. Novemb. litteris, quas Am-  
 plitudo vestra IX. Kal. Aug. proprio ad me  
 chirographo dedit, mirifice in Domino delectatus sum:  
 ex eis namque facile perspexi, Amplitudinem vestram  
 usu

\* *Cutillas*: 22. Januarii.

\*\* *In Codice Florentino*: Carta del P. Maestro Ignacio para  
 el Duque de Gandia: Mi Señor en el Señor nuestro, &c.



1545. usu potius, ac familiari cum Deo consuetudine, quam alieno tradita magisterio, comparasse, quæ solet iis Divina Bonitas impertiri, qui se ei in omnibus, tanquam boni nostri totius parenti atque perfectrici, unice permiserunt. In perpetuum porro laudetur usquequaque nomen sanctum ejus, & a rebus creatis celebretur universis; ut quæ in eum sanè finem, tam per se justum, tamque jure debitum, conditæ sunt & institutæ. Ad illa verò, de quibus scribis mecumque comunicas, partem aliquam singillatim persequenda veniens; primum quidem, quod ais, meis te apud Deum precibus adjuvari cupere, ac per litteras etiam recreari; nihil est profecto, quod ad precandi studium attinet, *cur officium hac in re meum desideres* \*: quoniam & in præsentia id quotidie præsto, nedum antea unquam prætermiserim, plane in Domino persuasus, quod, si meas aliquando preces quidquam ponderis apud eum habuisse videatur, a Divina prorsus munificentia & benignitate profectum; pioque deinde & recto pariter Amplitudinis vestræ desiderio referendum esse, non dubitem. Atque ego quidem, cum frequentem adeo vestri memoriam in Domino peregerim, satis me etiam fecisse existimabam Amplitudinis vestræ postulationi, qua mearum solatium litterarum optare se, significat; illud nempè apud me reputans, *assiduam* inter se quoscumque recordationem habere, dum a semetipsis egressi, in Deum ingrediuntur Creatorem suum; & gaudium inde delectationemque percipere, mirum contemplantis modum, quo summa ejus & æterna Bonitas, per creata cuncta se diffundens, potentia sua architectatur, & præsentis Numine conservat universa. Harum plerisque rerum aliisque id genus multis, facile adducor ut credam, Amplitudinem vestram oblectari: Deum quippe unice diligentibus nulla non inservire novimus, & adjumentum afferre; tum quò majori augeantur merito-

\* *En verba Hispanica, qua visa sunt interpreti supplenda*: Es verdad que en la primera parte aviendo continuado, como lo hago cada dia, esperando en el Señor nuestro, que si algun favor alcanzare, será todo de arriba,...



1545.  
 ritorum cumulo; tum etiam, ut arctiori caritatis vinculo copulentur & jungantur Creatori suo. Tametsi ex parte sua, ut recte admodum inquit Amplitudo vestra, impedimenta non rarò ingerit homo; ne videlicet in ejus animo Deus, pro eo ac vellet, constituta perficiat. Neque id antea solùm, quam peculiaribus beneficiis, donisque inter agendum, & Spiritus S. consolationibus afficiatur; verum etiam postquam hausta jam sunt & infusa divinitus charismata; quibus anima, supernis illustrata luminibus, omnique discussa caligine, ac sollicitudinis æstu liberata, gaudio perfunditur & mira jucunditate. Subsidiis etenim quanquam salutaribus hisce locupletata, quorum ope in æternarum tota rerum amorem, perennisque gloriæ desiderium non sine summa abripitur voluptate; adhuc tamen, nullius penè momenti (quæ nostra est levitas) cogitationibus se se dissolvens, cælestium tot bonorum copiam sinit per imprudentiam dilabi. Ut adeo & communicandis a Domino gratiæ donis aditum obstruamus; & de retinendis, ubi collata nobis sunt, parum sollicitemur.

2. Quæ quidem de impedimentis ejusmodi disputatio licet eò ab Amplitudine vestra instituat, ut majorem inde sui demissionem in Domino conquirat, nosque altius extollat, qui abjectiores esse desideramus; quando ex iis, quæ de Araozio e Lusitania cognovit, affirmare non dubitat, Societatem hanc impedimento nequaquam esse, quominus in ea Deus agat pro libito, quæcumque velit; ego sane, quod ad me spectat, persuasum habeo, & ante & post in me uno omne penitus hæerere impedimentum: ac de eo etiam permagna alioqui animum voluptate & lætitia in Domino delibutum sentio; propterea quod nullam mihi rem, quæ bona utcumque existimari queat, adscribi posse perspicio. Atque illud item statuo, si modo iis, qui peritiores in hac parte sunt, aliter non erit visum; neminem profecto, nedum paucos, quamdiu mortalem degit vitam, juste omnino decernere aut æstimare valere, quantum pro se quisque impediatur, quantumve in anima sua Divinæ benignitatis consilia operationemque corrumpat.



1545. pat. Credo equidem, quo magis in christiana humilitate & caritate usu quis erit atque exercitatione versatus; eo acrius subtilissimas etiam perspecturum *cogitationes*, ac minutissima quæque deprehensurum, quæ moram ei & detrimentum pariunt: exigui quamvis, utpote summè levia, vel prope nullius per se momenti sint in speciem. Ea tamen ad unum omnia cognoscere, quæ culpa nostra importantur à nobis ipsis impedimenta, præsentis vitæ non patitur conditio: unde a noxis, quas ignorabat, immunem se Propheta præstari cupit; & Paulus, cum earum quoque inscium se profiteatur, *adjungit* nihilominus; justum se non idcirco reputari.

3. Jam vero, cum propter consuetam Dei infinitamque clementiam ingentes adeo in doctrina Christi processus, quasi bonus scholæ tam salutaris auditor, efficiat Amplitudo vestra; (quod in semet ipsa descendens, secumque considerans, inficiari non potest, quemadmodum ex ejus me litteris arbitror intelligere) in eo, qui me judicaturus est in æternum, vehementer opto; ut sollicite contendat, opereque quantum in se erit, Amplitudo vestra nitatur, complures alios disciplinæ ejusdem sibi adsciscere *condiscipulos*: facto primum a *domesticis* initio; erga quos majori obligatione constringimur, ut rectiori eos ad Christum Dominum, ac securiori deducamus via. Ea autem cum ipse sit, ut testatur ipsemet; maximas Bonitati ejus ago gratias, quod tam crebrò (prout ad nos est huc allatum) ad eum in Eucharistia suscipiendum, accedat Amplitudo vestra. Præter alia siquidem multa & eximia gratiæ dona, quibus anima a suscepto ditatur Domino & Creatore suo, illud est in præcipuis vel maxime, ac peculiaribus numerandum; quod eam in peccato diu non patitur, nec obstinate persistere; sed simul ac vel in levissima quævis incurrit, (si tamen leve dicendum, quo Majestas læditur infinita, summumque præterea Bonum) ipsam mox facit assurgere robustiorem, firmiorique proposito munitam, Conditori suo accuratius in posterum obsequendi. Quæ porro agendi ratio cum ab Amplitudine  
vestra,



vestra, Deo aspirante, servetur; operaque simul & 1545.  
 facultas, quam a Domino pro usitata obtinuit benigni-  
 tate, in id a se sua conferatur, ut alios etiam ad Di-  
 vine Majestatis obsequium studeat revocare; desideris  
 me quidem, Amplitudinem vestram imitandi, nullo pla-  
 nè meo merito, incitari animadverto. Et quoniam ne-  
 gotiorum, quæ per me geruntur, partem aliquam, ut  
 scribit Amplitudo vestra, secum communicari deside-  
 rat, eorum nempe, quorum hic ego molem usque eò  
 gravem sustineo, cum, pro nostro agendi more, So-  
 cietatis hujus administrandæ demandata sit mihi cura,  
 sive id Divinæ ordinationis consilio, seu æternæ Boni-  
 tatis permissione contingat, immania mea & detestabi-  
 lia scelera plectentis; primùm propter amorem ac re-  
 verentiam Dei Amplitudinem vestram oro, ut suis me  
 Domino precibus commendare dignetur; auxiliumque  
 deinde suppeditare, Domus administrationem subeundo,  
 seu Collegii cujusdam præfecturam, quod isthic pro So-  
 cietatis istius adolescentibus institui cogitatur. Quando-  
 quidem Amplitudinis vestræ non minus, amplissimæque  
 Ducis domus & Sororis ejus Dominæ Joannæ, quam  
 nostra appellari debeat: vestra quippe Amplitudine po-  
 stulante atque jubente profectum, animarum nostrarum  
 gaudio non modico; ut excipiendis adolescentibus para-  
 retur: cui favorem proinde & patrocinium, quæso,  
 Amplitudo vestra conferat; quod in Domino visum fue-  
 rit accommodatius, & ad majorem Dei gloriam expe-  
 dire judicaverit. Atque eò nunc majori in Domino per-  
 fundimur lætitia; quod ad Sociorum numerum, quem-  
 admodum ex Amplitudinis vestræ litteris perspicio, ad-  
 junctus est Ducis amplissimæ, & magna quoque ip-  
 sius voluntate, è consanguineis unus. Ejus me, æquè  
 ac Dominæ Joannæ, precationibus & gratiæ multum  
 in Domino commendari cupiens, finem facio, Divinam  
 obsecrans Majestatem; gratia nos sua cumulare velit,  
 ad summam ejus voluntatem intelligendam, atque per-  
 fectè exequendam. Roma an. 1545.

*Ignatius.*



1545.

## EPISTOLA V.

Domna Joanna de Cardona P. Ignatio de Lojola,  
Præposito Gen. Soc. Jesu.

*Singularem vitæ suæ mutationem describit, seque abjectis  
omnibus in Societatis obedientiam admitti etiam  
atque etiam rogat.*

Rñe Dñe & Pater in Christo Jesu.

1. **C**um nobis huc Dominus misisset hos servos suos, tuosque discipulos ad nostrarum salutem animarum, ego quæ præ ceteris omnibus indigebam, confestim meam in manus patris mei magistri Mironis tradi. Et licet non statim eum cognoverim, cum tamen a prima hora Dominus voluntatem in me maximam excitasset, fidemque maximam, atque ita quidem ut avere cœperim actiones meas ut omnes ipse moderaretur ac regeret; certior verò facta, quædam ab eis tradi exercitia saluti animarum utilissima, eidem ut illa mihi traderet supplicavi. Non illa mihi annuit, quin immo fecit, eadem ut diutius desiderarem, donec tandem meas conspiciens lacrymas, & quos mihi motus animi Deus excitaret, caritate coactus illa mihi concessit, ac tradidit in hebdomada Passionis. Quibus profecto fecit Dominus, ut animi mei affectiones pernoscerem, quæ ipsi sunt offensionem, easdemque ut moderari percuperem. Mentem mihi aperuit, veramque viam, quam arriperem, demonstravit. Agnovi hunc mihi a Dño in suum locum fuisse suffectum, si quidem digni non sumus, qui cum Divina sua Majestate agamus nisi per internuncios, qui eidem propius inserviant; ut videre licet in beato Apostolo Paulo, cui prophetam dedit Ananiam.

2. De obedientia quidem in rebus etiam maxime arduis, ut si deberem liberos in sacrificium hostias præbere, magna illa fides quam mihi in eam dedit Dñus, infirmitatem



tem meam roboraret, ac maternum vinceret amorem ad illud liberrimè faciendum, reputando verum Dñi obsequium quidquid a sancta obedientia fuerit præscriptum; quoniam ipse factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Non cessemus eum sequi arrepta cruce, donec moriamur cum ipso. Cum autem crux, quam tollere nos possumus, sit propria cujusque nostrum abnegatio, nostræque voluntatis per sequestrem servum suum ei facta restitutio, qui nobis hanc liberam donavit; æquum est vires omnes quoad impetremus impendere, nec hostem, nec tentationes ejus pertimescere; quanquam ei mundus cum sua vanitate; ac nostra etiam imbecillitas auxilio sit, Deo sic, ut me probet, permittente.

3. Tanta mihi divinæ suæ bonitatis fiducia inest, ut omnia sperem in ejusdem obsequium fore; videns autem Pater meus qua ratione mihi Dñus perfectionem demonstraret obedientiæ, cum aliis duobus paupertatis & castitatis votis conjunctæ; ac mearum etiam contuitus lacrymarum copiam, quòd mihi ad Dño pro virili mea parte inserviendum aditus tardaretur, spectata antea vitæ ratione quàm in eundem singulis horis deliquerim: cum hinc probè intelligam, me in reliqua mea vita non posse apud Deum ulla uti compensatione, efficere & navare constitui non quidem ut debeo, sed ut pro virili possum, dando scilicet quidquid habeo; id quod totum mihi concessit, salva tamen tua voluntate, qua id sibi ex Summi Pontificis dispensatione concederes. Hæc erit obtentu facilis, tuam autem voluntatem valde vehementer in Dño & in tua caritate confido mihi non defuturam: quare tibi supplico, ut his perlectis me ad tuos pedes fracto animo atque humili prostratam, & quas habeo ac possum lacrymas effudentem aspicias, ut te persubmissè coram Deo id ipsum deprecer, quò ipsi magis magisque serviam usque ad mortem. Et quoniam tu caritate in omnes abundas, ea mihi non deerit.

4. Hoc etiam te supplex rogo, ut in istam me accipias sanctam Societatem, & sanctissimi ac dulcis nominis Jesu religionem; quandoquidem a prima infantia,  
qua



1545. qua uti cœpi ratione, hoc sanctissimum Jesu nomen in corde & visceribus meis impressum fuit; nec alio unquam nisi hoc dulcissimo Jesu nomine in rebus meis adversis Dominum compellavi; ut & sanctissimam ejus Matrem sancto suo conceptu. Quibus rationibus magna semper obtenta beneficia: quod etiam sanctissima Dei majestas denuo demonstrat, cum enim ante hoc tempus, quo sancti sui nominis servi sunt ac religiosi, viam mihi non aperuerit, qua ipsi serviam, nec offendam, tametsi jampridem maxima dabat desideria; sed omnia cessabant; quoad pater meus huc venit magister Miro e sancta Societate Domini mei Jesu. Atque ego quidem ante ipsos fere duos menses in hanc urbem redieram, a qua sex annis abfueram, curiam ad lites consecrata cum filiis parvulis, magnisque laboribus, qui mulieris vires superarent. In quibus me circumferebat insanam, atque ab obsequio Domini alienam, mea in primis viduitas, & ejus causa, quod meus mihi maritus in hac natali nostra Civitate Valentina fuit occisus: hoc animi agitata dolore hinc sum egressa, meum ut jus persequeret: quo pariter concitata eodem reverti, ut quidquid habeo divenderem, atque ita porro abirem, nunquam mox reditura.

5. Mei autem patris adventu Dominus meum ita mutavit animum, ut defleam modò quod fleverim, & verò defleam quod flere nesciverim. Cum autem debeant a tua pendere voluntate tum mea opera, tuorum tum etiam magis famulorum qui propius tibi deserviunt; ipse ut Dominus, & Pater, & caput, & Præpositus hujus sanctæ Societatis, & omnium qui ex eadem esse cupimus, meam quæso confirma voluntatem, ut ipsam Divinæ per patrem meum magistrum Mironem restituam, & suâ & meâ sub tua obedientia constitutis, nuncio nimirum a me remisso & liberis, & necessariis, & amicis, & mundo, quamvis in eum dominarer; ac memetipsam negando & totum pro toto, mortuam me dedam, ut ad Divinum cultum resurgam. Nec vero timeas ab imbecillitate feminea, ubi enim adest manus Domini, ex imbecillo facit robustum; at ubi abest, robustum fit imbecillum.

6. Jam



6. Jam verò Domino confido, ipsum in me creaturum cor novum ac mundum, & spiritum rectum in visceribus meis: & licet mihi Dominus se abscondat, me tamen sibi non abscondet, nec sanctos suos instinctus inflatusque detinebit, sed potiùs reddet nobis, universisque suis servis, cum gratia & gaudio Spiritus Sancti. Atque iterum me supplex ad tuos pedes deiciens, measque tibi lacrymas ostentans, te rogo & obtestor quàm possum demississimè, ut id mihi concedas, ac mihi benedicas, Deumque pro me depreceris, ut sancta sua fiat in me voluntas; id quod deinceps præstare debebis, cum te in verum parentem ac Dominum assumam in terra. Sed ne tibi longiori epistola sim gravis, manu finio, quod ad mortem usque desiderio non finiam; Deum verò semper obsecrabo, ut sanctam vitam tuam incolumem servet, qua plures in æternam perducas. Sic faxit dulcissimus Jesus.

Valentia.

*Humillima tua serva*

*Domna Joanna de Cardona.*

## EPISTOLA VI.

1545.

Secunda Epistola Domnæ Joannæ de Cardona ad  
P. Ignatium de Lojola Præpositum Gener.  
Societatis Jesu.

*Qua singularem fidem, & admirabilem animi demissionem  
prodit in postulanda Societate.*

Rñe ac mihi carissime Pater in Christo.

Gratia & pax Spiritus Sancti adsit animabus  
nostris. Amen.

I. **Q**ui vera fide precatur, quamvis suis precibus non concedatur, precari tamen non cessat: sic ego faciam, carissime mi Pater ac Domine, quamvis



1545. vis enim sæpius tibi scripserim; nunc autem responsum tuum habuerim, non propterea tuæ caritati diffidi, quin immo desiderium meum inflammatum est magis, meaque fides adeo accrevit, ut mecum sentire me faciat, quemadmodum sensit Dominus, cum turbæ illum comprimebant, quænam vestimenti sui fimbriam tetigisset, sic fore carissime mi Pater ac Domine, ut ipse pariter sentias me quoque tuam tetigisse. Hac ego freta fiducia patri meo magistro Mironi supplicavi, ut mihi tandem exercitia traderet, quæ magnâ demum caritate mihi tradidit; in his autem, vel extra illa, nec tentata, nec tristis, nec afflicta, nec tenebris obscurata, sensi unquam, nec sentio in Domino, me aliorum ab eo vocari nisi ad hoc Societatis nominis Jesu vexillum & præsidium. Itaque paratum est cor meum, carissime mi Pater ac Domine, paratum cor meum, demissum, & ad tuos pedes abjectum, unde nunquam exsurget, clamans ut olim chananæa, donec mihi salus animæ, quæ vera est filia, concedatur; nec enim minus egens obsecro, nec minore cum fide spero.

2. Pro hac filiis bona reliqui, omni eorum possessione decedens, propinquos etiam & amicos, a quibus me segregavi, sed longiùs adhuc vellem me separare; non enim sunt nisi carnis amici, & hostes animæ. Equidem me recepi ut Christi pauperibus inserviam, quo in officio paupertatis thesaurum possidere cœpi, maneoque omnino indifferens, ut per te Domini voluntas in me impleatur. Et quidem si me Romæ volueris, illic me habebis; si verò digna non sum, quæ te videam, tuamque benedictionem accipiam, & Indias me adire jusseris, vel hîc remanere, vel quocunque me abire jusseris, usque ad mortem obediam. Nam immoderatis animi quæ motibus agitata leucas plus mille confecit, ut jus postularet, non sanè pavescet totidem alias peragrarè, quin & reliquo mihi toto vitæ tempore peregrinari ut misericordiam inveniam, amore & ob amorem illius, qui possidet illam & omnia, totum autem pro toto reliquit. Cum igitur ista tua viscera plena caritatis aperta fuerint ad alias recipiendas,



das, carissime mi Pater ac Domine, ipsamet ne claudas mihi recipiendæ, quanquam indignæ servæ Servorum Jesu: atque in hoc dulcissimo confidens Domino, tuaque pietate responsionem tuam expectabo. Te rogo quàm demississimè possum, ut eam mihi des quàm celerrimè. Sed ne gravior tibi sim, finem facio Dominum nostrum obsecrando, ut te cum omnibus sociis incolumem servet, & in obsequio suo sancto erigat & extollat. Valentia.

1545.

Jesus

*Indigna serva Servorum Dei**Pauper vidua Domna Joanna de Cardona.*

## EPISTOLA VII.\*

Ignatius Lojola Parmensi Civitati.

23.  
Jan.  
1546.*De Didaco Lainez magnopere expetito, sed  
occupationibus impedito.*

Jesus.

Amplissimi Domini.

**P**ergratum mihi fuisset posse vobis morem gerere misso ad vos Domino Didaco Lainez, quod vestris a me literis postulatis; qui tamen nunc lectionibus atque concionibus hîc Romæ occupatur; ac præterea cum aliunde a pluribus, tum Venetiis desideratur a viro præstantissimo, qui vult Scholasticis Societatis nostræ Collegia duo construere, & nihilominus illò se conferre distulit: quare in præsens nec vestro poterit, omniumque nostrum desiderio satisfacere; quanquam nos quidem omnes devinctos nos agnoscimus singulari piorum istius urbis civium beneficio, eosdemque optamus

S

mus

\* Vide pag. 42. n. 45.



23. mus in Dei obsequio promoveri, in quo vos Dominus  
 Jan. noster in laudem suam conservet.  
 1546. Roma 23. Januarii 1546.

Dominationum vestrarum

*Humillimus servus in Dño nostro*

*Ignatius.*

17.  
 Febr.  
 1546.

EPISTOLA VIII.

Ignatius Lojola Doctori Petro Ortiz.

*De Petro Fabro ad Tridentinum Concilium evocato,  
 & de Ribadencira.*

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
 adsit nobis semper continuo favore  
 & auxilio.

Cum e Suæ Sanctitatis sententia & jussu aliqui ex  
 hac minima Societate (non minus tua, quam no-  
 stra) debeant interesse Concilio, in quibus ut illo se  
 conferant, electus est magister Petrus Faber, cumque  
 ut iter suum quietius proniorique omnium voluntate  
 peragat, scribam Principi, te per Domini Dei nostri  
 amorem, & reverentiam rogo, ut eidem magnopere  
 faveas, modo e loco & tempore opportunitas duci pos-  
 sit, qua valeat istinc placida omnium voluntate disce-  
 dere. Sic enim præterquam quod ex officio nostro in-  
 tegrè suæ Sanctitatis voluntatem implebimus, spero a  
 Divina summaque bonitate ad majorem ipsius gloriam  
 & laudem omnia processura, nosque seu conjunctos  
 sive dispersos, fore semper ut sumus in animabus no-  
 stris tuo nomine sigillatos; tibi in Domino nostro  
 summopere obnoxios. Et quoniam de te mea sponte  
 (vel nutu potiùs Dei Domini nostri, de cujus majori  
 gloria & laude agitur) aliqua scribo Magistro Petro Fa-  
 bro,



bro, cui etiam alia perscribuntur Societatem spectantia (quæ cum tua sint potius quam nostra in Domino nostro, hujus videntur manu duci, & in omnibus favori), nihil habeo, quod addam; nisi quòd Petrus de Ribadeneira Patavii degit egregiè moribus ac literis odoratus; quem puto, si vivet, præstantem fore, verumque Domini nostri servum. Cesso rogans, non tamen cessans divinam majestatem rogare pro sua infinita summaque bonitate, ut nobis dignetur gratiam suam affatim impertiri, quò sanctissimam ipsius voluntatem sentiamus, atque integrè ipsam impleamus.

Roma 17. Februarii 1546.

EPISTOLA IX.

Ignatius Lojola ad P. Fr. Barberanum.

*De omnibus e Societate a Perpiniانو ad Hispalim igne concremandis.*

Jesus.

Mi Domine.

**D**icito Patri Fratri (1) Barberano: tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt a Perpiniانو ad Hispalim, cremandos te curaturum dicis: ego vero id dico, & opto, ut & tu, & amici tui omnes & necessarii, non solum qui a Perpiniانو ad Hispalim, sed qui in universo terrarum orbe sunt, Spiritus Sancti igne inflammentur, & ardeant: ut omnes perfectionis culmen adepti, divinam gloriam magis (2) augeant, & illustrent. Eidem (3) etiam dices, coram Dominis Gubernato-

SS 2

nato-

(1) De Barberà, ut est in archetypo, seu Barberàn, nam solet literam n accentu illo supplere, dictum est a p. 42. n. 45.: Mi Domine, sunt Latina Ignatii verba, reliqua Hispanica.

(2) Hispan.: sean mui señalados en la gloria de la su Divina Magestad: Latina Ribadeneira versio.

(3) Hispan.: Assi mismo le direis, ... hac ad verbum Latine verti.



10. *Aug.* 1546. natore, & Vicario suæ Sanctitatis res nostras cognosci, ut sententiam de illis ferant; quod si quid contra me habeat, ad illos quæso referat & coram ipsis probet Judicibus, ut ego, si quid debeo, solus exsolvam, & corpore meo potius satisfaciam (quod mihi quidem erit jucundissimum) quàm alii omnes a Perpiniâ ad Hispalim commorantes nullâ sua culpâ concrementur.

Romæ apud S. Mariam de Strata X. Augusti 1546.

*Inigus.*

1. Oct.  
1546.

EPISTOLA X.

Ignatius Lojola Elisabethæ Roser.

*Pio egregiæ matronæ, optimè de se meritæ, desiderio resistit, quod experientiâ Societati perincommodum, & ab ejusdem instituto alienum compererat.*

\* Venerabilis Domina Isabella Rosel, mater ac soror in Christo Domino nostro.

Cum verè atque ex animo cupiam studio tuo ad majorem Dei gloriam obsequi, teque in obedientia mea permanentem, ad salutem animæ tuæ perfectionemque dirigere: qua tamen ratione, haud equidem invenio. Nam & vires, quas vellem, me deficient continuis morbis affectum, & tempus, multis magnisque occupationibus districtum, quas prætermittere, cum mei officii propriæ sint, haud sanè possum, citrà meæ salutis dispendium, ejusque servitutis, quam Christo Domino nostro, ejusque Vicario debeo. Illa præterea ratio conscientiam meam urget, quòd video, & verè judico, peculiarem hanc feminarum curam, votis subobe-

\* Hunc titulum, & alia deinde, quæ paulo liberius a Ribadeneira versa videbantur apud Bolland. t. 7. Jul. p. 769. n. 269., propius ad Hispanicum ejusdem exemplum exigere conabar. Vide p. 43. n. 46.



obedientiã nostrorum nuncupatis, huic minimæ Societati 1. Oct.  
 nullo modo convenire. Quod & causas quamobrem ita 1546.  
 sentio, Beatissimo Romano Pontifici aliquot \* ante men-  
 sibus explicavi. Quocirca ad majorem Dei gloriam fore  
 judico hanc provinciam deponere, atque illi me curæ  
 subducere, qua te deinceps pro spiritali filia sub obe-  
 dientia mea viventem habeam, sed tanquam bonam  
 piamque matrem, qualem te mihi multis temporibus  
 ad majorem Dei ac Domini nostri gloriam præstitisti.  
 Quam unam intuens atque spectans, & sempiternæ  
 ejus bonitatis laudem & cultum uberiores tantummo-  
 do ante oculos propositum habens, quantum possum &  
 debeo, hanc curam depono, (salva semper obedientia)  
 teque committo prudentissimo judicio, obedientiæ ac  
 voluntati sanctissimi Domini nostri Papæ, ut anima  
 tua omnimode pacem habeat, & divinæ dulcedinis  
 abundantia ad majorem Dei gloriam perfruatur.

Romæ Kal. Oct. 1546.

## EPISTOLA XI.

9. Oct.  
1546.

Ignatius Lojola Doctori Michaeli de Torres (1).

*De Monasteriis Barcinonensibus, de Abassie Patriarcha novo  
 eligendo, de nonnullis e Societate in Episcopos assumen-  
 dis, de Tridentino Concilio, de causa Mathie,  
 de gestis Cæsaris contra Lutheranos.*

Jesus.

Rñe mi Pater in Dño nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
 adsit nobis semper continuo favore & auxilio.

1. **C**um Dñus Joannes de Vega Romam venit, eidem  
 de Monasteriis Barcinonensibus expediendis verba  
 feci: cui visum est, Breve seu Pontificium diploma  
 Prin-

\* *Hispan.*: segun que avrà medio año que a su Santidad ex-  
 pliquè largo: veterem hic versionem retinui.

(1) Hic est, ut *Orland lib. 6 n. 73.*, Michael Turrianus,  
 quem pupillam oculi sui aliquando vocavit Ignatius: tanti facie-



9. Oct. 1546. Principi rectà transmittendum; se verò ad ipsum scripturum, ut Celsitudo sua diploma illud duobus mittat Episcopis (2) Barcinonensi & Algariensi cum singulis ad quemque literis ardenti studio plenis; atque ipsum etiam Dñum Joannem de Vega ad eosdem Episcopos cuique singulas perscripturum. Cum igitur injunctum mihi esset onus faciendi, ut ad eum, qui a secretis esset, literæ mitterentur, quò etiam Princeps ad Proregem scriberet Catalauniæ, rem totam ad (3) Ximenez detuli perscribendam; ac puto, acta & mandata per primum tabellarium esse transmittenda.

2. Quanquam Papa rediit, tamen archetypi custos Fulginii mansit ægrotus, & nondum pervenit. Eum equidem in dies expectabam, ut ex archetypo diplomatis

bat hominis sapientiam: usque eo condidissimum ingenium, & mores optimos diligebat. Complutensis erat Doctor e Majori Collegio, inque causa ejus Academiæ gravissima Procurator lectus & missus in urbem, ... Ad exercitationes spiritus, ipso institute Ignatio, secedit in villam... Hæc anno secundo super quadragesimo gesta. Ex quo tempore animo se tanquam unum de Societate gerens, addito ejus ineundæ voto, jussus est a Beato Patre differre tantisper ingressum, dum Academiæ causa confecta, reversus Complutum rerum ab se gestarum rationem redderet. Hujus rei gratia hoc anno (1546.) per autumnum ex urbe recedens, ... *Videsis alia a p. 45. & 56.*

(2) Barcinonensis erat Jacobus Cazador, seu Cassadorus, antea Canonicus; teste Diago lib. 3. c. 24., consecratus Episcopus die 20. Junii anno 1546.; cujus initio Pontificatus fundatum fuit in loco, ubi nunc est, Venerabilium P. Petri Fabri, & P. Antonii Araozii diligentia, Collegium Barcinonense Soc. Jesu, ut ait Aymerich p. 409.: verum autore Orland. l. 6. n. 78. 85. Faber sub illud tempus Barcinonem profectus, febribus astuans ad dies aliquot ibidem quievit; ipse vero Araozius perseverabat in Curia. Algariensis autem erat Episcopus Petrus Vagnier, qui, teste Matthajo in Sardinia Sacra p. 174.: Convocato Concilio Tridentum petiit, ubi moram traxit ab anno 1545. saltem usque ad annum 1552., quemadmodum ex Actis liquet. Ceterum acta, qua citat ex Mansio t. 5. - 603., recensentur quidem ibi sub numero marginali anni 1545., sed precedenti pagina monuit Mansius, catalogum esse Patrum, qui Tridentino adfuerunt an. 1551., in quibus Petrus Vagnier Episcopus Algarensis, pro Algariensis. De Catalaunia Monasteriis, vide p. 64. n. 63., & p. 77. n. 71.

(3) Forsan a Secretis Joanni de Vega. V. p. 192. n. 176.



matris exemplum describerem. Cum autem hoc fieri non possit, istuc id agatur, quod optimum factu videbitur, quod & hinc agimus, ad majorem Dei gloriam. 9. Oct. 1546.

3. Postquam hinc discessisti, Lusitaniæ Rex mihi scripsit epistolam, cujus tibi exemplum huic annecto. Mox loquenti mihi cum Domino Balthasare de Faria, is longam epistolam ostendit, quam eidem scribit: in ea refert, Pretejannem ipsi Nuncium misisse, ut Cel-situdo sua verum eidem mittat Patriarcham, quando quidem hujus regni mores sibi probantur: deinde, paratum esse Pretejannem ad obediendum Sedi Apostolicæ: præterea, in illis regionibus viros ac feminas circumcidi; Sabbatum coli, ut ab Hebræis; singulis Dominicis Sacram suscipere Communionem tum Confessos, tum etiam non Confessos; baptizari quotannis; & alia id genus multa: denique Domino Balthasari de Faria mandata dabit Pontificem summum alloquendi, ut M. Petrus Faber (bonæ memoriæ) in Patriarcham eligatur; & ut meum etiam eidem obedientiæ præceptum imponatur (4). Nunc vero Rex, certior factus illum jam fuisse miseræ hujus omnibus vitæ laboribus subductum, nullum non movet lapidem, ut unus e nostris cum eadem dignitate ad Pretejannem mittatur. Cui expeditioni amici nostri omnes videntur nos devovere: in quibus D. D. Eleonora Ossorio, quæ (cum sciret, tum M. Bobadillam Episcopatum quendam recusasse, tum etiam Jajum repudiasse deinde Tergestinum (5), cui plures sunt oves, & redditus ducatorum mille, qua de re magno studio Romanorum Rex perscripserat, quin & Archiepiscopum, qui sibi est a Confessionibus, ad Jajum miserat, ut idem ipsi persuaderet, &c.) quodam mihi die magna benevolentia dixit; malle se quidquid haberet amittere, quam ut ullus ex hac Societate Episcopatum quem vis susciperet; nihilo minus videri sibi, hoc haud esse a nobis recusandum: id nempe aliud esse, ac Episcopatum suscipere. Idem mihi

(4) Hac de re vide p. 47. n. 50.

(5) In Alcazar: de Trapesto, erratum a Trieste: v. p. 46. n. 50.; ubi etiam de Episcopatu a Bobadilla repudiato.



9. Oct. 1546. mihi dixit M. Bernardinus Maffejus, cum ipse etiam Episcopatum quendam repudiasset. Dominus Deus noster omnia nos velle faciat, quæ majorem ipsius gloriam promoveant: si Cardinalibus Burgensi, & Carpensi credimus, hanc provinciam aliquibus nostrum destinabunt.

4. Non potero Magistrum Lainez e Concilio deducere antequam prima sessio habeatur, in qua decretum fiet de justificatione. Videtur autem Sua Sanctitas id agere, ut decretum non illic solum, verum hinc etiam a viris doctis perpendatur: mihi enim dixit M. Bernardinus Maffejus, se illud ad me missurum, ut domi etiam nostræ perspiciatur. Nostros, qui Tridenti sunt, novo sunt favore prosecuti; cum enim conciones Tridenti habere nullis hactenus permissum sit, seu Episcopis, sive Religiosis, aliisque concionatoribus, Legati Magistro Lainez mandarunt ut concionetur; qui erat a proxima Dominica cœpturus. Atque ex aliis literis ad me scriptis, quarum exemplum his annecto, videtur, ut ex ipsis intelliges, concionari & exhortari jam cœpisse.

5. Bonus Mathias (6) D. D. Eleonoram Ossorio convenit, ut non sibi adversetur; facturum se, ut sententia signetur; a me se veniam precaturum; & ubicunque ipsa volet, in commendationem nostram locuturum. Quin & biduo ante cum in campo Floræ Dominatio sua me advocasset, ac dixisset, videri sibi (7) & Domino etiam Joanni de Vega, faciendum sanè quod Mathias exhibuerat: ego tamen multis in medium productis rationum momentis, contraria demum evici; eidemque dixi, meà quidem sententià, nullam fieri debere cum Mathia pactionem, nec velle me, ut ipse veniam

(6) *Bollandiani t. 7. Jul. p. 484. a n. 397. multa de sententiâ a Philippo Archinto Urbis Vicario lata in Mathiam a Sancto Cassiano, Cursorum præfectum, qui sub medium labentis anni plurâ in Sanctam Martham, & Societatem Jesu impudenter confinxerat. Ex hac epistola & sequenti, quæ latuerunt viros eruditos, certo novimus, sententiam illam, cujus etiam tempus ignorarunt, latam fuisse post diem 18. Octobris. Idem Mathias, teste Orland. lib. 6. n. 8., superioris vitæ agnovit erratum: odiumque in amicitiam, injurias in beneficentiam vertit.*

(7) *De hac Eleonora, & Joanne de Vega, v. p. 192. n. 176.*



niam a me postulet; nec ut ipso medio & favente feratur sententia; nec me sanè dubitare, quin hæc sit, ad majorem Dei gloriam, ex jure & æquitate pronuncian-  
da. Tandem hæc via Dominationi suæ visa est longè alterà præstantior. Idem Mathias heri ad Papæ Vicarium se contulit, & palàm complura dixit, quibus & nobis faveret, & semetipsum damnaret. Tentat videlicet ille amicitiam comparare, metuens ne quid ipsi eveniat, quod evenire potest. Faxit Dominus noster, ut id tandem eveniat, quod ad majorem ipsius gloriam sit futurum.

6.\* Pro certo habetur, ut M. Bernardinus Maffejus mihi dixit, Cardinales Moronum, & Sfondratum, in locum Anglicani, & a Monte ad Concilium venire, manente ut antea Cardinali a Sancta Cruce. Videtur Concilium ab exitu belli pendere, quod Cæsar in Lutheranos conflavit: postquam hinc discessit, res hactenus bene illi procedunt, atque aliquid *in dies* a Lutheranis lucrifacit; ad quorum exercitum nunc ipse cum suo ita appropinquat, ut uno tantum absit milliario. Faxit Divina Majestas, ut ad majorem suam laudem & gloriam omnia procedant: atque ob infinitas suas, & solitas miserationes adsit nobis semper continuo favore & auxilio. Romæ die 9. Octobris 1546.

*Ad hunc usque diem 18. Octobris retardarunt.*

*Humillimus tuus in Dño nostro servus*

*Ignatius.*

T t

EPI-

\* Circa ea, qua n. 4. & 6. de Tridentinis Patribus, & bello Germanico indicantur, hæc Orland. l. 6. n. 30.: Araozius cum ex Hispaniis ad Ignatium scriberet, affirmavit nostros illos Tridenti Patres plus in Hispania paucis mensibus Societati nominis attulisse, quam compluribus simul annis quotquot de Societate in eo regno fuissent. Jam Concilii studia bello Germanico deferbuerant; cum Lainium Ignatius, ut Florentiam mitteret, revocabat. Quod ut sensere Legati, cæterique Præsules, qui Lainii præsentiam, sententiamque ad justificationis causam maxime requirebant, datis ad Ignatium literis ejus revocationi graviter intercesserunt; ne prius Lainius inde discederet, quam inchoatum de justificatione decretum ad calcem, finemque perducerent.



13.  
& 18.  
Oct.

## EPISTOLA XII.

Ignatius Lojola eidem Doctori Michaeli de Torres.

1546. De quibusdam rebus privatis; de judicialibus non pauca hinc solùm nota in causis Elisabethæ Roser, & Barbarani; quædam etiam Borgiana singularia.

Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri adsit nobis semper continuo favore & auxilio.

1. **H**ac die 13. Octobris accepi duas litteras; unas M. Hieronymi Domenech, datas 25. Septembris, quibus mihi scribit, Joannis Pauli (1) litteras ac meas nondum venisse Bononiam; atque opus esse, duplas ut ipse Barcinonem perscribam. Equidem ut verum loquar, & ipso die, quo in villa digressi sumus (2) (non tamen ad longum tempus), ante quam somno me darem, scripsi, conscriptasque misi tabellario; meæ ut literæ sub eodem planè abierint cælesti signo, vel potius terrestri, quo M. Hieronymi ad me missæ, quæ cum 25. Septembris fuerint Bononiæ conscriptæ, ad 13. Octobris huc pervenerunt. Cum his alteras accepi M. Baptistæ Pezzani, (3) datas 28. Septembris, cum quibus & tuas: pro Benedicto, ejusque matre intercedit; & quoniam huic matri adeo se liberalem exhibuit, valde mi-

(1) Joannes Paulus Borellus, quem Natalis comitem Roma deduxit in Hispaniam, laicus sanctitate clarus apud Orlandinum: ex consequente n. 3. videtur fuisse Catalaunus.

(2) Hispan.: el mismo dia, que nos despedimos en el campo: quibus indicatur sua in Hispaniam profectio tempus, de quo p. 56.

(3) Orland. lib. 6. a n. 17. nos docet, Baptistam Pezzanum gravem, ac sapientem Sacerdotem ex primis illis Fabri, Lainii-que discipulis, qui & ipse tandem Societatem inivit, hortatorem fuisse Benedicto Palmio, Francisci fratri, ut se excolendum Domenecco traderet Bononiæ: unde Romam profectus, receptusque ab Ignatio domum, tanto sub magistro dignum præstanti indole tyroci-  
aium posuit.



de mihi omnia probantur, quæ obtulit, eaque pro mea parte libenter efficiam: quòd sperem, mihi que omnino persuadeam, fore ut ipse longiùs a propria matre abesse velit, quàm Benedictus a sua. Quem mihi dicunt, dum hæc scribo, Romam circumire ad portiones hac illac contrahendas, & ad eleemosynas aliis atque aliis locis corrogandas, quin ego quidquam antea rescierim: videtur adolescens, qui, si perstiterit, magnum se fore portendat.

2. Postquam D. Joannes de Vega cum Summo venit Pontifice, nullus in Hispaniam profectus est tabellarius, nec cursor: & quanquam ante dies fere octo videbatur unus profecturus, nondum tamen est profectus; ac tunc quidem epistolam longiorem perscripseram. Domino Joanni de Vega visum est, ut Barcinonense Breve ad Principem ipsum transmittatur; per hunc, ut puto, tabellarium. Apographum ejus Barcinonem tibi mittere non potui, quia prototypi custos Fulginii æger permansit. Duo autem facio harum litterarum exempla, unum Barcinonem, Valentiam alterum, ut alterutrum possit ad te pervenire.

3. De Joannis Pauli Barcinonem epistola, non equidem puto adeo expedire, ut patruo suo seu avunculo tradatur: nonnulla enim intercedunt, quæ oporteat hîc diligentius perpendi. Duo nempe contendit Domina Roser: primum, in magna ut mecum manenti sibi amicitia ego fidem scripto faciam, quo ipsam non videar ob suos defectus dimittere: secundum, contra ea objectabat, quæ de temporariis bonis acta fuerant, quando acta res est coram Domina Domina Eleonora, Roser ipsa, Joanne Bosch, & me, atque alio extero. Objectabat, inquam: deinceps enim post tres, quatuorve dies suas secum rationes duxit, ut secum ipsa putabat; & ex animi sententia affirmat, nostram sibi domum debere grandem pecuniam. Tandem nolui ego primum concedere, donec secundum exploretur: mihi enim omnino persuadeo, jus a nobis stare. Quare ipsa ægrè quidem eò deducta est, a me rogata; nimirum ut pro se unum constituat, & ego pro me alium; ubi autem



13. inter eos non convenerit, stemus iudicio eximiae alicu-  
 & 18. jus doctæque personæ, ut Auditoris Rotæ, &c. Re sic  
 Oct. iudicatâ Vicarius demum Pontificius sententiam ferat;  
 1546. qua vitetur offensus, & quæ hîc magna est, & quæ  
 imminet Barcinone; aliis pro ipsa, atque aliis pro me  
 loquentibus. Hac ratione Deo Domino nostro volente,  
 omnibus declaratis rebus temporaria bona, testamenta,  
 & donationes attingentibus, plura tollentur Majestatis  
 Divinæ offensa, quæ vitari alio modo non possent:  
 eritque nobis in posterum præclaro documento, ut cau-  
 tiùs agamus.

4. Mathias coram Vicario Pontificio pro nobis te-  
 status est, semetipsum damnans, pacemque a me vo-  
 lens conciliare. Barbaranus actionem in Sanctam Mar-  
 tham conscripsit; quam ut videat, Sua Sanctitas jussit  
 Cardinali Crescentio. Hic heri mihi inter colloquium  
 dixit, omni prorsus eam ratione destitui. In exemplum  
 ait, nos sine autoritate Apostolica Sanctæ Marthæ res  
 gerere (cum Dominationi suæ Rmæ contrarium con-  
 stet); nos velle universum reformare mundum; quin  
 & statuere reipsa documenta, quibus conjugatæ omnes  
 adulteræ a Roma exterminentur; aliaque id genus,  
 quibus nec caput, nec pedes. Atque idem Cardinalis  
 horum omnium conscius rationem seu viam mihi ape-  
 ruit, quam sequamur, ut Sanctitate Sua conventâ, in  
 apertum hæc tandem omnia deducantur. Jam vero  
 idem Pontifex postquam actionem Crescentio commi-  
 sit, Bullas nobis Patavinis de rebus gratis dedit; ut  
 nempe antea nobis indulset ratam compositionis par-  
 tem, quæ ad Sanctitatem Suam attinebat; ita nunc  
 eam, quæ tabularii sui ministros attineret, confecto  
 scilicet secreto diplomate, quod teste apud me Petro  
 Codacio ad duo fere ducatorum millia Collegio consti-  
 tisset.

5. Domino Roca Decano supplicem dedi libellum  
 gratiarum, quas Dominus Dux postulat exercitiis, ut  
 Sanctitatem Suam alloquatur; tum etiam de Collegio,  
 & Academia, quæ vult Dominatio Sua constituere.  
 Credo autem, Pontifice per hæc hebdomadam con-



vento, Mediolanum post eam profecturum, quò Sua Sanctitas illum mittere videtur, ut ipse ante biduum mihi dixit. Magistro Christophoro me commendans finem facio, Deumque nostrum Creatorem & Redemptorem rogo, suum ut Spiritum Sanctum nobis imperiri velit *per infinita sæcula sæculorum.*

Roma 13. Octobris 1546.

Hæc scripseram, cum proximo die Veneris Cardinalis Crescentius Pontificem Summum certiore fecit, Barbarani actionem in S. Martham nullius esse momenti. Cum itidem Vicarius Archintus in Signatura primus sit dicturus, instaretque vehementer Dominus Decanus, precum ei dedi libellum, quem exhiberet, de Collegio & Academia erigendis.

Roma 18. Octobris 1546.

*Humillimus tuus servus in Dño nostro*

*Ignatius.*

EPISTOLA XIII\*.

Oct.  
1546.

Ignatius de Loyola M. Simoni Rodriguez.

*Portugalliæ primum Provinciale constituit.*

Ignatius de Loyola Societatis Jesu in alma Urbe Romæ canonicè institutæ Præpositus Generalis

Dilecto nobis in Christo Magistro Simoni Rodericio Societatis Jesu Socio salutem in Domino sempiternam.

Dilecte Fili.

Cum minimam hanc Societatem de sua misericordia Christus Jesus provehat, ac diffundat latius ad gloriam Nominis sui, pro ratione officii nostri in Domi-

\* Extat ad Quirinalem in Domo Probationis, seu Novitiatus S. Andreae Apost.



Oct. 1546. Domino decrevimus (quandoquidem hanc habuimus ex benignitate Sedis Apostolicæ auctoritatem) Præfectos Provinciales creare, qui partem laboris, & oneris nostri suscipiant, ac levent in Domino; Te autem, ut ad id oneris Primum adsciscamus invitavit nos eximia Serenissimi Regis erga nostram Societatem pietas: non enim desinit omnia ornamenta in eam conferre, gravissimam suam auctoritatem, ac regium favorem accommodare, sumptus non mediocres in amplissimum Collegium principali munificentia erogare. Dignitas præterea Personæ tuæ me admonuit: Jam enim inde à prima tua Vocatione singulari fide, constantia, Religione in agro Dominico conversatus es: & ubivis terrarum fuisti antea peregrinatus, ubi nunc agis in Portugallia, atque ad exaltationem Nominis Jesu toto animo incubuisti, summa dexteritate, & alacritate, fructumque copiosum in Ecclesia Dei Omnipotentis cum ejus gratia contulisti. Quare de Spiritus Sancti benignitate, & consilio confisi, Te in Primum Præpositum Provinciale Regni Portugalliae Apostolica auctoritate juxta nostras Constitutiones creamus, atque deputamus, declaramus In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Tuum erit in Christo Jesu, ut per hujusmodi officium ad ampliorem Dei laudem, ac uberiolem fructum plurium animarum, quæ tibi commendatæ sunt in Domino, ad communem Populi ædificationem talentum cœlitus acceptum expendas fidelissimè, Teque totum cum gratia Divina quam strenuissimè poteris semper exerceas in Christo Jesu Domino nostro.

Datum Romæ in ædibus nostræ solitæ habitationis anno a Nativitate Domini 1546. mensis Octobris.

*Ignatius.*



## EPISTOLA XIV.

Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.

Sub  
autum-  
num  
1546.

*Gratiis Deo actis pro singulari Borgiæ in Societatem voca-  
tione, ipsum in fratrem admittit; docetque modum,  
quem habere debeat rebus interea privatis  
& publicis administrandis, seque  
literis excolendo.*

Illustrissime Domine.

1. **D**ivina me bonitas consolata est consilio, quod in Dominationis tuæ animum induxit. Infinitas eidem gratias agant Angeli, & sanctæ omnes animæ, quæ ipsâ fruuntur in cælo: in hac enim terra pares agere non possumus pro tanta misericordia, quantam huic suæ minimæ tribuit Societati tua in ipsam Dominatione adducta. E cujus ingressu magnum, ut spero, feret Divina fructum providentia, & spiritale bonum animo tuo, aliisque innumeris, qui tali proficient exemplo. Qui autem in Societate sumus, animos tollemus, quibus denuo incipiamus servire divino patrifamilias, qui talem dat nobis fratrem, talemque novellæ suæ vineæ huic excolendæ conduxit operarium: cujus nimirum vineæ mihi (tametsi prorsus indigno) curam aliquam commisit. Ego itaque in nomine Domini jam nunc accipio & suscipio Dominationem tuam in fratrem nostrum: atque ut fratrem, cor meum semper eo prosequetur amore, qui enimvero debetur se in domum Dei tam liberaliter conferenti, ut in ea perfectè ipsi deserviat.

2. Ut autem singillatim ad ea respondeam, quæ tua Dominatio a me quærit de tempore, & modo ingressionis: ajo equidem, Numine hac de re multum a me, atque ab aliis exorato, sanè mihi videri, mutationem istam pedetentim, & consideratiùs esse faciendam ad majorem Dei Dñi nostri gloriam, ut officiis omnibus



*Sub* bus satisfiat. Quare sic istic licet res omnes consti-  
*autum-* tuas, ut consilio tuo nulli e secularibus communicato,  
*num* ad id quod in Dño tantopere cupis obtinendum, brevi  
 1546. te expedias. Atque ut planius & apertius quod sentio  
 dicam, nobiles filia in matrimonium, dignitatis & or-  
 dinis sui habità ratione, a Dominatione tua honeste  
 collocentur; quin & Marchio, si res & occasio tulerit.  
 Alios verò liberos non solum committat præsidio  
 & munificentia fratris natu maximi, qui ditio potia-  
 tur; sed congruis etiam opibus ita muniat, ut & hone-  
 ste se possint gerere, & in primaria quavis Academia  
 tam præclarè incepta literarum studia persequantur.  
 Est enim credendum, si quales esse debent, tales exi-  
 stant (fore autem spero), Cæsaream Majestatem eas  
 illis gratias relaturam, quas tuis in eandem obsequiis  
 promeruisti, & illius in te perpetuus amor pollicetur.  
 Inchoatis etiam ædificiis diligentia est adhibenda: nam  
 vestra omnia perfecta esse cupio, cum tua mutatio,  
 Deo volente, divulgabitur.

3. Interea dum hæc conficiuntur, quoniam a Do-  
 minatione tua ea sunt jacta literarum fundamenta, qui-  
 bus nixa Theologia Sacra tuto excitetur, gratum mihi  
 foret, quod & spero e re Divina futurum, si Theolo-  
 giam summa virium & animi contentione addidiceris,  
 studiumque in ea posueris: in qua etiam te, si fieri  
 potest, Doctoris laurea insigniri velim in Academia ista  
 tua Gandiensi. Id verò nunc planè secretò (tantum  
 enim fragorem mundi aures ferre non possunt), donec  
 tempus & occasiones integram, Deo favente, nobis  
 dederint libertatem. Et quoniam reliqua e re nata po-  
 terunt in dies declarari, nunc tantum addo, me fre-  
 quentes Dominationis tuæ literas expectare, quibus  
 itidem respondebo: summamque Dei clementiam de-  
 precabor, ut cœpta in animo Dominationis tuæ suo  
 favore & gratiâ perficiat.

Romæ &c.



*Vetus ejusdem epistolæ versio apud Bollandianos, quam ut Sub  
justo liberiolem notavi p. 45. n. 49., verùm hîc autum-  
describendam putavi: plura n. 64. a p. 65. num  
1546.*

**B**enedictus Deus, qui consolatur nos in omnibus, cui quoniam pro meritis gratias agere non possumus mortales, laudent eum omnes Angeli beatorumque spiritus, quia te vineæ suæ excolendæ destinavit atque conduxit. Equidem te in Ordinem nostrum adopto recipioque libens cum bona spe, utilitati id fore Ecclesiæ Dei, cujus honor quæritur; tibi quoque summæ consolationi, Societati ornamento, omnibus denique exemplo & emolumento. Precabor itaque Deum, ut, qui velle dedit, det idem & perficere ad laudem & gloriam Nominis Filii sui Jesu Christi, in cujus Societatem pusillum hunc gregem vocare placuit. Venio ad singula Epistolæ tuæ capita. De te, quando in nostrum gregem admitti possis, quæris. Equidem in Domino sic statuo, rem primum familiarem, ut gnavum patrem familias decet, constituas prudenter & maturè. Maturè quidem, ut citiùs voti compos fias; prudenter verò, nè in vulgus efferri prius sanum id consilium patiaris, quàm præstare, quod valde exoptas, commodo tuo possis. De filiabus matrimonio collocandis, dignitatis & ordinis tui habendam rationem censeo. Marchioni quoque filio natu maximo uxor quærenda. Fratribus reliquis tantum in bonis relinquant, quantum satis est, quò in Academiis disciplinarum studia persequi commodè liceat. Cæsarem præterea eorum rationem habiturum, cum pro tuis in illum officiis, tum quia ita merebuntur ipsi, confido. Ædificia, si quæ inchoata, ad tecta perducantur. Denique, ut semel dicam, absolvi omnia quàm maturrimè ad exitumque, quoad ejus fieri potest, referri optarim: quò citiùs libero te & expedito frui liceat. Interea loci studia revocanda omninò existimo; & urgenda serio est Theologia, Sacerdoti necessaria, in qua etiam te laureâ Doctoris insigniri velim in Gandiensi Academia.



*Sub* Cetera, ut se dabunt, ad me referas, licet; equidem  
*autum-* rebus tuis parentis posthac animo consulam, Deumque  
*num* precabor, te tuaque sospitet, atque ad portum salutis  
 1546. æternæ perducatur,  
 Romæ.

*Dec.*  
 1546.

## EPISTOLA XV.\*

Ignatius Lojola Ferdinando Romanorum Regi.

*Societatem Jesu non debere cogi, ut Socii ejus Episcopatus accipiant, gravissimis probat rationum momentis. Plura vide n. 50. a p. 46.*

**N**obis, Rex præstantissime, & optime, neque Majestatis vestræ voluntas Societatem nostram ornandi, neque studium animabus vestrorum populorum consulendi obscurum est. Qua de utraque re gratias agimus, habemusque quantas maximas humilitas nostra potest, illud precantes a summa bonitate, atque sapientia, ut Majestati vestræ rationem inspiret, qua quæ sancto zelo expetitis, efficere opportunissime possitis. Ac nobis quidem illud beneficium erit maximum, ille favor amplissimus, si nos ad viam professionis nostræ sincere, ac fideliter prosequendam juvetis. Cui rei ita adversari honores persuasum habemus, ut plane, deque animi nostri sententia pronunciemus, si cogitatione fingendum sit, quam ratione posset hic ordo everti, nescire nos quicquam excogitare Episcopatum receptione deterius. Nam qui primi in hanc convenere Societatem ea singulis mens, illudque propositum fuit; omnes ut terrarum partes ad Summi nutum Pontificis Religionis causa peragrarent: ita ut primus, atque germanus hujus familiæ spiritus sit cum omni humilitate, atque simplicitate ex una, in alias, atque alias Civitates, & Provincias pro Dei gloria,  
 & ani-

\* Orland. Hist. Soc. lib. 6. n. 34. pag. 177. edit. Romana apud Barth. Zannettum 1615.



& animarum salute cursare: certa que nulla regione operam suam concludere. Quod vitæ institutum, non Sedes modo Apostolica comprobavit, sed etiam aperta præbuit e Cælo documenta Deus: quibus placere sibi ostendit vario, multiplicique proventu pietatis, quo hominum nostrorum labores sua clementia fœcundavit. Itaque cum in conservatione primi spiritus quasi anima sit Religiosorum cœtum, haud dubium est, quin eo retento, nos conservaturi, deserto perdituri Societatem nostram simus. Quanquam, & inde intelligere aperte licet, quanta nobis pestis Episcopatibus recipiendis impendeat. Nam cum hoc tempore Professi haud plures novem simus; atque eorum quatuor, aut quinque delati Antistitum honores sint quos constantissime pro se quisque repudiavit; si jam unus quispiam admitteret, idem alii licere sibi putarent: neque jam solum a pristino suo spiritu Societas hæc degeneraret, sed membris hinc, & inde dilapsis penitus solveretur. Denique cum sanctæ humilitatis, ac paupertatis exemplis multum adhuc pusillus hic ordo profecerit; si nos jam populi honoratos, & copiosos spectent, omnis ea præclara opinio in adversam mutabitur, cumque multorum scandalo etiam bene gerendæ in posterum animorum causæ janua præcludetur. Sed accumulare rationes necesse non est. In clementiæ vestræ, sapientiæque sinum confugimus: vestræ nos fidei, vestro patrocinio dedimus, orantes, obsecrantesque per Jesu Christi Sanguinem, ut quoniam certum habemus hinc impendere Societati nostræ exitium, vestra Majestas pro sua benignitate, ac religione talia a nobis propulset, arceatque discrimina: & pusillum hunc recens editum gregem suum existimet, salvumque, & conservatum velit; ad Majestatis æternæ gloriam: quæ Religiosissimam Majestatem vestram tueatur, assidueque uberius cœlestibus donis suis ornet, & cumulet.

Dec.  
1546.



5.  
Febr.  
1547.

## EPISTOLA XVI\*.

Marcellus Cervinius Card. Sanctæ Crucis  
Ignatio de Loyola.

*Singulari humanitate & modestia de Lainio agit Tridenti  
retinendo.*

Reverende Magister Ignati.

**M**iraberis fortassis, quod Magistrum Jacobum Laynez hîc detinuerim diutiùs, quam tu & ille voluissetis. Feci omnia in bonum finem, & ob causam, quæ spectat ad publicam utilitatem: quia cum tradiderim illi provinciam colligendi (omnes) hæreticorum errores, tam circa Sacramenta, quam reliqua omnia, quæ damnanda sunt in Concilio ex parte dogmatum; cumque id sit opus longum, ac diuturni temporis; visum mihi non fuit, illum dimittere antequam illud vel perduxisset ad finem, vel ad illum terminum, ut alius ei finem imponere posset. Quæ res cum aliquanto plus temporis requirat, peto abs te, ut æqui bonique consulas illam securitatem, quam ego accipio a Magistro Jacobo & abs te. Nihilominus tamen, quando (tibi aliud videbitur, &) volueris, ut opus relinquatur imperfectum, primo tuo monitu fiet, quidquid scripseris. Deus te conservet in sua gratia.

Tridenti V. Februarii MDXLVII.

*Vester M. Cardinalis Sanctæ Crucis.*

EPI-

\* Bollandiani, qui Jul. t. 7. - 518. n. 574. hanc epistolam Italico-Latinam posteritati mandarunt, ignorasse videntur jam pridem eandem fuisse a Ribadeneira vulgatam, ut dictum p. 57. n. 56.: ex quo sumpsit paucula ea verba, quæ semicirculis includuntur. Initio epistola apud eundem Ignatius Pater, non Magister vocatur: fortasse in archetypo Pater Magister, ut variis describentibus suum cuique verbum exciderit: certè in Ribadeneira versione intercidit hæc perisus: & ob causam, quæ spectat ad publicam utilitatem.



## EPISTOLA XVII.

14.  
Mart.

Ignatius Lojola Pistoriensi Episcopo : *de quo*  
*vide pag. 57. n. 56.*

1547.

*Gratulationis & officii plena epistola .*

Rm̃o Præsuli Domino meo observandissimo in Domino *Foris .*  
nostro Episcopo Pistoriensi . Florentiam .

Jesus .

*Intus .*

Rm̃e mi Præsul in Christo Domino nostro .

**A**ccepimus a Dominatione vestra litteras valde nobis in Dño mirificeque jucundas, quibus facile intelleximus, quod aliorum nobis jam erat litteris & sermonibus delatum, præcipuum nempe studium ac benevolentiam, favoremque præterea non modicum, quem Societati præbere huic nostræ minimæ dignatur Dominatio vestra ad laudem & obsequium Dei, ex quo nuper eam cœpit, nec nisi ex parte, cognoscere. Maximas igitur & quam demissè quidem agimus Dominationi vestræ gratias; ac majores etiam habere profitentes, nostra opera, ubicumque commodum ei fuerit, in Divinæ Majestatis honorem perquam libentibus nobis, uti poterit Dominatio vestra pro exigua illa facultate, quæ nobis est a Domino concessa. De eo autem, de quo nos Dominatio vestra litteris suis certiores fecit, gratias equidem peculiarem in modum reddimus: exploratam quippe de re tota, quemadmodum geratur isthic, haurire notitiam, adjumento nobis fuit peropportuno. Quod vero subito non rescripserim, veniam dabit, ut spero, Dominatio vestra; velut etiam quod præsidium commendationis vestræ in ea re, quæ nunc agitur, justa quadam de causa non adhibuerim: ut ex eo coram poterit accipere, qui has a me reddet Dominationi ve-

STRÆ



14. stræ litteras . Itaque pluribus in præsentia supersedeo ,  
 Mart. ac religiosis me Dominationis vestræ precibus supplici-  
 1547. ter commendo .

Roma pridie Id. Mart. an. 1547.

Dominationis vestræ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius .*

EPISTOLA XVIII.

7.  
 Maji  
 1547.

Ignatius Lojola Scholasticis fratribus Collegii  
 Conimbricensis .

*De Religiosa perfectione , & Zelo animarum .*

*Conimbricenses* ponderosa , inquit *Orland.* , plenaque sapientia de studio perfectionis epistolâ B. Pater ab urbe laudavit , erudiitque : docens quam ad excelsum vitæ genus vocati essent , quot haberent præsidia : quam timenda remissio , quam nimia quoque contentio obsequii gubernaculo temperanda . Qua in re , dum scientia expolirentur , & ad animas deinde juvandas instruerentur , elaborare præsertim deberent : quaque via interim proximorum commodis inservire . Quibus litteris Collegium illud , uti profecit semper , ita hodieque merito gloriatur . *V. a p. 57. n. 56. , & Bartolium lib. 4. de S. Ignatio n. 17. ; ubi ex literis Martini Sancticrucii Rectoris Conimbricensis fusiùs tradit , quam miros ibi ardores excitarit hæc epistola ad literarum & perfectionis studium . Pro sua dignitate & præstantia sæpe sæpius recussa est & Latine , & Italice , & Hispanice : verùm Latina vulgaris editio , quæ longè videtur ceteris ut elegantia sic etiam auctoritate præstantior , a capite ad calcem tot vitiis laborat , ut omnino putarem reficiendam , nisi me antiqua ejusdem rite qua-*  
 sita



7.  
Maji  
1547.

sita possessio & celebritas absterreret. Bartolius, neglecta Latina editione, multo accuratius eximiam epistolam in Italicum sermonem ex Hispano totidem fere verbis convertit. Jam verò Hispanæ editiones ita sunt Bartolianæ similes, ut ex ea prognatæ videantur: quanquam nonnullæ, tametsi leviores, inter ipsas discrepantiæ de Lusitano etiam fonte dubitare me faciunt. Namque primævum, ac verè patrium Hispanicum exemplum ex vetustissimo codice nactus mihi videor, aliis procul dubio Ignatianis stilo adeo simile, ut pro certo habeam ipsum esse foetum Ignatianum. Quam ob rem non Hispanis solum, sed aliis etiam eruditis facturum me gratum arbitratus, integram censui epistolam ex dicto codice describendam: quo etiam id assequar, ut eruditus per se lector intelligat, quo jure Latinam veterem interpretationem toties auxerim, & emendarim. Porro autem breviores correctiones & autiones textui Latino semicirculis includam; sed graviores ad calcem cujusque paginae subjiciam. Itaque primùm exhibeo Latinam veterem editionem auctam & emendatam, & continuò Hispanicum exemplum ex aliis vicissim emendatum.

Gratia & amor æternus Jesu Christi Domini nostri  
sit semper in favorem & auxilium vestrum.  
Amen.

1. Sæpe, cum litteris Fratris nostri Simonis, tum a Sanctacruce, de vobis nuncios accepi. Neque Deum fugit, bonorum omnium fontem, quantam lætitiâ animo, & consolationem hauserim, cum quibus stimulis Divina Majestas vestra in virtutem studia incitaret, accepi. Quod etiam in his plagis tanto a vestris, locorum intervallo, & longinquitate disjunctis, magno est multis animo, & exemplo. Atque illud quidem omni vero germanoque Christiano, meritissimo jure, lætandum intelligo, cum & Dei Creatoris nostri gloriam quantam maximam honoremque diligere, & ipsius imaginis, quam pretioso sanguine (& vita) Unigeniti Filii sui redemit, utilitate emolumentoque gaudere,



7. dere, communi omnes obligatione teneamur: mihi ve-  
*Maji* ro in primis in Domino lætandum, qui non modo nulli  
 1547. in hoc genere cedere, sed peculiari etiam amore vestri  
 ardere, & flagrare debeam. (De omnibus) sit (sem-  
 per) laus, & gratia Deo Creatori nostro (ac Redem-  
 ptori) ex cujus infinita liberalitate & munificentia,  
 bonorum omnium ratio gratiæque redundat. Faxit Di-  
 vina Majestas, ut suus ille fons divinæ misericordiæ,  
 largiori in dies perennitate scaturiat, ut quod in vobis  
 clementer inchoavit, assidua accessione, cumuloque  
 perficiat. Nec (1) vero dubito, quin summa ejus boni-  
 tas, immensus amor, caritasque paterna (quæ ad per-  
 fectionem nobis sponte largiendam, quam nos ad eam-  
 dem vestigandam, paratior est) ad egregios exitus sua  
 cœpta perducatur: quod si secus haberet, æternus ejus  
 Filius ad eam perfectionem, quæ a sola ipsius benigni-  
 tate dependet, nequaquam in hæc verba nos hortatus  
 fuisset: *Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus*  
*est: (Matth. 5. 48.):* ut quoad illum attinet, certum  
 omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem para-  
 tum: modo altam in nobis profundamque humilitatem,  
 & dignum sua gratia desiderium inveniat, & bene ac-  
 ceptis beneficiis uti, & in impigra gratiæ cooperatio-  
 ne ver-

(1) *V. P. Nicolaus Lancicius, qui opusc. 5. n. 158. ex Romani interpretis Latina editione descripsit postremam numeri 3. partem a verbis Fovete semper, opusc. 6. cap. 6. n. 69. neglecto Romano interprete miram Dei promptitudinem & inclinationem ad nos perfectos faciendos, e S. P. N. Ignatii epistola ad nostros Lusitanos sic probat: Summa Divinæ Majestatis nostræ bonitas summâ commu- nicabilis donorum suorum & bonorum, & ille æternus amor, promptior est ad dandam nobis perfectionem, quàm nos ad eam recipiendam. Nam si secus esset; non exhortaretur nos æternus ejus Filius ad hoc, quod ex ejus tantum manu accipere possu- mus, dicens: Perfecti estote, sicut & Pater vester cælestis per- fectus est. Atque ita quantum ex parte ejus, certum est, eum præparatum & promptum esse, dummodo sua Majestas Divina nos videat uti benè donis ejus jam acceptis, & cooperari cum magna industriâ & diligentia, ejus Divinæ gratiæ: & opusc. 8. n. 42. iterum, ex Romano interprete, Quodque illum attinet; cer- tum omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem paratum, modò altam in nobis profundamque humilitatem videat.*



ne versari incessanter, nos videat. Quo sane in genere committendum non puto, ut qui vestrum in hoc virtutis stadio, bravii studio, gratiaque decurrunt, non eos suis aculeis incitandos suscipiam. (2) Quamobrem vestrum est ad acquirendam virtutem, vestram omnem operam industriamque convertere; si quam non modo in vestro regno, sed alibi passim, in multorum animis expectationem concitastis, sustinere velitis: qui cum vobis interius & exterius, suæ præsidii gratiæ undequaque vallatis, & peculiari quodam favore dotatis, benigne Deum facientem aspiciant, a vobis non immerito insignem quemdam fructum, & extraordinarium expectant. (Non enim tantæ obligationi vulgare quidquam satisfaceret.)

7.  
Maji  
1547.

2. Et vero, quem tanta, quanta vos serviendi Deo obligatio devincit, vulgari labore, & famulatu non est contentus, (3) qui par quidem obligationi ante vestram vocationem fuisset, quia quod tunc temporis non in minimis erat ponendum, jam certe vobis in nihilum verteretur. Neque enim Deus vos solum eduxit: *De tenebris in admirabile lumen suum; & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.* (1. Petr. 2. 9., Coloss. 1. 13.) quod cum aliis fidelibus vobis voluit esse commune; verum etiam ut melius puritatem studiumque (spiritualium) rerum ad suum obsequium pertinentium tueremini, è voragine illa gurgiteque mundano vos amanter extraxit: non solum ut ne vestra salus, & innocentia in discrimen veniret in mediis procellis, & tempestatibus iis, quas nunc bonorum, & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum avidissimus turbo, aut (contra) importunus metus (eorumdem) naufragii, & jacturæ, excitare consuevit; sed etiam insuper ut ne vestrum animum (& amorem) humanæ res viles, atque labiles irretitum tenerent, & vestrum cor in varias

X x

par-

(2) *Hisp.*: Vobis enim abs dubio possum dicere; eximiè vos esse literis ac virtutibus expoliendos, si quam non modo....

(3) *Hisp.*: Spectate vocationem vestram, quænam sit, ac videbitis, quod nec vulgare in aliis foret nec parcum, id verò in vobis tale omnino futurum.



7. partes distractum occuparent; quo gloriæ divinæ, quo  
*M 111* vestræ salutis, quo auxilio proximi (quem in finem vos  
 1547. condidit) vos totos certatim penitusque dedatis. Tametsi autem quidquid (4) Christiana doctrina complectitur, ad eum vos finem dirigat, & perducatur; nihilo tamen secius vos eo vocavit ut ad Dei gloriam, proximique salutem jure Sacrificium vos exhibeatis: ejus bonum, & progressum spirituales, non tantum exemplis, desideriis, internis orationibus assidue procurando; sed mediis etiam, & instrumentis externis, quibus ut alter alteri succurreret, & proximum juvaret, divina providentia præcepit. Atque inde videre licet, ad quam celsum, nobile, & regale genus vivendi vos extulerit; cum nec in hominibus, nec ipsis Angelis, quam in se Deum magnifice laudare, & ejus res creatas, pro earum captu, ad ipsum convertere, nullum exercitium officiumque sublimius reperiri possit.

3. Gaudete igitur (vocationem vestram intuentes) & infinitas agite Deo gratias pro tanto beneficio: cui utcumque pares ut esse possitis, particularis gratiæ ab ipso auxilium opemque postulate. Nam magna certe vobis opus est diligentia, ut tantum finem assequi valeatis. Quæ retro sunt (Philipp. 3. v. 13.) quæso in gratiam Jesu Christi, obliviscimini; & (S. Pauli vestigia persequentes) quasi nunc primum tam longum iter susciperetis, virtutis viam indefesso progressu alacriter metimini: & in bonis vestris sanctisque exercitiis ab omni (negligentia), tepore, atque pigritia, tanquam ab hostibus capitalibus (finium vestrorum) abhorrete. Illos sibi quisque ad imitandum proponat, quos

(4) *Hispan.*: Tametsi autem ad hos fines omnia dirigantur Christianæ vitæ instituta, vos tamen Deus Dominus noster ad id vocavit, in quo ad ipsius gloriam & honorem, proximique salutem, non generali quadam disciplina, sed insuper impensâ ibidem vitâ ipsâ & operâ, jure sacrificium vos ipsos exhibeatis: non tantum exemplo, & studiosis precibus salutem proximi promovendo, verum aliis etiam instrumentis externis, quæ ut alter alteri succurreret, divina providentia suppeditavit. Bonus etiam *Bartholæus* in hujus periodi priori parte vertenda videtur nonnihil dimitasse.



quos diligentia insignes, & magnanimitate videbit (non autem quos putet paucis idoneos). Cavete, ne filii hujus seculi majori cura, & solitudine, in caducarum rerum, quam vos æternarum assecutionem, incumbant. Pudeat, quod in mortem illi, quam vos in vitam, citatiori gradu ferantur. Viles, abjectos, imbelles vos, ignavosque putate, si vel unus in Aula reperiat, qui ut terreni Principis favorem nescio quem, & gratiam aucupetur, ipsius nutibus diligentius serviat, quam vos, ut gratiosi apud cœlestem Regem, Imperatoremque evadatis: & si in bello miles generosius pugnet ut victoriam obtineat, futilem gloriam colligat, exuvias consequatur, quam vos, ut de vobis (de mundo, ac dæmone) victoria strenue parta, æternam gloriam in cœlesti regno consecuti triumphetis. Quocirca per (amorem quo Dñum vestrum), Jesum Christum (prosequimini) vos oro, & obtestor, ut nullum unquam in divino servitio teporem (nec animi remissionem) admittatis: quandoquidem, *Arcum frangit intensio, animum remissio*: & contra, ut testatur sacra pagina, *Anima operantium impinguabitur*: (Proverb. 13. 4.) Fovete semper in sinu cordis vestri vividum quemdam sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute (& scientiis) exantlandos labores: quia rarum aliquod, & eximium facinus, (utraque in re) sexcentis vulgaribus minutisque antecellit: ad quem enim virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. (Et notum illud discrimen, quod in re literaria est studiosos inter & remissos, idem planè intercedit in progressionem ad virtutem, & victoria de fragilitate, cui natura nostra obnoxia est.)

4. Certum est etiam pigros, quod seipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam ullius virtutis possessionem venire; cum tamen, (strenui, &) diligentes utrumque paucis diebus facile consequantur. Eodem accedit, usu ipso & experientia patere, non ignavos & tepidos, sed ardentis & gnavos in obsequio divino animi pace & tranquillitate



7. (quoad ejus fieri potest in hac vita) potiri. Et merito  
*Maii* quidem: dum enim (pro sua quisque facultate) in vi-  
 1547. ctoria sui ipsorum laborant, (5) ut amoris proprii se a  
 vinculis laxent, usque ab imis fibris mœstitiam, mœro-  
 rem, aliosque turbulentos motus animi evellunt, &  
 sensim sine sensu virtutum habitudines suis animis indu-  
 unt, a quibus parati, quasi natura duce, deinceps ope-  
 rantur, & ad sanctam a Deo percipiendam lætitiã  
 consolationemque parantur: quia *Vincenti dabitur man-  
 na absconditum.* (Apoc. 2. 17) At vero contra, ne-  
 gligentia, & tepiditas semper mœstos pariunt ignavo  
 labores, quod illorum causam, amorem nempe pro-  
 prium, non procul amandet, nec bonis operibus Dei  
 gratiam mereatur. Nullum ergo laborem in bonis omni-  
 bus laudabilibusque exercitiis detrectare debetis: quia  
 vel in hac vita, in studio perfectionis religiosæ, & in  
 constanti bonorum operum & virtutis exercitio, sancti  
 fervoris (& divinarum consolationum) fructum degu-  
 standum capietis. Deinde si mentis oculos in gloriæ  
 æternæ præmium mercedemque jaciatis (ut omnes qui-  
 dem jacere deberemus) nullo negotio vobis illud Apo-  
 stoli in animum inducetis quod: *Non sunt condignæ pas-  
 siones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur  
 in nobis: Rom. 8. 28.*): quia, *quod in præsentem momen-  
 taneum est & leve tribulationis nostræ, supra modum in  
 sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* (2.  
 Cor. 4. 17.)

5. Quod si in (6) mundo, in Christianis omnibus,  
 qui

(5) *Hisp.*: Et proprium student amorem profligare, cum hoc  
 omnium affectionum animi & molestiarum raíces evellunt; &  
 virtutum insuper habitudines suis animis induentes, secundum  
 eas & facile & hilare quasi natura duce deinceps operantur. Qua-  
 demum ratione parantur, ut a Deo consolatore clementissimo  
 sanctas suas consolationes percipiant, quia: *Vincenti dabo manna  
 absconditum.*

(6) *Hisp.*: Quod si verum hoc est in quolibet Christiano, qui  
 Deo cultum & obsequium præstat; hinc vos demum ipsi potestis  
 colligere, quanta vos maneat corona, si ad vestram vocationem  
 vos totos fingatis; cujus ratio est non solum ut ipsi Deo famule-  
 mini, sed etiam ut alios ad ipsius honorem & famulitium trahatis.



qui Dei cultum, & obsequium profitentur, fervor ille  
 elucere videtur; quanta vos tandem manet in cœlo co-  
 rona, si ad vestram vocationem vos totos fingatis; cu-  
 jus tota ratio non in eo solum consistit, ut ipsi apud  
 Deum in famulatu simus, sed ut alios multos ad eum-  
 dem trahamus? De illis enim sic Scripturæ loquuntur:  
*Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt  
 in perpetuas æternitates.* (Dan. 12. 3.) Quod (sibi di-  
 ctum putent), qui & in ipsa spiritualium armorum  
 tractatione, & in solerti ad illa præparatione, diligen-  
 tia quam maxima sua munera exequentur. Neque enim  
 sufficit opera (7) per se bona facere, sed bene facere:  
 cum unus ex Prophetis dicat: *Maledictus, qui facit opus  
 Domini negligenter.* (Hier. 48. 20.) Et Apostolus (Pau-  
 lus): *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed  
 unus accipit bravium.* (1. Cor. 9. 24.) Item: *Non coro-  
 natur, nisi qui legitime certaverit.* (2. Tim. 2. 5.) Quod  
 de illis dicitur, qui dum adhuc in vivis versantur, ne  
 latum quidem unguem de officio discedunt. At præter  
 omnia velim unumquemque vestrum cum zelo gloriæ  
 Dei, proximorumque salutis, (animarum, quas tanto  
 suo redemit impendio) Jesu Christi Salvatoris nostri  
 puro, & sincero amore lucere.

6. Ad (8) quem finem estis vocati, infractis ani-  
 mis

(7) Ex Hispanica, Latina, & Italica lectionibus leviter hic  
 variantibus, hanc colligo: secus enim certum est non sufficere  
 sublimem vitæ statum profiteri, si quod status ipse requirit,  
 perfecte non fiat, Hieremia nobis dicente: *Maledictus . . .*

(8) *Hisp.*: Estis enim milites ejus in hac Societate nostra  
 peculiari quodam titulo, & stipendio: peculiari, dico, alia enim  
 adsunt plura generalia, quibus valde quidem obstringimur, ad  
 honorem ipsius & obsequium desiderandum. Stipendium ejus est  
 quidquid a natura habetis, & valetis, quandoquidem vobis dedit  
 & conservat naturam vestram & vitam, omneque partes & per-  
 fectiones animi & corporis, ac bona etiam externa. Stipendia  
 sunt dona ipsa gratiæ spiritualia, quibus adeo liberaliter ac beni-  
 gne vos præmuniit, eademque vobis, inimicis licet ac rebelli-  
 bus, conservat. Stipendia sunt inæstimabilia gloriæ dona, quam  
 vobis, quin ullum ipse possit ex ea percipere commodum, præ-  
 paravit atque promisit, vobisque felicitatis suæ thesauros commu-  
 nes esse voluit, ut quod ipse est absoluta naturæ suæ perfectio-



7. mis enitimini ; cum tot ejus causa vobis a Deo auxili-  
*Maji* lia , & instrumenta suppetant . Hæc instrumenta sunt  
 1547. omnia gratiæ dona spiritualia , quibus nos in omni bo-  
 no opere , nos , inquam , a natura ipsi adeo adversos ,  
 rebelles , contumaces , hactenus prævenit , & præveni-  
 re dignatur : hæc instrumenta sunt , incredibiles pro-  
 missiones suæ gloriæ , ut communionem suæ immensæ  
 præstantiæ , quod ipse est natura , nos gratia evadamus :  
 instru-

ne , id tandem vos sitis eminenti gratiæ suæ communionem . Sti-  
 pendium est denique mundus universus , & quidquid in eo cor-  
 poreum & spiritale continetur . Nostro enim ministerio addixit  
 non modò quidquid cælo subest , sed totam etiam suam illam no-  
 bilissimam Curiam , quin cælestium ullam Hierarchiarum immu-  
 nem ejus esse voluerit : *quia omnes sunt administratorii spiritus*  
*in ministerium missi propter eos , qui hereditatem capiunt salutis .*  
 Et si forte omnia hæc stipendia non sufficiunt , semetipsum sti-  
 pendium fecit dans se nobis fratrem in carne nostra , pretium  
 nostræ salutis in cruce , nostræque peregrinationis viaticum &  
 socium in Eucharistia . O ! quàm improbus est miles , cui tot sti-  
 pendia non sufficiunt , ut ad operam sui Principis honori dandam  
 adigatur ; cum certum sit , ut nos obligaret ad illum promptiùs  
 desiderandum & procurandum , voluisse Majestatem suam tam  
 mirificis nos immensisque beneficiis prævenire , perfectissimam suam  
 felicitate se quodammodo suis bonis exuente , nobis ut ea com-  
 municaret , nostrasque miseras omnes assumente , ut nos illa-  
 rum faceret immunes ; se ipsum vendi volens , ut nos redime-  
 ret ; infamari , ut nos gloriâ donaret ; pauper esse , ut nos dita-  
 ret ; usque adeo denique infamem mortem sibi deligere , ut im-  
 mortalem ac beatam vitam nobis impertiret . O ! quam ingratus  
 nimiùm ac durus est ; qui se his omnibus non agnoscit maximè  
 obstrictum , ut perdiligenter Jesu Christo Redemptori nostro de-  
 serviat , atque honorem ejus & laudem procuret ! Quod si pro-  
 grediendi , & in honoris atque obsequii ejus accretionem incum-  
 bendi desiderio tenemini , nunc vobis tempestivitas datur , qua  
 enimvero est opus , ut desiderium vestrum operibus in medium  
 proferatis . Circumspicite , ubinam gentium Divinæ Majestati ho-  
 nor in præsens habeatur ; ubinam immensa sua magnitudo cola-  
 tur ; ubinam sapientia ejus agnoscatur ; & sanctissimæ ejus vo-  
 luntati obedientia præstetur : imo verò magno animi dolore spe-  
 ctate , quàm ignoratum Sanctissimum ejus Nomen & jaceat & blas-  
 phemis vocibus proscindatur ; ut ubique locorum doctrina Chri-  
 sti , sempiternæ sapientiæ repellatur , exemplum ejus oblivioni  
 tradatur , Sanguinis sui pretium pro nostra parte quodammodo  
 perdatur , quandoquidem illo tam pauci ad salutem utantur .



instrumenta denique, tota ista rerum universitas est; cum non solum quæcumque subter, sed etiam super orbis cœlestes sunt, illæ nimirum omnes divinæ mentes, cœlestesque Hierarchiæ nostris sint ab eo ministeriis destinatæ: *Omnes enim sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis.* (Hebr. I 14.) Quod si omnia hæc instrumenta sufficere non videantur, se ipse instrumentum præstitit, cum pretium nostræ salutis in cruce se obtulit, & in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento in viaticum, & ducem hujusce mortalis peregrinationis se dedit. Heu quid illi sufficiat, cui non tot bona, & incitamenta sufficiant, ut ad sui Principis se obsequium componat? Et ut ad hoc majori promptitudine, & alacritate curandum pluribus nominibus nos obstrictos haberet, posthabita quodammodo suæ infinitæ gloriæ, qua fruebatur, præstantia, ut eandem nobiscum aliquando communicaret, tanto beneficio nos indignos affecit; nostris miseriis se onerans, ut nos illis levaret; seipsum vendi volens, ut nos redimeret; infamari, ut gloria donaret; pauper esse, ut ditaret; usque adeo denique infamem mortem sibi deligere, ut nobis immortalem, & beatam vivendi rationem impertiret. Itaque si vinculis obligationis tantæ vos ligatos videtis, & ad ejus servitium accretionemque gloriæ toto pectore aspiratis; in hoc vos tempore versari habetote; quod etiam atque etiam industriam vestram zelumque requirit. Videte, quantulus honor Divinæ Majestatis in præsens habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præstetur. Imo vero cum intimo, maximoque dolore diligenter videte, in quanta ubique gentium ignoratione versetur, nomen ejus blasphemis vocibus proscindatur; & Jesu Christi sempiternæ Sapientiæ doctrina contemnatur, vita repudietur, pretium Sanguinis vilescat, & quadam ratione quantum in nobis est, penitus perdat, & in nihilum occidat. Tanta illorum paucitas, qui ad salutem utantur.

7. Videte vestrum (9) proximum tamquam imaginem

(9) In hoc numero 7. leviora quadam dissimulavi, alia solitè.



7. nem Sanctissimæ Trinitatis, ipsius gloriæ capace<sup>m</sup>, cui  
*Maji* totus orbis, utpote templo Sancti Spiritus, membro  
 1547. Jesu Christi, (tantis doloribus, ignominis, & effuso)  
 pretioso ejus Sanguine redempto, famulatur; videte,  
 inquam, proximum, quot, & quantas miseras incur-  
 rat, in quibus tenebris ignorantia jaceat, quibus ter-  
 restrium desideriorum, vanarum opinionum, impoten-  
 tium appetituum procellis obruatur; quot, & quanto-  
 rum hostium (visibilium, & invisibilium) impressione  
 lacessantur (proximi), & impugnentur, cum periculo  
 perdendi non reculas caducas, & perituras, sed re-  
 gnum gloriæ, & felicitatem æternam; & simul inci-  
 dendi in pœnas intolerabiles, & supplicia sempiterna:  
 videte, inquam, ut Jesu Christi gloriam, honoremque  
 defendere, & proximi salutem procurare debeatis: &  
 certe videbitis, quanta ad quoscumque suscipiendos la-  
 bores præparatio sit adhibenda, ut apta ad eum finem  
 vos divinæ gratiæ instrumenta præstetis, præsertim cum  
 tam rarum sit bonorum operariorum genus, qui quæ-  
 rant, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. (Eo  
 itaque majori animi contentione agendum vobis est, ut  
 operarum penuriam suppleatis, quò largiorem ad id  
 muneris a Deo gratiam in hoc vitæ genere accepistis).

8. Atque (10) eo consilio ita locutus sum, ut vos  
 exci-

*distinctione supplevi: duo tantum, ne morosè agam, Hispanica fidei  
 restituo. Primum initio numeri: Vestros etiam proximos circum-  
 spicite tanquam imaginem quandam Sanctissimæ Trinitatis, glo-  
 riæ suæ capaces, quibus totus famulatur orbis, tanquam templa  
 Spiritus Sancti, & membra Jesu Christi Domini nostri, tantis  
 doloribus, infamiis, & Sanguine suo redempta. Deinde periodum  
 illam: Videte, inquam, ... Ita refingo: Ut rem paucis perstrin-  
 gam, ajo equidem, si etiam atque etiam cogitaretis, quanta sit  
 vestra obligatio Jesu Christi restitutoris nostri honorem, ac pro-  
 ximorum salutem defendendi, vos certè visuros, quantopere de-  
 beatis ad omnem vos laborem diligentiamque comparare, ut ido-  
 nei ad eum finem divinæ gratiæ ministri evadatis ... Porro autem  
 ubi Romanus interpretes mutatâ personâ vertit lacessamur, & impu-  
 gnemur, ad Hispanica & Italicum exemplum restitui lacessantur  
 (proximi), & impugnentur.*

(10) *Hisp.*: Jam verò quæ hactenus dixi ut sopitos excita-  
 rem, & parum festinantibus pernecitatem adjungerem, non ita



excitarem; & ad eorum qui parum festinant, tarditatem cursus, pernicitatem adjungerem; non ut in aliud extremum minus cauti fervoris vos impellerem: nam ex tepore pariter, & fervore nimio, morbi animi proficiscuntur: *Rationabile obsequium vestrum*, inquit Apostolus: (Rom. 12. 1.); & Regius Propheta: *Honor Regis judicium diligit*; (Psal. 98. 4.) scilicet discretionem: & in Levitico divinitus (figurâ dicendi) præcipitur: *In omni oblatione tua afferes sal*; (Levit. 2. 13.). Et vero hostis ille noster nulla re magis caritatem extinguit, quam immodico, & inconsiderato in virtute progressu. *Ne quid nimis*, ait paroemia. Quod cum in omnibus, tum etiam in justitiæ, ut monet Sapiens, rationibus observandum. Sic enim: *Noli esse justus multum*: (Eccl. 7. 17.). Quæ si regula, & moderatio absit, bonum in malum desinit, & virtus in vitium: ac inde, incommoda quæ cum mente illius, qui per extremum illud iter facit, depugnant, alia ex aliis quam plurima enascuntur.

9. Primum illorum est, diu illum Deo servire non posse, ut equis accidit, qui post nimium iter (initio festinatum) in cursu fatiscunt. Sic sæpe usu venit, aliorum operas nostri gratia impediri, cum nostras aliis præstare deberemus. Alterum est, illum (11) sibi moderari non posse, qui nimias celeritates præcipitantes

Y y

susci-

unt accipienda, ut in aliud extremum vitium minus cauti fervoris incurratis: nam spiritales morbi non solum a rebus frigidis ut tepore, verum etiam a calidis ut fervore nimio proficiscuntur. . . . Et verò nullâ utitur malitiâ hostis naturæ nostræ tam efficaci ad caritatem ex corde pellendam, quàm incauto in virtute progressu, inconsultâ spiritali ratione. Dicitur Philosophi *ne quid nimis* in omnibus observandum, atque in ipsâ etiam justitiâ, ut legimus in Ecclesiaste: *noli esse justus multum*: cum Vulgata *multum* habet Bartolius; Romanus *in te pres nimium*; Hispanus codex *nimis*, ex recepta Vulgatæ interpretatione.

(11) *Hispan.*: Durabile non esse quod nimia festinatione comparatur: at enim ait Scriptura: *Substantia festinata minuetur*; & non solum minuitur; sed causa etiam est ruinæ, qui festinus est, pedibus offendit, quin usque ad imam scalam consistat.



7. suscipiat, *Nam substantia festinata minuetur*, (Prov. 13. 11.) ait sacra pagina. Atque ita æstus, & præcipitatio caput ruinæ est. *Qui enim festinus est pedibus, offendit*, (Prov. 19. 2.). Tertium est, illi curæ non esse, periculo nimii, & insolentis oneris suam navem liberare. Quia si periculosum est, illam ad portum fortunatum, (vacuam) appellere, (cum eam facile tentationes moveant, ac devolvant); non minoris periculi & discriminis est, tantum illi pondus atque onus imponere, ut necessaria depressione subsidat. Quartum est, novum hominem, non autem, ut par erat, veterem crucifigi, cum præ debilitate, exercendæ virtuti vacare non possit. Atque ex S. Bernardo, per immodicum illum fervorem quatuor nobis injuste subripiuntur, nimirum, *Corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor*: ut qui ita se gerit, tamquam sacrilegus, quod templum Dei vivum tam male habuerit, illorum omnium sit, quæ attigimus, reus; & rationem Deo reddere teneatur. Ad hæc suum proximum bono fraudat exemplo, quod unius casus ceteris sit terrori, & multorum fervori in via virtutis teporem adspargat, & ita proximo offendiculum pariat. Quamobrem idem Sanctus hujuscemodi hominem, reum veritatis, & inimicum pacis nominatim proclamat. Præterea genus illud hominum (sibimet nocet, quod) arrogans, superbum, gloriosum esse solet, & in judicio suo ceteris præferendo, & in eo saltem, in quod jus non habet, sibi arrogando, cum in propria causa, quod Superioris est, personam velit Judicis sustinere. His autem incommodis alia quædam accedunt: nempe tot armorum onus subitur, (quod Davidi contigit in armis Saulis, 1. Reg. 17. 39.) ut usus nullus illorum consequatur: & calcaria quidem, nullum autem frenum indomito equo intractabilique paratur. Ut discretio & prudentia sit opus, quæ ut optime D. Bernardus monet, inter utrumque extremum progrediatur. *Bonæ, inquit, voluntati non semper credi expedit, sed frenanda est, sed regenda est, & maxime in incipiente.* (Bernard. ad Frat. de monte Dei de vita solit.



solit. (12); (ne sibi nequam sit, qui bonus aliis vult esse: *qui enim sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Eccli. 14. v. 5.) Si vero vobis rara & inventu difficilis discretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, ejus defectum ad securitatem supplete. Quod si quis proprio velit adhærere judicio, D. Bernardum audiat: *Quidquid sine voluntate vel consensu Patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi.* Et divini illius refricite memoriam: *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere;* (2. Reg. 15. 23.). Quapropter (13) per obedientiam voluntates vestras, & judicia mactate, & nimiam corporis debilitationem vitate.

7.  
Maji  
1547.

10. Neque tamen putetis velim, displicere mihi, aut suam apud me laudem non obtinere, quod de vestris per litteras mortificationibus accepimus: siquidem non me præterit, sanctos olim sanctas id genus insaniendi rationes, præsertim suæ conversionis initio, magno suo fructu, & progressu virtutis ad sui victoriam, & majorem virtutis acquisitionem adhibuisse: sed illi, qui dante Deo (sub studiorum tempus) suæ jam voluntatis & amoris proprii victores evaserunt, longe certe satius erit. ut se ad (præscriptam superius) normam moderationemque discretionis componant, nec ab obedientia recedant, quam vobis maxime, & illam pariter commendo virtutem, quæ alias omnes continet, cuique Præcepti (sui) nomen Dominus noster (Jesus Christus tantâ ejusdem commendatione) fecit his verbis:

Y y 2

Hoc

(12) Ita Bartolus ex edit. Paris. S. Bern. anni 1640.; sed Romanus interpres: Bonæ, inquit, voluntati non semper credendum est, sed refrænanda, & regenda, maxime in incipientibus: Hispanus codex: bonæ voluntati non semper credendum est, sed regenda discretione, maxime incipientibus.

(13) Hisp.: Itaque ut medium inter teporem, atque immoderatum fervorem teneatis, obedientiæ navate; & si magnum vos tenet desiderium carnem castigandi, dum literis datis operam, eodem potius ut mini ad voluntates vestras frangendas, judiciumque sub obedientia continendum, quàm ad corpora debilitanda, & immodicè affligenda.



7. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, (sicut dilexi vos, Joan. 15 12.)*. Neque vero duntaxat invicem vos perpetuo diligere, & amare debetis, (animis conjuncti) sed amorem illum omnibus communicare, excitantes in vobis, quoad ejus fieri poterit, salutis proximi ardentia desideria, & justam illius, ut Jesu Christi (Dei ac Domini nostri Unigeniti verique filii Dei) Sanguine & Morte redempti, rationem habentes: ut ea (& literarum) præparatione, & internæ caritatis incremento, apta divinæ gratiæ ad cooperationem tam arduam, & præstantem convertendi animas ad Deum finem nostrum ultimum, instrumenta evadatis. Neque vos proximo inutiles esse credatis, quamdiu (14) affectiones hujusmodi sentietis: quia præter fructum vestrum, (quem ordinata caritas requirit, *miserere animæ tuæ, placens Deo, Eccli. 30. v. 24.*); multis modis illi vos fructuosos præbetis, (ad honorem, & gloriam Dei); in primis quidem præsentis labore, & illius suscipiendi intentione, cum vos omnino totos ad ejus instructionem & ædificationem formetis. Etenim quando miles egregiis armis ad sua cœpta se munit, nemo laborem ejus ad obsequium sui Principis spectare negaverit, licet (15) ante moriatur, quam vota sua implere potuerit. Itaque ad alias peculiare pietatis rationes, cujusque vestrum est quotidiana se Deo in proximi salutem oblatione dicare. Secunda ratio juvandi proximi studio pietatis, virtutisque censetur: ex illo enim, ad eos cum quibus agitis, pari pietate, & virtute informandos, magna vobis aptitudo oborietur. In effectum naturalium rerum, (ut hominis, seu alterius animalis perfecti) præter communes causas, ut cœlum, astra, elementa, peculiaris & proxima (quod usu constat, & Philo-

(14) *Hisp., & Ital.*: quamdiu literarum studiis distinemini.

(15) *Hisp.*: & licet aliquis ante moriatur, quam cœperit palam cum proximo communicare, non ideo illi non profuit labore ipso præparationis; hic autem labor, ultra ordinatum finem in posterum, deberet Deo quotidie in proximorum salutem oblatione dicari; qui quidem a Deo acceptatus posset ad juvandum proximum instrumentum esse non minus idoneum, quam conciones, vel confessiones.



Philosophia) causa necessaria est, quæ forma simili pro-  
 ducendæ sit prædita: perinde id est placitum divinæ 7.  
 Sapientiæ, ut causa proxima, qua utitur ad aliquem Majr  
 humilitate, (patientia,) & caritate exornandum earum- 1547.  
 dem virtutum ornamentis effulgeat. (Cujusmodi sunt  
 concionatores, & confessarii, qui humilitate, patien-  
 tia, & caritate præstare debent.) Itaque dum operam  
 virtuti navatis, simul salutem proximi consulitis. Nam  
 licet ad perfectum absolutumque instrumentum, vitæ  
 sanctimonia, scientiaque requirantur; nihilo tamen mi-  
 nus tum ad percipienda, tum ad communicanda dona  
 Sancti Spiritus, multis partibus litteris bona vita ante-  
 cellit. Tertia ratio est virtutis vestræ exemplum, ex  
 qua, non solum per vestras, quæ Dei est gratia, sed  
 per omnes etiam regiones Europæ, bonus odor affla-  
 tur. Qui sanctitatis, & bonæ vitæ odor, ut in immen-  
 sum excrescat, sua dona nostrum Dominum vobis con-  
 servaturum aucturumque confido. Quarta ratio juvandi  
 proximi (quæ longe & late patet) sanctis desideriis  
 precibusque continetur. (Quas licet longiores litera-  
 rum studium non permittat, poterunt tamen compensare  
 superna desideria, & exercitationes illæ omnes, quæ  
 ad solum Dei cultum susceptæ, proximi utilitatem fe-  
 liciter promovebunt.) Verum hasce rationes & alias  
 hujuscemodi, quarum non estis nescii, melius didicistis  
 ab illis, cum quibus agere & communicare licebit,  
 quam ego docere aut scribere valeam. Quamobrem  
 multarum rerum descriptione abstinebimus, quibus hoc  
 tractare argumentum possemus: sed cum scribam ex  
 occasione, acceperimque, vos aliquid a me litterarum  
 expetere; jam unis ad vos litteris me pariter, & vos  
 consolandos putavi. Nihil aliud in præsentiarum habeo,  
 unum dumtaxat precibus a Deo Salvatore & Domino  
 nostro suppliciter contendo, ut sicut vos tanta voca-  
 tionis gratia dignari, & efficaci voluntate vosmetipsos  
 sibi consecrandi, impertiri non dubitavit; sic sua dona  
 donis; & gratiam gratia vobis cumulet, ut perpetuo  
 in virtutem crescatis, magisque ac magis in suo sancto  
 obsequio ad suam ipsius (magnam laudem, &) glo-  
 riam



7. riam (proximorum subsidium) & emolumentum Eccle-  
*Maji* siæ, perseveretis.

1547. Datum Romæ IV. (16) Nonas Martias, anno Do-  
 mini MDXLVII.

*Vester in Domino nostro*

*Ignatius.*

*Eadem epistola tota Hispanicè ad primævum exemplum, hactenus quod sciam non editum, de quo pluribus supra. Codicis vetustatem, cujus accuratum apographum vir doctus humanissimè communicavit, & testis oculatus, & ipse epistolæ titulus satis probant. Nonnulla apographi menda correxi ex editionibus Hispanicis, Latinis, & Ital., inter se convenientibus; ubi verè discrepantia est manifesta & non contemnenda, eam ad paginæ calcem subjiciam. In editionibus Hispanis, quibus nunc uter, sacræ Scripturæ aliaque veterum testimonia, quæ in aliis editionibus & veteri ms. more Ignatiano Latinè produuntur, Hispanicè solùm redduntur.*

Carta del Padre Maestro Ignacio para los Hermanos  
 Estudiantes de Coimbra.

La gracia, y amor eterno de Jesu Christo nuestro  
 Señor sea siempre en vuestro favor,  
 y ayuda. Amen.

**P**or carta del Maestro Simon, y tambien de Santa  
 Cruz tengo a la continua nuevas de todos, y sabe  
 Dios de quien todo lo bueno descende, quanto con-  
 suelo, y alegria yo recivo en saber lo que su Divina  
 Magestad os ayuda ansi en el estudio de letras, como  
 en el de las virtudes, cuyo buen olor en estas partes  
 lexos

(16) *Hisp., & Ital.*: Die 7. *Maji* 1547., ut dictum est p. 58. n. 56.; *Laecius* pro IV. Nonas Mart., habet die 3. Martii, fuisse pravâ Nonarum supputatione.



lexos dessa tierra anima, y edifica a muchos. Y si de-  
 sto todo Christiano devia alegrarse, y gozarse por la  
 comun obligacion, que tenemos todos a amar la hon-  
 ra, y alabanza de nuestro Criador, y el bien de la  
 imagen suya redimida con la sangre y vida del Unige-  
 nito hijo suyo, mucha razon ay, que yo dello en espe-  
 cial megoze en el Señor nuestro, siendo como soy tan  
 obligado a teneros con especial affeccion dentro de mi  
 alma. De todo sea siempre oendito, y alabado el Cria-  
 dor, y Redemptor nuestro, de cuya liberalidad infinita  
 mana todo bien, y gracia, y a el plega (1) cada dia  
 abrir mas las fuentes de su misericordia en este efecto  
 de augmentar, y llebar muy adelante, lo que en vue-  
 tras almas ha comenzado: y no dubdo de aquella sum-  
 ma bondad summamente communicativa de sus bienes,  
 y de aquel eterno amor, con que quiere darnos nuestra  
 perfeccion mucho mas que nosotros recibirla, que lo  
 hará. Que si asi no fuesse, no nos animaria su coeter-  
 no hijo a lo que de sola su mano podemos haber, di-  
 ciendo el: *Perfecti estote, sicut & Pater vester coe-*  
*lestis perfectus est.* Asi que de su parte el está pre-  
 sto, segun es cierto, con que de la nuestra aya vaso  
 de humildad, y deseo para recevir sus gracias, y con  
 que (2) su Divina Magestad nos vea bien usar de sus  
 bienes, y dones ya recevidos, y cooperar industriosa,  
 y diligentemente a su gracia. Y en esta parte no de-  
 jarè de dar espuelas aun a los que corren de vosotros.  
 Porque cierto os puedo decir, que mucho habeis de ex-  
 tremaros en letras, y virtudes, si habeis de responder  
 a la expectacion, en que teneis puestas tantas perso-  
 nas no solo dessos reinos, pero aun en otros muchos  
 lugares, que vistos los socorros, y aparejos interiores,  
 y exteriores de todas suertes, que nuestro Señor  
 os da, con razon esperan un muy extraordinario fru-  
 to; asi que a tan grande obligacion no satisfaria cosa  
 ordinaria. Mirad vuestra vocacion, qual sea, y vereis,  
 que lo

7.  
 Maji  
 1547.

(1) Editio Latina recte, Faxit . . . ; malè Itala, e priego-  
 lo . . . , & Hispana y ruezole . . .

(2) Hac id Itala & Hisp. editionibus desiderantur.



7. que lo que en otros no seria cosa ordinaria , y poco ;  
 Maji lo será en vosotros . Porque no solamente os llamó  
 1547. nuestro Criador , y Señor *de tenebris in admirabile lumen  
 suum , & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* , como  
 a todos los otros fieles ; pero porque mejor conser-  
 vassedes la puridad , y tubiessedes el amor mas unido  
 en las cosas espirituales de su servicio , tubo por bien  
 de sacaros del golfo peligroso deste mundo , porque no  
 peligrasse vuestra consciencia entre las tempestades ,  
 que en él suele mover el viento del deseo agora de  
 hacienda , agora de honras , agora de deleites , o al  
 contrario de perder todo esto . Y ultra de lo dicho ,  
 que no tubiessen estas cosas bajas vuestro entendimien-  
 to , y amor , ni lo esparciessen en varias partes , para-  
 que pudiessedes todos unidos convertiros , y emplearos  
 para lo que fuisteis criados , que es la gloria , y honra  
 de Dios , y salvacion vuestra , y ayuda de los proximo-  
 mos . Y aunque a estos fines vayan enderezados todos  
 los Institutos de la vida Christiana , Dios nuestro Se-  
 ñor os ha llamado a este , donde no con una general  
 direccion , pero poniendo en ella todavia vida , y exer-  
 cicio habeis de hacer de vosotros un continuo sacrifi-  
 cio a gloria , y honra de Dios , y salud del proximo ,  
 cooperando en ella no solo con exemplo , y deseosas  
 oraciones , pero con los otros medios exteriores , con  
 que la Divina providencia proveyò que ayudassemos  
 unos a otros . Donde podreis entender , quanto sea  
 noble , y real el modo de vivir , que habeis elegido ,  
 que no solo entre hombres , pero aun entre Angeles no  
 se hallan mas nobles exercicios , que glorificar a Dios  
 en si , y reducir a el sus criaturas , quanto son capa-  
 ces . Asi que mirad vuestra vocacion , para de una  
 parte consolaros , y dar muchas gracias a Dios de tan-  
 to beneficio , y de otra pedirle siempre favor para po-  
 der responder a ella , y ayudaros con mucho animo ,  
 y diligencia , que cierto es arto necessaria para salir  
 con tales fines . Y por amor de Jesu Christo nuestro  
 Señor olvidados de lo de atras , estendeos con S. Pa-  
 blo a lo mucho que os queda de andar en la via de



la virtud; y la (3) floxedad, y tibieza, y fastidio de los estudios tened los por enemigos formados de vuestros fines; y pongase delante cada uno, no a los que a su parecer son para poco, sino los mas estrenuos, y diligentes. No consintais, que os hagan ventaja los hijos deste siglo en buscar con mas industria, y sollicitud las cosas temporales, que vosotros las eternas. Avergonzaos que ellos corran con mas promptitud a la muerte, que vosotros a la vida. Teneos por hombres para poco, si un cortesano sirve con mas diligencia por haber la gracia de un Principe terreno, que vosotros por la del celestial; y si un soldado por un humo de honra, o vencimiento, y algun despojo se apercive, y pelea mas animosamente, que vosotros por la victoria del Demonio, y de vosotros mismos junto con el reino, y gloria eterna. Asi que no seais por amor de vuestro Señor no seais remissos, ni tibios, *quia arcum frangit intensio, animum remissio*; y al contrario, *animus laborantium impinguabitur* segun la Escritura. Procurad de entretener el fervor santo por trabajar en el estudio asi de letras, como de virtudes; que en el uno, y en el otro vale mas un acto intenso, que mil remissos, y lo que no alcanza el floxo en muchos años, un diligente suele alcanzar en breve tiempo. En las letras veese clara esta diferencia del diligente, y negligente. Pero ay la mesma en el vencer de las passiones y flaquezas, a que nuestra naturaleza es subjecta, y en el adquirir de las virtudes; porque es cierto, que los remissos por no pelear contra si, tarde, o nunca llegan a la paz del anima, ni a poseer enteramente una virtud, donde los estrenuos, y diligentes en breve tiempo passan adelante en lo uno, y en lo otro. Pues el contentamiento, que en esta vida puede haberse, la experiencia enseña que se halla, no en los floxos, sino en los que son fervientes en el servicio de Dios: y con razon, porque esforzandose de su parte en vencer a si mismos, y deshacer el amor proprio, quitan con el las raizes de todas las passiones, y molestias;

Z z

stias;

(3) Ital. &amp; Hisp. editiones non plenè reddunt Ignatianum sensum.



7. *Maji* 1547. stias ; y tambien con alcanzar los habitos virtuosos vienen naturalmente conforme a ellos a obrar facil , y alegremente . Pues de la parte de Dios consolador piadosisimo disponense a recevir sus santas consolaciones , porque *vincenti dabo manna absconditum* . Por el contrario la tibieza es causa de siempre vivir con molestias , no dejando quitar la causa dellas , que es el amor proprio inmereciendo el amor divino . Asi que debriades mucho trabajar con fervor santo en vuestros loables exercicios ; pues aun en esta vida sentireis el provecho del fervor santo no solo en la perfeccion de vuestras almas , pero aun en el contentamiento desta presente vida Pues si mirais al premio de la eterna ( como debriamos todos mirar ) , facilmente os persuadirá S. Pablo , *quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis ; que quod momentaneum est , & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* . Y si esto es en todo Christiano , que a Dios honra , y sirve , ya podeis entender quanta sea vuestra corona , si correspondeis a vuestro instituto , que es no solamente servir a Dios por vosotros mismos , sino atraher tambien otros a Dios , a la honra , y servicio suyo . Porque de los tales dice la Escritura , *Qui ad justitiam erudiunt multos , quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates* . Lo qual entiendan para si los que procuraren diligentemente hacer su officio , assi despues en exercitar las armas , como antes en aparejarlas : porque de otra manera es cierto , quo no basta entender en obras de suyo buenas , que nos dirá Hieremias , *maledictus homo , qui facit opus Dei negligenter ; y S. Pablo , quod in stadio (4) multi currunt , sed unus accipit*

(4) *Primæ Latina editio* : Et Apostolus : Omnes in stadio currunt ; sed unus . . . Item : Non coronabitur , nisi . . . *Bartolius* : e S. Paolo : Qui in stadio currunt , omnes quidem currunt ; sed . . . E che , non coronabitur , nisi . . . *Hispana Bartoliana verba Hispanicè reddunt* . *Descripsi e codice Hispano Latinam Ignatii sententiam , qui retento legitimo sacra Scriptura sensu tum hîc , tum saepe aliàs nonnulla verba & addit , & leviter commutat ; sed in Latino textu verba ipsa seu sacra Scriptura , sive aliorum veterum in lectorum gratiam descripsi ; quod semel hîc monitum volui* .



*capit bravium, & quod non coronabitur, nisi qui legitime certaverit;* esto es, el que bien trabajare. Pero sobre todo querria, que os exercitasedes en el amor puro de Jesu Christo nuestro Redemptor, y en el deseo de su honra, y de la salud de las almas, que reparò tan a su costa. Pues sois (5) soldados suyos con especial titulo, y sueldo en esta compaña nuestra: digo especial, porque ay otros muchos generales, que cierto nos obligan mucho a desear su honra, y su servicio. Sueldo suyo es todo lo natural, que sois, y teneis, pues os diò, y conserva el ser, y vida, y todas las partes, y perfecciones del alma, y cuerpo, y bienes externos. Sueldos son los mismos dones espirituales de su gracia, con que tan liberal, y benignamente os previno, y os los conserva, siendole contrarios, y rebeldes. Sueldos son los inestimables bienes de su gloria, la qual sin poderse el de nada aprovechar os tiene aparejada y prometida, comunicando os todos los thesoros de su felicidad, paraque seais por participacion eminente de su gracia lo que el es por naturaleza, y essencia. Sueldo es finalmente todo el universo, y lo que en el es contenido corporal, y espiritual. Pues no solamente ha puesto en nuestro ministerio quanto debajo del cielo se contiene, pero toda aquella nobilissima Corte suya, sin perdonar a ninguna de las celestes Hierarchias, *quia omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Y por si todos estos sueldos no bastan, sueldo se hizo a si mismo, dandose nos (6) por Hermano en nuestra carne, por precio de nuestra salud en la cruz, y por mantenimiento y compañero de nuestra peregrinacion en la Eucharistia. O quanto es mal soldado a quien no bastan tantos sueldos para hacerle trabajar por la honra de su principe; pues cierto es, que por obligarnos a desear-

Z z 2

la, y

(5) *Paucis his verbis Ignatii plus inest ponderis, quàm pluribus editionum vulgariarum.*

(6) *Ex his Ecclesia verbis: Se nascens dedit socium, convalescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.*



7. la, y procurarla con mas promptitud, quiso su Mage-  
*Maji* stad, prevenirnos con tan admirables, y costosos be-  
 1347. neficios, deshaciendo se en un cierto modo su perfectis-  
 sima felicidad de sus bienes para hacernos participes  
 dellos, y tomando todas nuestras miserias por hacernos  
 exemptos dellas, queriendo ser vendido por rescatar-  
 nos, infamado por glorificarnos, pobre para enriquezer-  
 nos, tomando muerte de tanta ignominia por darnos  
 vida inmortal, y bienaventurada. O quan demasiadamen-  
 te es ingrato y duro quien con todo esto no se reco-  
 nosce muy obligado de servir muy diligentemente, y  
 procurar la honra, y alabanza de Jesu Christo nuestro  
 Redemptor! Pues si conoceis la obligacion, y deseais  
 adelantaros, y emplearos en aumentar su honra, y  
 servicio, en tiempo estais, que lo es bien menester mo-  
 strar por obras vuestro deseo. Mirad donde sea oy hon-  
 rada la Divina Magestad, donde acatada su grandeza  
 inmensa, donde conocida su sapiencia, donde obede-  
 cida su sanctissima voluntad: antes ved con mucho do-  
 lor, como es ignorado, blasphemado su sanctissimo  
 nombre, en todos lugares la Doctrina de Christo eter-  
 na sabiduria desechada, su exemplo olvidado, el precio  
 de su sangre en cierto modo perdido de nuestra parte,  
 por haber tan pocos, que del se aprovechen. Mirad  
 tambien vuestros proximos como una imagen de la san-  
 ctissima Trinidad, capaces de su gloria, a quien sirve  
 el universo, templos del Espiritu Santo, miembros de  
 Jesu Christo nuestro Señor, redimidos con tantos do-  
 lores, infamias, y sangre suya: mirad, digo, en quan-  
 ta miseria se hallan, en tan profundas miserias de igno-  
 rancia, en tanta tempestad de deseos, y temores vanos,  
 y otras passiones, combatidos de tantos enemigos vi-  
 sibles, e invisibles, con riesgo de perder, no la vida,  
 o hacienda temporal, sino el reino, y felicidad eter-  
 na, y caer en tan intolerable miseria del fuego eter-  
 no. Digo (7) por resumirme en pocas palabras, que  
 si bien mirassedes, quanta sea la obligacion de tornar  
 por

(7) Hanc Ignatianam sententiam in omnibus editionibus re-  
 quiro.



por la honra de Jesu Christo Reparador nuestro, y por la salud de los proximos, veriadamente, quan debida cosa es, que os dispongais a todo trabajo, y diligencia para haceros idoneos ministros de la Divina gracia para tal efecto; mayormente habiendo oy tan pocos, *qui non quarant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi*. Por donde os habeis de esforzar mas a suplir lo que otros faltan; pues Dios os hace particular gracia en tal vocacion, y propositos. Y lo que nasta aqui he dicho por despertar quien durmiesse, y hacer correr mas a quien poco corriesse, no ha de ser para tomar ocasion de dar en el otro extremo contrario del indiscreto fervor: por que (8) no solamente vienen las enfermedades espirituales de cosas frias, como es la tibieza, pero aun de calientes, como es el demasiado fervor. *Rationabile obsequium vestrum*, dice S. Pablo conformandose con lo del Psalmista, *honor Regis judicium diligit, scilicet discretionem*, y lo que se figuraba en el Levitico, *in omni oblatione (9) tua offeres sal*. Y es asi que no tiene malicia alguna el enemigo de nuestra naturaleza tan eficaz para la charidad quitarla del corazon, como hacer que se proceda en ella incautamente, y no segun razon espiritual. El *Ne quid nimis* dicho del Filosofo debese en todo guardar, aun en la misma justicia, como leemos en el Eclesiastes, *Noli esse justus multum*: y a no tener esta moderacion el bien se convierte en mal, y la virtud en vicio, y siguense muchos errores, e inconvenientes contrarios a la intencion del que camina. El primero, que no se puede servir a la larga, como suele no acabar el camino el caballo que hace muy grandes jornadas al principio; antes suele ser menester que otros se ocupen en servir a los tales. El segundo, que no suele conservarse lo que se adquiere con demasiado apresuramiento. Porque como dice la

Escri-

(8) *Hanc a Latina indicatam, alia prætermittunt.*

(9) *Ita Bartolus cum Vulgata: Romana editio Latina, in omni sacrificio tuo offer sal: coæx H. sp., in omni sacrificio tuo offeres sal: integer Vulgata versus, Qui quid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.*



7. Escritura, *substantia festinata minuetur*; y no solo se dis-  
*Maji* minuye, pero aun es causa de caída, *qui festinus est*,  
 1547. *pedibus offendit*, no parando hasta lo bajo de la escala.  
 Tercero, que no se cura de evitar el peligro de cargar  
 mucho la barca; y es asi que aunque es cosa peligrosa  
 llevarla vacia, porque andará fluctuando con tentacio-  
 nes; mas lo es cargarla tanto, que se hunda. Lo quar-  
 to, que acaesce, que por crucificar el hombre viejo,  
 se crucifica el nuevo; no pudiendo por la flaqueza  
 exercitar las virtudes, y segun S. Bernardo quatro  
 cosas se quitan injustamente por este esceso, (10)  
*Corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo*  
*honor*: de donde infiere, que es, en cargo de todo  
 lo dicho, como un sacrilego por asi maltratar el  
 templo vivo de Dios. Decia que era quitar el ex-  
 emplo al proximo, porque la caída de uno espan-  
 ta, y entibia a muchos en la via espiritual, y aun  
 suele dar escandalo; y a esta causa los llama diviso-  
 res de la paz. Ultra de que dañan (11) asi mismos  
 con sobervia, y vanagloria, prefiriendo su juicio al de  
 todos, o a lo menos usurpando lo que no es suyo,  
 que es hacerse juez de sus cosas, siendolo por razon  
 el Superior. Sin estos ay aun otros inconvenientes, co-  
 mo es cargarse tanto de armas, que no pueda ayudar-  
 se dellas, como David de las de Saul; y proveer de  
 espuelas, y no freno a caballo de suyo impetuoso. De  
 manera que en esta parte es necesario discrecion, que  
 modere los exercicios virtuosos; y como bien avisa  
 S. Bernardo, *bonæ voluntati non semper credi expedit, sed*  
*frænanda est, sed regenda, & maxime in incipiente*; por-  
 que no sea malo a si, el que quiere ser bueno a otros,  
*qui enim sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Y si os  
 parece ser ardua cosa la discrecion, y difícil de saber,  
 a lo

(10) *S. Bernardi verba*: Corpori tollit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem.

(11) *Edit. Hisp.*; ellos mismos se condenan de sobervios, y de vanos, quando anteponen su proprio juicio al de tantos; *in Fluvia deest proprio, ut in codice: Bartolus*; Se stessi condannano di superbia, e di vanità, mentre il proprio giudizio anti-pongono a quello di tutti.



a lo menos suplirla con la obediencia será seguro. Y 7.  
 si alguno quisiere mas seguir su parecer, oiga lo que Mañ  
 dice S. Bernardo, *si quid sine consensu & voluntate pa-* 1547.  
*tris spiritualis fit, imputabitur vanæ gloriæ, non mercedi;*  
 y acuerdese que *quasi peccatum ariolandi est repugnare,*  
*& quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Asi que pa-  
 ra tener el medio entre la tibieza y fervor indiscreto,  
 ateneos a la obediencia; y si teneis mucho deseo de  
 mortificacion durante el tiempo del estudio, empleadle  
 mas en quebrar vuestras voluntades, y en sojuzgar el  
 juicio debajo de la obediencia, que en debilitar los cuer-  
 pos, y afligirlos sin moderacion. No querria con todo  
 esto, que por lo escrito pensasedes, que me desagra-  
 da, o (12) que no apruebo lo que se me ha escrito  
 aqui de algunas vuestras mortificaciones; que estas, y  
 otras locuras sanctas de aquellas usaron los santos a  
 su provecho, y que son utiles para vencerse, y ad-  
 quirir mas gracia, mayormente en los principios: pero  
 en tiempo de estudios, y a quien tiene ya mas Seño-  
 rio sobre el amor proprio por la Divina gracia, lo que  
 tengo dicho de reducirse a la mediocridad de la discre-  
 cion tengo por mejor, no se apartando de la obediencia,  
 la qual os encomiendo muy encarecidamente (13)  
 junto con aquella virtud, y compendio de todas las  
 virtudes, que Jesu Christo nuestro Señor tanto enca-  
 resce llamando suyo el precepto della. *Hoc est præce-*  
*ptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* No  
 solamente que entre vosotros mantengais el amor, y  
 union continua, pero que lo estendais a todos, y pro-  
cureis

(12) *Edit. Hisp., ut Bartolius; loque verdaderamente apruebo: Latina codici respondet.*

(13) *Edit. Hisp.; la qual en extremo (al. con extremo) os encomiendo, como virtud, que abraza, y comprende a todas las otras (al. comprehende todas las otras), y al precepto, que Christo Señor nuestro le llama suyo: mi precepto es, dice, .! Bartolius; la quale estremamente vi raccomando, come virtù, che tutte le altre abbraccia in compendio, e i cui precetti Cristo Signor nostro chiama suoi ordini: Hoc est . . . : quàm hæc turpiter aberrant, tam congruè Latina, licet non ad unguem, codici consentiunt.*



7. cureis encender en vuestras almas vivos deseos de la  
*Maji* salud del proximo, estimando lo que cada uno vale  
 1547. del precio, que costò, de la sangre, y vida del Uni-  
 genito verdadero hijo de Dios Jesu Christo Dios, y  
 Señor nuestro. Porque de una parte aparejando las  
 letras, y de la otra aumentando la charidad fraterna,  
 os hagais enteros (14) instrumentos de la Divina gra-  
 cia, y cooperadores en esta altissima obra de reducir  
 a Dios su primero fin sus criaturas. En este medio que  
 el estudio dura, no os parezca que sois inutiles al pro-  
 ximo; que ultra de aprovechar a vosotros, como lo  
 requiere la charidad ordenada, *miserere animæ tuæ, pla-*  
*cens Deo*, le servis en muchas maneras a honra, y glo-  
 ria Divina. La primera con el trabajo presente y la  
 intencion, con que lo tomais, y ordenais todo a su  
 edificacion: que los soldados, que atienden a bastecer-  
 se de armas para la empresa, que se espera, no se  
 puede decir que su trabajo no sea en servicio de su  
 capitan; y aunque la muerte ataje a alguno, antes  
 que se comience a comunicar al proximo esteriormente,  
 no por eso deja de haberle servido en el trabajo  
 de prepararse; el qual ultra de la intencion de adelan-  
 te debria cada dia de ofrecerse a Dios por los proxi-  
 mos; que siendo Dios servido de aceptarlo, no me-  
 nos podria ser instrumento para ayudar al proximo,  
 que las predicaciones, o confesiones. La 2. manera de  
 ayudar al proximo es haciendooos vosotros muy virtuo-  
 sos, y enteros, porque ansi sereis idoneos para hacer  
 tales los proximos, quales vosotros sois: porque el  
 modo que Dios omnipotente quiere que se guarde en  
 las generaciones naturales, esse mismo proporcionada-  
 mente quiere en las spirituales: muestra la Filoso-  
 fia y experiencia que en la generacion de un hombre,  
 u otro animal perfecto ultra de las causas generales,  
 como son los cielos, &c. se requiere otra causa agente  
 de la mesma especie, porque asi venga la forma, que  
 ha de

(14) *Edit. Hisp. cum Bartolio*: os hagais instrumentos dignos,  
 de que se valga de vosotros la gracia de Dios para el altissimo  
 ministerio de reducir las animas a Dios, nuestro ultimo fin.



ha de transfundir en otro sujeto; de la misma manera para poner en otro la forma de humildad, paciencia, charidad, &c. quiere su Divina Sapiencia, que la causa inmediata de que el usa como de instrumento, como son predicadores, y confesores, sean humildes, pacientes, y charitativos: de manera que aprovechando a vosotros mismos, grandemente servis al proximo. Porque no (15) menos, antes mas apto instrumento aparejais en la vida buena, que en la doctrina, bien que en lo uno, y en lo otro requiere el perfecto instrumento. La 3. manera de ayudarles es el buen exemplo de la vida, que en esta parte, como os decia, por la gracia Divina en todos de ay se difunde, y edifica, en otras partes fuera de esse reino; y espero en el autor de todo bien, que se continuaran sus dones en vosotros, para que passando adelante cada dia en toda perfeccion crezca sin buscarlo el olor sancto, y la edificacion, que del se sigue. El 4. modo de ayudar los proximos, y que mucho se estiende, consiste en los sanctos deseos, y oraciones; (16) y aunque el estudio no dà tiempo para usarlas muy largas, puede en deseos recompensarse el espiritu, y con todos los exercicios, que para aprovechamiento del proximo ayudaran, tomandolos por solo servicio de Dios. Pero en esto, y en las demas cosas mas de cerca tendreis con quien conferir las en particular, y a esta causa parece que se pudiera excusar parte de lo dicho; mas haciendo esto tan pocas veces, y siendome dicho, que deseabades letra mia, he querido esta vez consolarme con vosotros escribiendo largo. No otro por agora, sino que ruego a Dios nuestro criador, que como le plugo de haceros esta gracia de llamaros, y daros

A a a volun-

7.  
Maji  
1547.

(15) Aliquanto magis huc Latina, quàm alia interpretationes, accedit: pressius tamen, & propius fidem Hispanicam sic reddo: Non enim minus, imò verò idoneum magis paratis instrumentum bonà vità, quàm doctrinà, tametsi Deus perfectum utraque requirit instrumentum.

(16) Adeo jejuna hic sunt vulgata interpretationes, exempla ut mutila representare videantur.



7. voluntad eficaz de emplearos en su servicio, ansi le  
*Maji* plega continuar en todos, y augmentar sus dones, pa-  
 1547. raque continuamente crezcais, y persevereis en su ser-  
 vicio para mucha honra, y gloria suya, y ayuda de los  
 proximos, y de su Yglesia Santa.

De Roma 7. de Mayo 1547.

Vuestro en el Señor (17)

Ignacio.

### EPISTOLA XIX.

29.  
*Jul.*  
 1547. Epistola nostri P. Magistri Ignatii Romæ data 29. Julii  
 1547. ad Scholasticos Collegii Gandiæ Societatis  
 Jesu; ex ms. Florentino. Vide p. 58.

*De perfecta obedientia, & electione Superioris.*

Gratia & pax Jesu Christi Domini nostri vigeat semper  
 & accrescat in animabus nostris. Amen.

1. **Q**uoniam muneris mei, tantique oneris mihi im-  
 positi partes, & amor ac desideria, quibus  
 pro muneris officio a Deo Domino nostro &  
 conditore peramanter afficior, a me illud exigunt, ut  
 in ea omnia expetenda & contemplanda sedulo incum-  
 bam, quæ cum ampliori Societatis hujus incremento  
 congruere, tum ad Dei honorem & gloriam e majori  
 videantur Sociorum bono futura; ad id præterea me  
 incitant, ac prope necessario redigunt, ut nihil planè,  
 quod in propositum expedire finem favente Deo statue-  
 rim, pro virili mea moliri prætermittam, nihil non ope-  
 re præstare contendam. Atque ego sanè sic existimo,  
 inter cætera magnopere eo in genere conferre, quod  
 qui sociorum nomine censentur, si tali demum, ubi-  
 cumque consistant, numero coaluerint, ut vitam ali-  
 quan-

(17) Non nisi Latine additur hic nostro.



quandiu debeant instituere contubernii communione conjunctam; cunctorum præfectura deferatur uni, cui nimirum se perinde reliqui subjiciant, ac si Præposito Generali coram præcipienti subesse parereque contenderent. Quæ quidem res, cum in Lusitania primò, Patavii deinceps constituta, Lovanii modò sit exequenda; ad eandem agendi normam Gandiæ pariter isthic, atque Valentiaë, putamus accommodandam: & ubivis nostri commorentur adolescentes litterarum studia prosequentes. Quapropter ea primum per hanc vobis epistolam declarabo, quibus ego animum induxi in Domino, ut expedire credam alium quempiam nobis isthic Rectoris cum potestate sufficere, ad majorem scilicet supremi Numinis honorem & laudem, ad majus item omnium vestrum & singulorum beneficium, universæque Societatis emolumentum: illa insuper exponam, quæ tam in eligendi ratione, quàm in observando colendoque moderatore, arbitrabor in eodem Dño nostro maximè retinenda.

2. Ac primum quidem, quod in aperiendo versatur meum de subrogando Superiore consilium, fusiùs aliquanto explicare constitui, quàm ut pro re adeo sancta & necessaria persuadenda sufficeret: meum tamen consilium non est, ut probem solùm, quæ a nobis in præsentia statuuntur, ritè atque ex ordine stabiliri; sed multo id magis, ut vos cohorter ad obediendum, ac in suscepta obedientia hilare & pia cum voluptate perstandum. Itaque ut illud aggrediar, de quo mihi agendum proposui; quæ res vel maximè in hanc me sententiam impulit, ea profecto fuit, qua apud omnes gentes, in communem vitæ societatem ordinemque reductas, sancitum animadvertimus, ad nostram usque ætatem cuncta retro tempora repetentes; ut propter confusionis prævertenda mala, & multitudinem in officio continendam, unus aliquis plerumque summo cum imperio reliquis præponeretur, sive in urbibus Regumve ditionibus, sive in domibus privatisve conventibus: nam quod inter omnes valere constat, æquos rerum æstimatores, congruum id tandem sine dubitatione com-



29. probatur, & quidem rectius, atque naturæ magis con-  
*Jul.* sentaneum. Momenti tamen adhuc multo validioris ha-  
 1547. bendum est Christi Dñi nostri vividum exemplum, qui  
 cum parentum in convictu degeret, (Luc. 2. v. 51.)  
*erat subditus illis*: in quibus communis etiam omnium  
 nostrum Domina virgo Maria Josepho suberat, cui pro-  
 inde ut patrifamilias dixit Angelus: \* *tolle puerum, &*  
*matrem eius*. Quin imo ipsemet, cum in terris versa-  
 retur, Christus Dñus noster, curam omnem discipulo-  
 rum, quibuscum agebat, haudquaquam in se suscipe-  
 re dedignatus, Petro postmodum, ad Patrem rever-  
 surus, (Joan. 21. v. 17.) *Pasce*, inquit, *oves meas*,  
 Apostolici cœtus principatum, Ecclesiæque totius tra-  
 didit gubernaculum, vicaria mox administratione geren-  
 dum. Is verò susceptum retinuit dignitatis gradum, post-  
 quam etiam Spiritus Sancti numen Apostolorum afflavit  
 pectora per quam vehementer. Quod si eos non ideo  
 minus imperio decuit alieno gubernari; quanto magis  
 id oportet, in alia quavis congregatione constitui?

3. De Ecclesia quoque primitiva accepimus, Jaco-  
 bum cognomento Minorem Hierosolymorum Antistitem  
 constituisse; septem præterea in Asia præfectos, quos  
 illustri Angelorum nomine designat in Apocalypsi Joa-  
 nes, Ecclesiarum totidem regimini fuisse destinatos: quo  
 deinde more in aliis æque Societatibus constituendis ab  
 Apostolis servato, ad obedientiam moderatoribus exhi-  
 bendam hortatur S. Paulus his verbis: (Hebr. 13. v. 17.)  
*obedite præpositis vestris, & subjacete eis*. Atque ita qui-  
 dem solenne adeo institutum, unum cæteris tanquam  
 caput, præficiendi, cujus nimirum ductu velut in cor-  
 pore membra regerentur universi, ab eorum postea suc-  
 cessoribus sanctissimè custoditum, & ad hæc usque  
 tempora continenter propagatum, non inter eos obti-  
 nuisse tantum, qui vitæ genus consecrarentur ab homi-  
 num frequentia consuetudineque remotum, verum e-  
 tiam, atque inter eos maximè, usurpari solitum, qui  
 Collegia Religiosorum vel incoluere, vel de novo po-  
 tiùs erigenda curarunt.

4. Sed

\* *Matth. 2. v. 13. 20. Accipe puerum, . . .*



4. Sed tamen de his hactenus : cum etiam sine ex- 29.  
 emplis idem argumenta persuadeant . Nam si nullum est Jul.  
 habendum a nobis in omni vitæ genere præstantius , 1547.  
 quàm quo Deum obsequio affeceris quam cumulatissi-  
 mo ; illud porrò necesse est universis antecellere , quo  
 ei communis obedientiæ munus defertur ; qua non aliud  
 supremæ majestati suavius est , aliudve jucundius sacri-  
 ficium : ( 1. Reg. 15. v. 22. ) *melior est enim obedientia  
 quàm victimæ , & auscultare magis quàm offerre adipem  
 arietum .* Et jure quidem merito : plus siquidem offert ,  
 qui cum libertatis devotione voluntatem quoque & in-  
 telligentiam ( quod est in homine præcipuum ) submit-  
 tit Deo , quàm qui non hæc aliis quibuslibet , quæ  
 præstiterit , adjicienda putarit . Ad omnem pariter pro-  
 merendam virtutem , testatus est Gregorius , hanc vi-  
 vendi rationem pertinere , cum dixit : *obedientia non tam  
 virtus quàm mater virtutum .* Nec sanè mirum ; quippe  
 qua impetratur a Deo quidquid postulatur ; etenim ,  
 eodem referente Gregorio , *si obedientes fuerimus præpo-  
 sitis nostris , obediet Deus orationibus nostris .* Quod &  
 multo ante Gregorium divinæ nobis litteræ declararunt ,  
 dum Josuefum commemorantes , qui insigni quadam du-  
 cem suum Møysem prosequutus est observantia , me-  
 moriæ prodiderunt , solis cursum stare fecisse uno tan-  
 tum vocis imperio : ( Josue 10. v. 12. 14. ) *Sol contra  
 Gabaon ne movearis : immo vero , obediente Domino voci  
 hominis , Deum Omnipotentem solis etiam , universique  
 conditorem non recusasse , quominus ei dicto audien-  
 tem se præberet .* Iis ergo , qui sub alterius potestate  
 degunt , majora oportet ad virtutis incrementum adju-  
 menta suppetere , tum quia virtutis auctorem Deum  
 suis habent precationibus obsequentem ; tum etiam quia  
 ut est a quodam sapiente dictum , *hoc virtuti adjicies ,  
 quod propriæ voluntati detraxeris .*

5. Multis præterea , notum est , mentis erroribus  
 liberari , multa propriæ voluntatis cavere peccata , qui  
 a superioris nutu pendere , quàm suo malit judicio ob-  
 secundare . Quod ad totam profectò vitæ rationem ,  
 universè spectatam , attinere censendum ; non solùm ad  
 casus



29. casus singulares: eò namque plus sibi divinam quis pro-  
*Jul.* videntiam (humano loquendi more) obstringet, ut ac-  
 1547. curatiùs ab ea dirigatur & gubernetur, quò pleniùs po-  
 testati ejus per obedientiam se committat, quam Supe-  
 riori suo præstat, Dei personam referenti; quamque  
 in eo, quicumque demum is fuerit, reveretur & suspi-  
 cit. Huc accedit tentationes suas omnes & imbecillita-  
 tes abigendi & vincendi commodum, quod suppeditat  
 iis, qui obedientiæ nomina dederunt, propinqui mode-  
 ratoris faciliùs adeundi copia, cujus monitis consilioque  
 regantur: *quia vir obediens loquetur victoriam*; (Prov.  
 21. v. 28.) quò victoriam de seipso, præstantissimo  
 triumphandi genere, valeat reportare. Viam certè se-  
 curiorem, ut quæ a recto nusquam tramite deflectat,  
 non immeritò appellare licet istiusmodi exercitium; in  
 quo per obedientiam proprium judicium & voluntas a-  
 criter superantur & coercentur: quod tamen ipsum,  
 nullo adstante moderatore, cui te subjicias, cessabit  
 penitus. Eos vero, qui sollerti conatu ad obediendum  
 animum appellunt, præclaro quodam intelliget merito  
 commendari, qui obedientiam apud se statuat martyrii  
 speciem præseferre, cujus ope voluntatem privatam-  
 que judicium nullo non tempore jugulari prosternique  
 contingat; ut ut in homine scilicet arbitrii loco succe-  
 dat Christi Domini nostri voluntas, præcipientis ora-  
 culo ad nos delata: neque vitæ solius desiderium (quod  
 fit in Martyre) per obedientiam præcidi; sed omnia  
 prorsus ad unum desideria resecari. Equidem haud mo-  
 dicum pietatis operibus accedit pretium, cum honesta  
 per se obedientiæ merito cumulantur.

6. Juvat\* insuper attentè reputare, vestra vos vo-  
 lunta-

\* *Hispan.*: Es tambien de considerar, que os harà ir des-  
 cansados, y con mayor brevedad passar adelante en la via del  
 cielo, como a quien va en pies agenos, no en los propios de  
 su entender y querer: y en todas las cosas, como es dormir,  
 comer, &c. harà que camineis por dicha via con meritos conti-  
 nuos, como acaece a los que navegan, que reposando caminan.  
*Viden, Ignatiana concinnitas exquisitiori ejusdem interpretationi*  
*quid præstet? Nempe, ut agebat Horatius, sectantem leviam nervi*



luntate iudicioque spoliatos, salutis viam expeditiùs ag- 29.  
 gressuros, atque in ea ulterius, alienis quasi pedibus Jul.  
 insistentes, gradu quoque celeriore processuros; per- 1547.  
 petua deinde meritorum accessione præditis, seu som-  
 no. seu cibo reficiendis viribus, alterive cuicumque rei  
 operam impendatis, par utique vobis erit accidere, ut  
 susceptum sine cessatione cursum, quod solet usu na-  
 vigantibus venire. diu noctuque peragatis: donec tan-  
 dem vitæ terminum feliciter attingentibus, cæli aditum  
 certius admodum obedientia patefaciat, mandati detre-  
 ctatione semel quondam interceptum, quemque eadem  
 perversitate etiamnum, compertum est, occludi. Sed  
 & præsentis inter exilii calamitates ac peregrinationis  
 ærumnas mentem hæc vivendi norma summâ quadam  
 cælestis patriæ oblectatione demulcet; etenim, able-  
 gata cogitationum varietate multiplici, dubium non mo-  
 do hominem ancipitemque hæere non patitur; sed gra-  
 vissima etiam voluntatis propriæ sarcina sublevatum,  
 omnem jubet de se ipso satagendi curam abjicere, &  
 Superioris eam vigilantia penitus mancipare: unde pax  
 continuo provenit & tranquillitas; qua qui se destitui  
 sentiat, cum propinqui moderatoris, cui subiaceat,  
 præsidio sit instructus; caveat enimvero, ne vitio id  
 suo vertendum sit, quia pristinam videlicet sua sponte  
 repetierit, quam Superiori permiserat, sui ipsius solli-  
 citudinem; audiatque proinde Bernardum eos, qui sic  
 se gesserint, redarguentem: *qui vestri curam nobis se-  
 mel credidistis, quid nobis rursus vos intromittitis?* Ma-  
 gno igitur ad animi requiem instructus est adjumento,  
 (si tamen eximiam in eo latentem, justè noverit æsti-  
 mare, divinæ benignitatis significationem) qui secum  
 habeat, a quo regatur, loci propinquitate conjun-  
 ctum. Neque vero\* requie solum afficitur singulari, sed  
 humanæ conditionis sortem quoque prætergressus. ad  
 subli-

deficiunt, animique. Quod sapius in politissimis ejusdem interpre-  
 tibus avre fero.

\* Hispan: Y no solo hace descansar, pero ennoblece, y  
 grandemente eleva sobre su estado al hombre, haciendolo des-  
 nudar de si, y vestirse de Dios, sumo bien, ...



29. sublimiorem dignitatis gradum maximè provehitur; propria siquidem naturæ exutus impedimentis, Deo summè bono, cujus naturam induit, arctissimè copulatur; quique hominis animum eatenus replere consuevit, quoad sua ipsum voluntate non offenderit occupatum: ut sanè, quibus hùc evadere contigerit, jure liceat (modo ex animo obedientiam colant) effatum illud usurpare: *vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* (Gal. 2. v. 20.) Quæ quidem commoda; si cui fortasse videatur, ad eum posse perinde universa redundare, qui Generali Societatis Præposito obedientiam *in Domino* detulerit; mihi certe explorata res est; multo plane minori copia hæc ab eo percipi valere; quàm ad eos manare conspiciantur, qui in congregatione agentes vicini moderatoris, cui propter Dei obsequium se dedant, communionem fruuntur.

7. Omissis tamen iis, quæ hucusque relata sunt, spiritualibus emolumentis, peculiarem cujusque vestrum propius utilitatem attingentibus, ad conservationem præterea cœtus vestri totius præsidium haud ita leve vitæ hujusmodi instituto continetur: quando quidem ambigendum non est, nullam prorsus multitudinem in societate quacumque posse diu sine vinculo constare, nec sine certo ordine unquam posse cohærere; ordinem vero desiderari omnino, quoties ea capite destituitur, cui per obedientiam constringantur membra reliqua consentire. Ut adeo, qui vestram stare congregationem velit, uti nos profecto volumus, optare eum necesse sit, aliquo vos ornari capite, cujus ductum prosequamini. Super hæc autem, ut congregatio quæ Gandiæ sit instituta, æqua gubernatione dirigatur, plurimum quoque refert, aliquem præstò vobis esse, ad quem cuncta deferantur, & qui non aliter rebus omnibus prospiciat, atque nos ipsi coram facere studeremus, multa namque, momenti alioqui non exigui, usu nobis compertum est, evenire solere, quibus hinc nequaquam potest congruenter provideri: tum quod non omnia huc ad nos scripto referri valeant, nobiscumque communicari; neque enim tuto cuncta litteris consignaveris: tum quod etiam sæpe,



pe, dum quid vobis agendum sit, rescribitur, opportuna interim perficiendæ rei elaboretur occasio. Ei quoque, qui gravissimo nostro munere fungeretur, levamen inde non modicum, imo potius & valde justum accideret, atque necessarium: ut cum ad omnes potestati suæ commissos, in quos tamen nemo est, qui per se possit intendere singillatim, communem teneatur vigilantia curam adhibere; alienâ saltem operâ id ipse præstare queat.

8. Neque vero parvum indidem Societati universæ decus & commodum proficiscitur: quippe cui mirum in modum expedit, quotquot ejus disciplinam, institutaque sectantur, parendi artem apprime callere, atque in ea etiam admodum esse versatos, nullum præcipientis personæ delectum habendo, sed in ea Christum duntaxat Dominum spectando, cui propterea per obsequium, ejus Vicario delatum, observantiam ipsimet exhiberi putetur. Etsi enim nulla est hominum congregatio, in qua non maxime oporteat intentâ curâ obedientiam coli; eam tamen in Societate nostra eximia quadam necesse est, diligentia exerceri: partim quod qui in sociorum recensentur numero, ingenio sint doctrinaque conspicui; partim etiam quod a Pontifice Maximo Ecclesiæque Præsulibus in regiones nonnunquam terræque tractus destinantur, a Superioris conspectu longo intervallo disjunctos; partim denique quod apud viros principes gratiam ineuntes auctoritate non parum valent; aliisque pluribus de caussis, ob quas genus id mortalium, nisi præcipua obedientia laude præfulserit, vix quidem posse videtur in officio retineri. Nullum itaque exercitium est communi Societatis bono, meâ quidem sententiâ, congruentius alacritate quam exquisite parendi, nullumve magis necessarium. Quo quis autem recte præesse, aliosque scite noverit gubernare, opus est ut omnem prius in obediendo suam operam collocaverit quoad ejus facultatis redditus sit magisterio clarus: utque nostra permagni interest homines habere moderandi præceptionibus disciplinaque probe imbutos; sic summopere etiam juyat, certam insu-



29. per obtemperandi regulam inter nos existere, ex cujus  
*Jul.* præscripto agamus: quocirca usu in hac domo receptum  
 1547. est, inferiores ministros seu prorectores adesse duos,  
 unum altero superiore; quorum cuilibet, etiam si is  
 laicus sit adiutor, æque tamen ac nobis ipsis, vel cui-  
 cumque nostram obeunti vicem, ab omnibus qui intra  
 Collegii septa versantur, obsequium est deferendum.  
 Denique cum aliorum & errata, & recte facta, docu-  
 menta nostra esse debeant, ut recta de iis, quæ vel  
 fugere vel sequi debemus, consilia capiamus; errata  
 enimvero, nec sanè levia, nec ita pauca, cœtus con-  
 stat admisisse complures, quibus præpositi defuere am-  
 plà satis ad moderandum potestate muniti; contra vero  
 egregium Societates illas retulisse fructum, in quibus  
 ex instituta gubernationis lege unius tantum imperio  
 paruerint universi.

9. At vero quoniam satis multa de eo, de quo  
 primum disputandum erat, dicta sunt hactenus; quò ni-  
 mirum facile intelligatis, quàm merito quidem jure &  
 quàm consideratè decernatur utilis adeo ac necessaria  
 Superioris electio; præterea quam libenti non solum  
 animo, sed pio etiam cum sensu a vobis sit excipien-  
 da; reliquum est, ut de eligendi ratione, atque colen-  
 di moderatoris, quod deinde nobis est propositum, pau-  
 cis modo disseramus. Quod ergo ad eligendi rationem  
 attinet, tridui spatium ab omnibus, qui Gandiæ diversa-  
 mini, ad seorsum deliberandum assumpto, nullo inte-  
 rim inter vos adhibito de Superioris electione colloquio,  
 cœlestis opem auxilii, curæ sit, solito intentius efflagi-  
 tare, tum per vota precesque communiter, tum vero  
 per sacrificia, eo præsertim nomine a Sacerdotibus  
 peragenda, quò res bene feliciterque vertat: multum  
 insuper vobiscum cogitantes, quis muneri sustinendo,  
 spectata solum modo melioris formæ regiminis, cœtus-  
 que vestri majori commodo cum Divini honoris laude  
 conjuncto, futurus sit accommodatior: ut qui, inter-  
 posita conscientiæ religione, negotium in se suscipiat,  
 pro quo sit in extrema diei magnæ disquisitione summo  
 iudici responsurus. Quo facto, suum schedulæ suffra-  
 gium



gium pro se quisque in tertium diem committat, proprio chirographo subscriptum; idque una cum aliorum suffragiis vel in urnam coniectum, vel alibi repositum, ubi a nemine loco moveatur, in diem posterum reseruetur: quo die cum suffragia cuncta, vobis præsentibus universis, rite fuerint extracta; tum denique, in quem plura conspiraverint, Rector is vester sive Superior renuntiabitur. Quem ego jam nunc probo & confirmo, usque dum aliud vobis non significavero. Hæc autem eligendi formula usui vobis in præsentia esse poterit, dum adhuc isthic nullus est, qui sollemnia professionis vota suscepit, & quoad Societatis nostræ constitutiones promulgantur.

10. Rectorem vero declaratum eadem prorsus observantiâ a vobis arbitramur esse colendum, qua nosmet, seu qui nostram occuparet vigiliam, a Collegio vestro coram afficeremur. Eâ quippe, qua nos ipsi inter vos agentes auctoritate potiri cuperemus ad majorem Dei gloriam, majusque vestrum emolumentum, non aliâ porro neque in alium profectò finem, summæ rerum vestrarum præesse volumus Superiorem a vobis constitutum. Is igitur non secus est a vobis observandus, quàm nos si vobiscum versaremur: seu nostrum potius neuter, sed per nos Christus est Dñus noster, cui in utroque obeditis, reverentia prosequendus. Quisquis autem, qui vel nunc in vobis numeratur, vel Gandiæ vobis postmodum sufficiatur, ita animo comparatus non est, ut hac obediendi lege stare velit, & ad illam exigi, sive ab hoc, sive ab illo regatur moderatore, qui a Generali Societatis Præposito delegabitur; aliud is enimvero vitæ genus inire, vestrumque studeat deserere contubernium; in quo neminem adnumerari decet, qui quam docuimus obtemperandi regulam subire nolit, aut etiam nequeat. Certo itaque vobis omnibus hæ nostræ litteræ documento comprobabunt, quid nos de toto hoc obediendi studio, ut in Dño visum est, existimemus; & quid item eo in genere præstari potissimum requiramus ac desideremus ad majorem adolescentium nostrorum in spiritu profectum, qui modo



29. in Societate litteris incumbunt, quò magis Dei obsequium in dies amplificetur. laus & gloria conditoris ac  
*Jul.* 1547. Dñi nostri; qui pro immensa sua benignitate cælesti gratiæ dono affatim nos locupletare dignetur, ut ejus probè perspecta voluntate, eam cumulatè perficiamus. Amen.

Roma IV. Kalend. Aug. 1547.

*Ignatius.*

*Initio*  
*Aug.*  
 1547.

## EPISTOLA XX.

Ignatius Lojola Claudio Jajo.

*De singularibus Ducis Ferrariensis in Societatem Jesu beneficiis, & gratiis eidem referendis.*

1. **N**ovi equidem Rmum Cardinalem Sanctæ Crucis promittere tibi Ferrariam adeundi facultatem, postquam tuam in Concilio dixeris sententiam *de sacrificio Missæ*. Consensum meum quod spectat, is mihi profectò non solùm est voluntarius ob voluptatem, qua ex eo afficior, quod tua dux operà uti velit; verum etiam pergratum mihi foret, si cum Societate universa possemus nos ad ejus obsequium nutumque comparare: quare parva hæc occasio, quam nobis exhibet, magna cum voluptate suscipienda est, ut aliquam isti Principi referamus gratiam pro tantis, quibus nos sibi devinxit beneficiis. Sua etenim Excellentia, sub illud tempus quo adversa illa prima in hac Urbe nobis acciderunt; & literis, & latis pro nobis testimoniis favorem summum spirantibus; deinde vero nos fratri suo commendans Rmo Cardinali, atque aliis hujus curiæ primoribus, magnis suis conatibus studiisque adeo nos juvit ad impetrandam ab hac sancta Sede Societatis confirmationem, ut verè possimus dicere nullum ei Principem, seu Dynastem hac in re parem extitisse: & quod ad formandum attinet totum Societatis corpus, suam



sum nos Excellentiam tantis obstrinxisse nominibus, ut paribus nullus omnino Principum: cujus nimirum Deus favorem præ ceteris auxiliumque delegit, eadem ad fundandam Societatem ut instrumento utens efficaci. Et quoniam tanta illa memoriâ repetere beneficia, quæ tantâ nobis contulit voluntate cum nobis erant quàm maximè necessaria; juvabit profectò ad animum tuum validè movendum, ut studiosius Excellentiae suæ deservias (quanquam mihi persuadeo, etiam sine istis obedientiam tuam & caritatem satis superque futuram), exemplum ad te mittam & testimonii, & literarum, quas sua Excellentia in nostram commendationem perscripsit. Quare vehementer tibi commendo, ut quibuscumque in rebus tuâ operâ volet uti ad divinum obsequium, enitare operibus probare voluntatem, quam non tu modo, sed universa etiam Societas æquis Excellentiae suæ usibus præstare tenetur.

2. *Hactenus Bartolius ipsis Ignatii verbis Italicè: reliqua Latinè Orlandinus ex ejusdem verbis, quorum priorem partem compendio, alteram videtur integram in hunc modum reddere: Respondit B. Pater, cupere se cum Societate tali Duci, qui laicos inter Principes Societati nascenti studiose favisset, toto animo deservire; amplectendamque perlibenter oblatam occasionem ad contestandam debitam, gratamque memoriam. Quod autem ad agendi spectaret modum, atque formam; seu de Deo habenda esset oratio, seu lex explicanda divina, seu alia quævis munia pie gerenda, unum & idem putarat esse responsum, totus videlicet ut ex Duce penderet. Æquum enim esse, ut cum is esset a Christi Vicario Ducis usibus, commodisque concessus, sineret sanè ab ipso Duce se regi. Et quamdiu Ferrariæ apud illum esset, eum sibi Superioris, & Præpositi loco duceret, quoties vel Dei causa, vel ipsius Ducis bonum, civiumque requireret. Quod si permitteretur a Duce potestas, tum quibuscunque posset officiis pro Societatis disciplina, moribusque vacaret. Eò ut venit, & salutato Duci ex Ignatii præscripto se obtulit,...*



Sept.  
1547.

## EPISTOLA XXI.

Societatis Collegio Complutensi.

*De Salmantino Collegio a Cardinali Cauriensi per Doctorem  
Michaelem de Torres condendo.*

Jesus.

1. **A**nte dies fere triginta Cardinalis Cauriensis mihi dixit, cogitare se Collegium Salmanticæ constituere; quod si facere cœpisset, cogitationem planè suscipere annuos eidem redditus ducatorum duo millia sancienti: nobis autem alibi jam Collegia, subdebat, habentibus, multo magis a re nostra fore Salmantinum. Deinde cum intra dies octo me advocasset, præcisè mihi dixit, velle se huic Societati Salmantinum inchoare Collegium; statimque redditus ex Beneficiis daturum se ducatos quadringentos, atque in se recepturum ut e paternis bonis alii ducenti solverentur; meque rogavit, ut duos e nostris sibi concederem Salmanticam mittendos, qui & rem hanc promoveant, & ad pietatem populum cohortentur; quibus ipse domum, ceteraque omnia daret necessaria.

2. Cui ego cum operariorum in Societate penuriam obtendissem; mandavit mihi, ut de re mecum deliberarem. Quia vero proprium ipsius, piumque pariter negotium mihi commisit, sæpius mihi fuit opus eundem convenire. Quare post initum a se consilium inchoandi Collegii, ter vel quater sum adhuc cum ipso collocutus; ac toties mihi sermonem hac de re ingressit, *in dies* magis confirmatus sententia suscepti consilii exequendi. Cum ultimo colloquio de mittendis a nobis Salmanticam deliberarem; eidemque proposuissem, possetne Dñus Turrianus doctor illò ire; rem Dominatio sua Rñna cum perpendisset, multa *in laudem* Dñi Doctoris collocutus ajebat, id sibi optimum sanè videri, ac se etiam ad ipsum scripturum. Cum autem nonnihil difficultatis objecissem, quòd Dñus eidem Dux Gandiensis commendarat, ut Collegium curaret Cæsaraugustæ fa-  
cicæ



ciendum, de quo videlicet inchoando facultates quasdam & mandata ipse mihi nunc trans mittebat: Dominatio sua R<sup>m</sup>a intercessit; ac dixit, quanto majoris esset momenti Salmantinum, *in laudem* illius Academiae plura mihi interponens: quem cum ego tristitia afficere non auderem pro magna sua in D<sup>ñ</sup>um Doctorem Turrianum benevolentia; ac mihi etiam (quoad ejus fieri posset) videretur idoneus, ultro sum ipsi pollicitus, me ad D<sup>ñ</sup>um Ducem, & ad Licentiatum Araoz perscripturum, ut Dominationis suæ R<sup>m</sup>æ voluntati faveant; quin etiam ad D<sup>ñ</sup>um ipsum Doctorem Turrianum in eandem sententiam.

Sept.  
1547.

3. Quibus dictis majorem in modum ipsi satisfeci, atque inter nos convenit rem ad vos a me deferendam, ut D<sup>ñ</sup>us Turrianus Doctor certior fiat, incipiatque se ad iter præparare, quò illud Salmanticæ ponat principium, cum Dominatio sua R<sup>m</sup>a de re ad ipsum perscripserit. Se vero, cum primum Summus Pontifex (qui Perusiam abiit) huc redierit, cum sua coram acturum Sanctitate, ut Collegio in redditus addicantur quadrigeni ducati ex præstimoniis & beneficiis simplicibus, quæ sibi sunt apud Salmanticam, ut opus videlicet inchoetur. Ego vero Dominationem suam R<sup>m</sup>am cohibere cogito, quo minus antea ad Dominum Doctorem scribat, quàm ad hæc responsum habeamus.

## EPISTOLA XXII.

Ignatius Lojola Simoni Rodriguez.

Anno  
1547.

*De Francisco Strada post obitum Fabri ad Hispaniæ Curiam mittendo; ac de causis gravissimis, quare videatur idem Borgiæ voluntati concedendus: propriam tamen sententiam ita confirmat, ut alterius probet contrariam.*

1. **V**ideo equidem tibi non probari, facultatem ut Stradæ largiaris ad Curiam Principis adeundi; quanquam tuam meæ permittis sententiæ de eodem seu  
illuc



*Anno* 1547. illuc mittendo, seu istic retinendo. Credo te meliùs coram circumspicere præcipua & propria rerum adjuncta: unde videlicet apud te constituis, ut eum ad Curiam Principis non dimittas. Quamobrem tuum probo iudicium. Licet autem post Fabri bonæ memoriæ obitum videatur valde fore opportunum, aliquem eò se conferre; de hoc tamen, ut dixi, tuo illi stabo iudicio, quo istic ad majorem Dei honorem & gloriam usus fueris.

2. E Gandia, ut puto, Dñus Dux illum a te etiam petivit (& non ab ipso tantum), ut Hispali & Cæsaraugustæ ea inchoaret, quæ pro immissa in eum a Deo voluntate huic Societati facere constituit: cujus rei, arbitror, factum te fuisse certiore. Jam vero, ut & quæ sentio in Domino nostro, tibi dicam, & quod ad majorem Divinæ Majestatis honorem & gloriam attingere existimo, & quod ego ad hunc duntaxat finem desidero; id profectò est, ut Ducis petitionibus obsecundes, atque in primis de Strada: quod multa mihi suadent rationum momenta. Namque, ut unum dicam, si optanda nobis & procuranda est hujus Societatis accretio ad ejus honorem & gloriam, cujus causà cœpimus, atque ad ejusdem carissimam Ecclesiam adjuvandam; haud quaquam sunt eæ prætermittendæ occasiones, quæ ad eundem finem a Deo, minimè quæsitæ, ultro nobis offeruntur; cujusmodi est prompta hujus Domini & tam impensa voluntas, qua id ipsum vult Hispali & Cæsaraugustæ suis opibus inchoare, quod longè jam Gandiæ provexit. Et sanè videmur usuri nos malè oblatà a Deo nobis occasione, nisi vellemus spiritale auxilium ad temporale, quod nobis offertur, adjungere. Præter hoc, quod Societatem propiùs attingit, aliud etiam ab ipsis populis accedit momentum, præsertim ab Hispali, ubi pro magna populi frequentia, aliisque de causis peculiaribus, magnus merito fructus sperari posset; si quis idoneus excitandis adesset animis, & adjuvandis.

3. Tertium petitur ex Magistro Strada; cum enim Deus illi boni Oratoris dotem contulerit; ut ubicunque  
dixe-



dixerit, motus animorum magnos excitarit, e re fore videtur, ut eodem illis præcipue in locis uteretur, ubi maximè Societatis interest conceptam de illa opinionem sustinere, præsertim si Collegium inchoetur: etenim pronum esset, ut si quis habendis concionibus quid insit Societati boni patefaceret; multi principio conspecto ad cœpta longiùs provehenda moverentur. Quartum ad Ducem ipsum refertur; quem cum videam a deo impensè pietatis ac divini cultus rebus incumbere; tantoque ardore Societatis nostræ negotia promovere, credo equidem, circa fines & media in eam a se rem usurpata, Deum Dominum nostrum, quid e suo obsequio & voluntate sit, eidem manifestare. Quintum ipsum pariter spectat; cum enim pro tanta benevolentia & pro meritis, quæ hactenus in nos contulit, ac confert, adeo nos sibi devinxerit, summo jure constringimur quibuscumque rebus *secundum Deum* poterimus, ut in præsentì, eidem gratum facere. Ac ne pluribus utar, crede mihi, Magister Simon, si quæ de illo novi ego, scires & ipse (nec enim possunt omnia literis commendari), nullam profectò causam visuram tibi satis idoneam, quominus ei obsecundares, nisi quòd non posses; id quod modò non video.

4. Gaudere quin etiam deberes, quod ad te attinet, quòd tuà operà Deus uti velit, ut quod impensè Dux temporarià, ipse spiritali conficias ædificium inibi construendum; nempe submissis a te operariis, qui opus illud exordiantur; Hispali præsertim, cujus cum Lusitania vicinitas opportuniorem factura videatur utriusque Collegii communionem. Adde quod ipsi etiam Regi gratissimum fore videatur, quas in suo regno severit plantas, non illi duntaxat prodesse fructibus, sed aliis etiam semina suppeditare: quò enim magis propagabitur, latiusque patebit bonum, quod sua Celsitudo (secundum Deum) inchoavit, eò major erit æternæ suæ gloriæ corona; eoque magis accrescet Dei honor, qui demum est desideriorum nostrorum finis ultimus. Itaque, Magister Simon, satis copiosè tibi declaravi sententiam meam ac voluntatem, quam so-



Anno 1547. lùm ob Dei amorem habeo, de more Duci gerendo; teque rogo, ut propter ea ipsa, quæ me movent; aliud tibi non videatur.

20.  
Jan.  
1548.

## EPISTOLA XXIII.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

*Petit virum, a quo excitetur; idoneos item operarios, & jam pridem postulata. De consilio Japoniam adeundi, Superiores sociis ubique præficiendi, precumque desiderio, quibus ipse juvetur.*

Gratia & Charitas D. N. &c.

1. **D**eus mihi conscius est, quantoperè in hac quoque vita te videre expetam, Pater charissimè! ut tecum multis de rebus communicem, quæ tuam opem ac remedium desiderant: nulla enim locorum spatia obstant obedientiæ. Video in his locis è Societate esse permultos: rursusque nos animorum nostrorum medico multùm egere video. Ego te per Jesum Dominum oro & obtestor, Pater optime, ut his quoque filiis tuis, qui in India versamur, prospicias; virùmque mittas aliquem virtute ac sanctitate præstantem, cujus vigor & alacritas torporem excitet meum. Magna me spes tenet, quoniam divinitus animorum nostrorum affectiones tutè perspicias, abs te operam datum iri diligenter, ut omnium nostrùm jam languescens virtus ad perfectionis studium vehementiùs incitetur.

2. Nihil magis hæc terra ab Societate nostra, quàm Concionatores desiderat. In his, quos huc magister Simon submisit, nemo est (quod sciam) Concionator. Lusitani autem Indiam incolentes, pro suo egregio erga nos studio ac benevolentia, idoneos nostræ Societatis Concionatores exoptant mirum in modum. Proinde te per Deum, ejusque cultum, obtestor, ut tam pii justique illorum postulati memor, aliquot huc mittas Patres  
ad id



ad id munus appositos qui rectum errantibus salutis iter ostendant. Quos præterea è Societate missurus es, ut Evangelii causâ Ethnicorum vicos peragrent, hos tam spectata probitate oportet esse, ut tutò & comitati ire possint & soli, quocumque eos Christiana res vocet, in Molucum, in Sinas, in Japoniam. Vel ex Sinarum & Japoniæ, earumque gentium descriptione, quam his inclusam litteris ad te mitto, facile intelliges, cujusmodi tandem ipsa res expectat viros.

20.  
Jan.  
1548.

3. Pontificias indulgentias, privilegiùmque Aræ maximæ nostri Collegii, item potestatem Sacerdotibus, ut remotos populos Chrismate inungant pro Episcopo, de quibus ad te superioribus annis scripsi, incredibiliter expectamus. De Quadragesima usus me docuit, nihil admodum necesse esse quicquam immutari. Nam Lusitani adeò locis disjuncti sunt in India, ut si commodum spectes publicum, nulla immutatione opus sit. Neque enim hyems eodem tempore per omnes Lusitanorum civitates atque oppida vagatur. Quare habita communis boni ratione, satiùs duco, nihil decerni super ea re novi, etsi video non deesse, qui contra sentiant.

4. Nondum planè constitui, utrùm ego ipse cum uno aut altero e Societate Japoniam post sesquiannum petam, an eò duos e Societate præmittam. Nam certum est mihi aut ire, aut alios mittere: atque ut nunc est, inclinatus animus in consilium eundi. Deum oro, ut quod magis ei cordi est, id liquidò præscribat mihi. E tribus Sociis, qui Molucum petierunt, visum est unum eligere, qui præesset ceteris. Itaque Joannem Beiram delegi, cui reliqui obtemperarent non secus ac tibi. Id illis pergratum accidit. Idem in Promontorio Comorino, ceterisque locis, ubi plures e Societate versantur, instituere cogito. Tu velim tuâ tuique studiosorum deprecatione nobis in hac barbarie versantibus cælestem implores opem. Quod ut facias impensius, Deum immortalem oro, tibi ut ostendat divinitus, quantum ego tuæ vel opis, vel operæ indigeam.

XIII. Kalen. Febr. anni a Christo nato MDXLVIII.  
Cocini.



28.

Jan.  
1548.

## EPISTOLA XXIV.

Ignatius Lojola Pistoriensi Episcopo :

*Officiosissimè causatur sociorum penuriam , quo minus in  
præsens graviolem aliquem Episcopo concedat .*

*Foris .* Rñno in Jesu Christo Domino nostro D. D. Episcopo  
Pistoriensi Dño meo in Christo observandissimo .  
Pistorium , vel Pratum .

*Intus .* Admodum in Jesu Christo Domino nostro  
Reverende Præsul .

Gratia Dñi nostri Jesu Christi per veram cognitionem ,  
& amorem suum vivat semper in cordibus  
nostris . Amen .

**E**x literis , quas ad me dedit Rñna Dominatio vestra die 20. labentis mensis , intellexi , Hieronymi Otelli industriã aliqua ipsam ex parte uti : quod cum propter studium nostrum , tum propter eam , quæ in Domino nostro affecti sumus , Rñnæ Dominationi vestræ obsequendi voluntatem , nobis fuit gratissimum ; summamque semper voluptatem afferet , quotiescunque incidit occasio , aut ipsi , aut cuivis etiam alteri nostram operam deferendi . Sed tamen cum de Hieronymo nesciam , qua is ratione fidem suam Florentinis obligaverit ; idcirco rem totam socio nostro permittens Dño Jacobo Lainio , unum addam , optare me , ut Rñnæ Dominationi vestræ , quantum fieri potest , mos geratur & obsequium . De mittendo autem isthuc provectionis quidem ætatis alio quopiam , æquissimum sanè foret justo adeo Rñnæ Dominationis vestræ desiderio satisfacere , si modo copia suppeteret , quæ tamen est in præsentis nulla : cum magnam nobis hoc ipso tempore necesse sit sociorum manum colligere varia in loca destinandam . At vero in dies singulos fortasse commo-  
diora .



hora. Quæ si contingant; spero nos, adjuvante Dño nostro, minime defuturos, quominus id agere studeamus, quantum in nobis erit, quod ad Divinæ Majestatis honorem pertinebit. Interea Divinam hanc Majestatem rogo, uti sanctissima gratiæ suæ munera in Rmā primum Dominatione vestra tueatur semper, & au-  
geat, atque ejus operā in universo dein grege, suæ sollicitudini commisso. Ego etiam submissè me una cum hac nostra Domo, Societateque universa Rmæ Dominationis vestræ precationibus commendo; eisque præsertim juvari desiderat, qui vestræ totus Rmæ Dominationis est, Magister Joannes Polancus.

Roma V. Kal. Februar. an. 1548.

*Dominationis vestræ humillimus*

*in Dño nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XXV.

Ignatius Lojola Petro Contarinio.

24.  
Mart.  
1548.

*De honesto viro ad Antonium Augustinum sibi commendato, cujus causâ nihil non egerit.*

Domino meo in Domino nostro Dño Petro Contarinio. Venetias.

Foris.

Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Gratia & pax Jesu Christi Domini nostri maneat semper & crescat in cordibus nostris.

Exeunte proximo Novembri redditæ sunt mihi tuæ literæ, quibus hactenus non respondi, quippe qui factâ potiùs cuperem, quàm verba reddere, tum propter commendationis argumentum per se quidem æquis-  
simum,



24. *Mart.* 1548. simum, tum quòd & ego ipse & Societas nostra minima universa jam inde ab exordio majorem in modum tibi sumus devincti. Commemini tuas literas a quodam honesto viro fuisse mihi redditas præ valetudine decumbenti, nihilominus, nullà sim licet familiaritate Rñno Auditori Antonio Augustino conjunctus, promisi viro, facturum me ut illi ejusdem causa per Cardinalem Carpensem commendaretur (ut in alia jam feceram); quin & me ipsum cum eodem Rñno Antonio coram acturum: hoc etiam latori literarum adjeci, si quid a me præterea desideraret, illius me causà pro viribus quidvis præstiturum. Ipse vero, probatà superiore illa mea ratione & consilio, ad me reversurum se dixit appetente commendationis tempore, nondum tamen est reversus: quare constitui hos tibi versus conscribere, quibus intelligas, nullum a me fuisse prætermissum officii genus, quod quidem in me esset, seu quod pia commendatio tua requireret. Licet enim mihi facultas sit plane tenuis, tamen pro maxima tuorum in me officiorum & gratiæ debitione, si minus par, certè paratus est animus & studium, sedulam tibi pro virili, rebusque tuis ad pietatis officia operam navandi. Deo sit de rebus omnibus laus & gloria; cujus rogo bonitatem summam, ut suorum sanctissimorum munerum, & gratiarum copia sit tibi semper propitia, ipsius ad obsequium & gloriam amplificandam. Amen.

Roma 24. Martii 1548.

Dominationis tuæ

*Humillimus & obligatissimus*

*in Dño nostro servus*

*Ignatius.*



## EPISTOLA XXVI.\*

Antonius Criminalis Ignatio Lojolæ.

4.  
Dec.  
1548.*De spiritualis gradu Coadjutoris, amplissimisque gratiis  
sibi ab Ignatio concessis.*

Jesus sit semper cum omnibus.

**T**uæ humanitati (Venerabilis Pater) me indignum Societatis Coadjutorem benigne placuit admittere: qua in re dabo operam pro viribus, ut tuis votis respondeam, quod quidem Domino Jesu Christo præstante, spero facturum. Non ideo ad hoc munus me idoneum judico: nam longe me ad tanti muneris functionem distare reperio: nihilominus sicuti tibi visum est, ita censeo me ad unguem obtemperaturum. Non solum autem Coadjutorem, sed & omnium bonorum, atque meritorum Societatis participem facis, insuper omnibus facultatibus, gratiis, auctoritateque non secus ac Professis, uti libere concedis. Præterea doces me, Pater, hæc omnia ad ædificationem, non ad destructionem concessa: quod mihi proculdubio ubique terrarum in eodem Domino Jesu Christo persuasi sequuturum. Et, ut melius progrediar, etsi alias Romæ carissimo in Christo Domino Laudensi vota Paupertatis, & Castitatis, atque Obedientiæ, tibi danda reliqui: licetque alibi idem pluries voverim, scias velim me non solum Præposito, & Professis, Coadjutoribusque sive cooperatoribus, sed cuicumque Societatis nomine existenti, etiam servo, perpetuo astrictum esse. Quod attinet ad illa septem, in quorum unum si quis incidisset, ad Societatem non admitteretur, laudetur Dominus noster Jesus Christus, qui me ab illis protexit. & eripuit. Reliquum est, ut obtenta facultate a Magistro Francisco, quibus

\* De hac Latina Criminalis epistola v. p. 71. n. 65.: Laudensis Dominus, in ea memoratus, est Petrus Codacius S. Ignatio carissimus; de quo plura Orlandinus.



4.  
Dec.  
1548. quibusve expedierit, gratiis illis in Domino utar. Nam absque illa omnino abstinendum esse duxi, perinde ac si hæc ad me nunquam pervenissent. Interim Domino Deo optimo, maximoque gratias agam, ipsum precabor, ut omnes nos ad Cælestem Hierusalem pervenire concedat.

Ex istis regionibus Indiæ, Commorini caput appellatis die quarto Decembris 1548.

14.  
Jan.  
1549.

## EPISTOLA XXVII.

Franciscus Xaverius R. P. M. Ignatio Lojolæ,  
Præposito Generali. Romam.

*Indorum mores, labores sociorum & pericula, dotes Rectori Goano necessariae; Societas Jesu, quæ amoris atque concordiae Societas est, maximis intervallis in India distributa. De Neophytis Indiæ, de Japonibus institutoque Japoniensi itinere. De collegiis Societatis in India erigendis, de Sociis, atque literis eò mittendis cum Indulgentiis ad Fr. Vincentium Societatis amantissimum. Sacrum pro se ad S. Petri Janiculensis faciendum: positus humi genibus Ignatium implorat.*

Gratia & Charitas Christi D. N. adsit nobis semper.  
Amen.

Mi Pater in Christi visceribus unice.

I. **E**tsi litteris Sociorum, quæ hinc Romam proximè missæ sunt, certiolem te factum arbitror, quam feliciter his locis res Christiana, vestra deprecatione, Deique beneficio geratur; tamen videntur etiam nonnullæ meæ partes. Itaque pauca quædam de hisce locis tam procul ab Urbe remotis hæc epistolâ perstringam. Primùm gens omnis Indica in universum (quantum videre potui) est admodum barbara, nec quicquam nisi  
suis,



suis, hoc est, barbaris moribus consentaneum averti au-  
 dire: de rerum divinarum ac salutarium cognitione nihil  
 admodum laborat. Ingenio plerique sunt pravo, & à  
 virtute abhorrenti. Incredibili mobilitate animi atque  
 inconstantia, fide exigua, ac penè nullà: tanta est  
 consuetudo peccandi atque fallendi. Hic nos tum in  
 Christianis excolendis, tum in convertendis Ethnicis  
 multum elaboramus. Proinde par est nos filios tuos  
 præcipuè tibi curæ esse, tuisque apud Deum precibus  
 continenter juvari. Neque enim te fugit, quantum ne-  
 gotii sit homines erudire, qui neque Dei notitiam ha-  
 beant, neque pareant rationi; sed alienum ac minimè  
 ferendum putent, avocari à consuetudine peccandi, quæ  
 jam naturæ vim obtineat propter vetustatem.

2. Hæc loca sunt sanè laboriosa, vel propter sum-  
 mos æstatis calores, vel propter maximos hyemis ven-  
 tos atque imbres. Alimenta atque subsidia in Socotora,  
 Moluco, Promontorio Comorino perexigua; labores tum  
 corporis, tum animi, propter ingenia hominum, qui-  
 bus conflictandum est, ingentes planè atque incredibi-  
 les. Linguae insuper harum nationum haud sanè faciles  
 ad cognoscendum. Discrimina porrò utriusque vitæ &  
 plurima & maxima. Atqui ut omnes è Societate Jesu  
 immortales Deo gratias agant, illud liquidò affirmare  
 possum: Socios hosce omnes, eosdè filios tuos,  
 qui in India versamur, maximæ Deo esse curæ, ut di-  
 vinitus non solùm animorum corporumque periculis exi-  
 mamur; sed etiam omnibus (id quod omnes summope-  
 rè mirantur) Lusitanis, privatis pariter ac Magistrati-  
 bus, Præpositisque Ecclesiasticis, itemque Indis, tum  
 Christianis, tum Ethnicis, chari simus ac jucundi.

3. Atque Indi omnes, vel Ethnici, vel Saraceni  
 (quod adhuc intelligere potui) sunt admodum imperi-  
 ti. Quapropter iis, qui hæc loca Evangelii propagan-  
 di causa peragraturi sunt, non tam litteris opus est  
 multis, quàm virtutibus; maximè verò obedientiâ, per-  
 severantiâ, patientiâ, charitate, eximiâque adversus  
 plurimas peccandi illecebras castimoniâ, denique non  
 vulgari consiliò ac prudentia ad res gerendas, valetu-



14. *Jan.* 1547. dinèque ac robore animi & corporis, ad perferendos labores & ærumnas. Hæc eò scripsi, quòd necessarium existimem, spectari diligenter virtutes eorum, qui posthac sunt in Indiam venturi. Quòd si qui satis probati non erunt, quæso te, sint ejusmodi, quibus magnopere confidas. Tales enim India desiderat, viros scilicet egregiâ castitate atque humilitate, qui nullam speciem præseferant superbiæ atque elationis.

4. Quem missurus es Rectorem Goani Collegii, alumnorum indigenarum, itèmque Sociorum, hunc præter alias Rectoribus necessarias, duabus potissimum laudibus præditum esse oportet. Primùm, singulari obedientiâ sit insignis, ut obsequio atque humilitate benevolentiam sibi conciliet Magistratum, Præpositorumque Ecclesiasticorum. Utrique enim, si usquam, his locis observantiam & obedientiam ab iis, quibus præsent, vel maximè requirunt. Qui nos, si observantes, dictòque audientes esse videant, mirificè amplectantur; sin minùs, penitus aversentur. Deinde facilitate excellat, affabilisque in congressu atque sermone sit potius, quàm severus ac gravis, ut animos cùm omnium, tum verò alumnorum & Sociorum, quibus præfutura est, omni ratione devincere sibi & velit & possit. Omninòque ne is sit, qui timeri se, quàm amari malit; atque id agat, ut per severitatem atque terrorem Socios sibi commissos tamquam servos in ditione habeat ac potestate. Istiusmodi enim acerbitas multis exitum, paucis aditum in Societatem patefaceret.

5. Mihi verò nemini vis adhibenda videtur (ni fortè amoris vis & charitas) ad quemquam invitum in Societate retinendum; sed potius à Societatis instituto abhorrentes dimittendos censeo, vel invitos: aptos verò & idoneos, ut charitate devincti in ea conserventur; & virtutibus ac meritis augeantur; præsertim verò cùm in his locis tantum ærumnarum Christi Domini nostri causâ perferant. Et sanè, ut mihi videtur, Societas Jesu nihil est aliud, nisi Societas amoris atque concordia, à qua profectò acerbitas ac timor servilis longissimè abhorret. Hæc eò spectant, ut virum exquiras  
huic



huic oneri parem & accommodatum; quò talis utique esse debet, ut in imperando, obsequendi magis præseferat studium, quàm imperandi.

14.  
Jan.  
1547.

6. Pro usu, quem horum locorum habeo, illud mihi affirmare posse videor, per Indiæ indigenas nullam aperiri viam Societatis nostræ apud eos perpetuandæ: Christianam autem religionem iis, qui hîc sumus, superstitem vix futuram. Itaque necesse est isthinc Sociorum supplementa submitti. In omnibus Indiæ partibus, ubi Christiani sunt, aliquot è Societate versantur: in Moluco quatuor, Malacæ duo, sex in Comorino Promontorio, Colani duo, totidem Bazaini, in Socotora quatuor. Hæc loca distant inter se maximis intervallis, velut Molucus ab urbe Goa leucas amplius mille, Malaca quingentas, Comorinum Promontorium CC., Colanum CXXV., Bazainum LX., Socotora CCC. Singulis autem locis unus est è Societate, cui pareant cæteri. Et quoniam qui præsent, viri sunt prudentiâ ac virtute præstantes, à reliquis nihil offenditur.

7. Lusitani in his regionibus mari dumtaxat potiuntur, & orâ maritimâ. Etenim in continenti nihil habent præter ea oppida, ubi versantur. Indigenæ ipsi, pro peccatorum magnitudine suorum, ad Christianam religionem minimè accommodati sunt. Quippe ab ea sic abhorrent, ut molestissimè ferant, si quando inferamus de illa sermonem: rogari autem ut Christiani fiant, mortis instar putant. Itaque in Christianis tuendis opera in præsentia ponitur. Et sanè si insigniora essent Lusitanorum in Neophytos studia, plurimi ad Christum se aggregarent, sed cùm eosdem contemni despicique Ethnici videant, nolunt videlicet fieri Christiani. Quare cùm in his locis mea opera minimè sit necessaria, cùmque ex idoneis auctoribus cognôrim, Japonum regionem esse Sinis adjacentem, cujus incolæ omnes Ethnici sint, à Saracenis Judæisque prorsus intacti, novarumque rerum tum divinarum, tum naturalium avidissimi, eò quàm primùm contendere statui.

8. Hoc ego iter suscipio magnâ animi mei voluntate, majore spe, quòd planè confidam in illa natione



14. ne nostri laboris fructus solidos ac perpetuos fore. In  
*Jan.* Goano Collegio, cui à S. Fide nomen est, tres alumni  
 547. sunt Japones, qui eò mecum Malacâ superiore anno  
 venerunt: mira de Japonia narrant. Adolescentes sunt  
 optimis moribus, acerrimo ingenio, Paulus inprimis,  
 qui bene longam ad te epistolam mittit. Is octo men-  
 sium spatio legere, scribere, loqui Lusitanicè perdidit:  
 nunc usitatis meditationibus haud sanè inutiliter  
 exercetur. Religionis Christianæ mysteriis est imbutus  
 satis. Magnam in spem venio, Deo adiutore, Christianos  
 in Japonia factum iri quàmplurimos. Equidem primùm  
 eorum Regem, deinde Gymnasia & Academias  
 adire constitui, magno (ut spero) cum quæstu animo-  
 rum. Japonum religiones, ut Paulus tradit, ex Cenico  
 (quæ urbs est ultra Sinas atque Cathajum, à Japonia  
 iter unius & dimidiati anni) adscitæ perhibentur. Ex  
 Japonia tum de illius gentis moribus ac litteris, tum  
 etiam de religione ac disciplina Cenicensi faciam te  
 per litteras certiolem.

9. Etenim in Sinarum regno universo, atque Ca-  
 thajo nulla alia vigere fertur disciplina præter eam,  
 quæ in Cenicensi Academia longè celeberrima traditur.  
 Ergo ubi perspexero illorum litteras, Gymnasiique do-  
 ctrinam, tum verò fusè ad te cuncta perscribam. Nec  
 prætermittam, quin dem litteras eisdem de rebus ad  
 Academiam Parisiensem, ut ex ea reliquæ Europæ Aca-  
 demia illa eadem cognoscant. E Sociis unum omnino  
 Europæum ducere mecum cogito Cosmum Turrianum  
 Valentinum, qui hîc se ad Societatem nostram contu-  
 lit, ac præterea tres illos, quos dixi, Japonios adole-  
 scentes. Proficiscemur, Deo approbante, Aprili men-  
 se proximo.

10. Abest Japonia ab urbe Goa leucas amplius M.  
 CCC. Ex itinere & urbs Malaca & Sinæ attingendi  
 sunt. Nullis verbis exequi possum, quantum ex pro-  
 vincia hujus susceptione fructum capiam divina volu-  
 ptatis. Constat enim, iter plurimis ac maximis tempe-  
 statum, syrtium, piratarum periculis obnoxium esse;  
 ut præclarè agi cum naviculariis videatur, si alternæ  
 naves



naves Japonicum teneant cursum. Ego verò interior 14.  
 quodam animi sensu sic affectus animarūque sum, ut Jun.  
 Japonicæ profectionis consilium abjiciendum mihi non 1547.  
 putem, ne si pro certo quidem habeam majora discrimina subeunda, quàm unquam antea in omni vita. Tantam mihi spem Christianæ religionis propagandæ Pauli Japonis sermo, vel ipse potius Deus injecit. Quam \* opposita & parata sit illa regio ad Evangelii semen excipiendum, intelligi licebit ex ea narratione, quam cum his ad te litteris mitto.

11. In hisce Indiæ locis sunt ad quindecim Lusitanorum oppida, in quibus multa excitarentur domicilia Societatis, si ad ea inchoanda aliquid stipendii ex publico Rex attribueret. Hac ego de re egi cum ipso Rege per litteras. Simonem quoque Rodericum de rebus omnibus certiozem feci, & simul admonui, magno perè è re Christiana futurum, si facta abs te potestate ipsemet huc transmitteret cum quàm plurimis è Societate, magnaque Concionatorum manu; quippe ejus adventu (favente videlicet Rege) aliquot Societatis Collegia excitari posse. Mihi verò, mi Pater, Simonis, viri apud Regem gratiosissimi, adventus in Indiam peropportunos videtur futurus. Veniet enim cum regia facultate vel inchoandi Collegia, vel juvandi Christianos, & qui sunt & qui forent, si esset, qui eis faveret. Velim super hac re ad Simonem scribas, quid fieri velis.

12. Antonius enim Gomes mihi narravit, Simoni certum ac deliberatum esse, cum multis è Collegio Conimbricensi trajicere in Indiam. Non desunt tum Romæ tum alibi Socii à concionibus & à litteris alieni, qui magno hic emolumento rei Christianæ esse possent, si modo essent satis experti, & cum ceteris virtutibus ad Ethnicos juvandos necessariis, tum verò insigni castimoniâ ornati, magnisque corporis animique viribus præditi ad ingentes horum locorum labores sustinendos. Hujusmodi igitur Socios nobis ad arbitrium tuum curabis. Operæ pretium, Deo que, ut spero, gratum feceris, si ad hos omnes è Societate, qui in India versamur,

\* Sic in editis; fortasse pro apposita.



14. *Jan.* 1547. mur, plenam præceptorum spiritualium epistolam miseris, tamquam testamentum, quo minimis hisce filiis à conspectu tuo ablegatis, divitias atque opes à Deo acceptas impertias. Quæso te, (quod tuo commodo fiat) ut nobis aliquando geras morem. Henricus Henriques Sacerdos è Societate Lusitanus, vir egregiæ virtutis & exempli: is versatur in Promontorio Comorino. Malavaricè perbenè & scribit & loquitur: atque adedò unus pro multis sanè utiliter elaborat. Concionibus quippe & sermonibus privatis assecutus est, ut Christianis indigenis mirè venerandus esset & charus. Obsecro te, ut tam bonum virum, tam laboriosum, tam utilem Christi vineæ operarium, *qui portat pondus diei & æstus*, per litteras consoleris.

13. Cranganorum oppidum est à Cocino millia passuum XX. Lusitanæ ditionis: hic Frater Vincentius è sanctissima S. Francisci disciplina, idèmq̃ue Goani Episcopi Socius, paritèrque nostræ Societatis amantissimus, Seminarium instituit sanè luculentum, ubi indigenæ adolescentuli facilè centum aluntur, & ad pietatem ac litteras informantur. Quamquam huic Vincentio benevolentiam erga Societatem non concedit ipse Goanus Episcopus, qui unus præest Indiæ universæ, sed nostrorum hominum studiosissimus amicitiam magnoperè expetit tuam. Quare velim ad eum scribas; sed redeo ad Vincentium. Is pro mutua benevolentia mihi confirmavit, velle se id Societati nostræ Seminarium committere ac tradere. Proinde me rogavit etiam atque etiam, ut te de suo consilio facerem certiozem, Sacerdotèmq̃ue è Societate curarem, qui Seminarii alumnos doceret litteras, & Dominicis ac festis diebus ad domesticos ac populum verba faceret. Nam præter incolas Lusitanos plurimi Christiani sunt accolæ in pagis LX. orti ab iis, quos S. Thomas Christianis sacris initiavit: alumni porrò Seminarii è prima nobilitate.

14. Hoc in oppido duo sunt templa, alterum Sancti Thomæ, Sancti Jacobi alterum. Exoptat is, quem dixi, F. Vincentius, ut anniversariam utriq̃ue templo pecca-



peccatorum omnium Indulgentiam à Pontifice Maximo cures, in dies Apostolis Jacobo & Thomæ sacros, septendecimque dies consequentes. Idque ad augendam indigentiarum pietatem, qui prognati à veteribus illis Sancti Thomæ Neophytis Thomæi Christiani vulgò vocantur. Idem præter has, quas dixi, Indulgentias, Sacerdotem, qui hoc in oppido Concionatoris & magistri munere fungatur, expectat. His ille beneficiis ita nobis erit devinctus, ut & in vita & post mortem noster sit futurus. Is verò hoc mihi negotium magnoperè mandavit, dicitque non potest, quàm vehementer eas expetat Indulgentias.

14.  
Jan.  
1547.

15. Unum ego abs te peto, ut Sacerdos aliquis è Societate per annum mensibus singulis Sacrum meâ causâ faciat ad S. Petri Janiculensis, in eo sacello, ubi Petrus Apostolus cruci affixus dicitur. Itemque negotium des velim alicui domestico, ut ad nos de Collegiis Societatis, de Professis, eorùmque officiis, de Sociorum opera fructùque perscribat. Mandavi enim Goæ, ut Romanæ litteræ Malacam, Malacæ ut descriptæ multis viis ad me Japoniam transmittantur.

16. Te ego Pater animæ meæ, summèque mihi venerande, positus humi genibus (sic enim hanc tibi epistolam scribo) tamquam si præsentem intuerer, suppliciter oro, ne Deum pro me in sanctis Sacrificiis tuis ac precibus obsecrare desistas: ut dum vita supeditat, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det & planè agnoscendæ & omnino exequendæ facultatem. Idem ceteros Socios oratos volo.

XIX. Kal. Febr. M. D. XLIX. Cocini.

Tuus minimus, & inutilis filius

*Franciscus Xaverius.*

EPI-



14.  
Jan.  
1549.

## EPISTOLA XXVIII.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

*De PP. Criminali, Cypriano, Lancellotto, M. Simone in  
Indiam mittendo: de Japonum litteris, ac de sua  
illorsum profectioe.*

Gratia & Charitas Christi D. N. adsit nobis semper.  
Amen.

Mi Pater in Christi visceribus unice.

1. **T**rinas ad te dedi litteras eodem ferè exemplo, fusissimè autem scriptas M. Simoni commenda- vi. Antonius Criminalis in Comorino Promontorio cum sex aliis è Societate versatur. Enimverò is, mihi cre- de, vir sanctus est, & ad has terras excolendas natus, ejus similes, quorum isthic magna est copia, plurimos huc mittas velim. Ei Comorinenses Socii parent. Idem Christianis indigenis, Ethnicis ac Saracenis est mirificè charus. A Sociis, quibus præest, quantoperè diligatur, dici vix potest. P. Cyprianus affectâ jam ætate in So- cotoram insulam proficiscitur. Discessurus est exeunte Januario, ducet secum tres è Societate, Sacerdotem unum, reliquos adjuutores. Socotora insula est in cir- cuitu millia passuum fermè centum: tota ab ejusmodi incolitur Christianis, qui multis abhinc annis Catholicis orbati Sacerdotibus, Christiani nihil habent præter no- men. Ferunt se ortos ab iis, quos Sanctus Thomas Apo- stolus Christianos fecit. In spem venio fore, ut Cypria- ni & Sociorum operâ se ad bonam recipiant frugem.

2. Ea insula valdè inops est à frugibus & alimen- tis, eadèmq; satis aspera & ærumnosa. Eò tamen Cyprianus jam sexagenarius libentissimè transmittit, confidens egregiam se ibi operam Deo navare posse, & simul expiare delicta juventutis suæ. Et quamquam initio affectam jam ætatem minimè patientem laborum

excu-



excusabat ; mox tamen professus est se , si opus esset ,  
 haud gravatè iturum . Nicolaus Lancelotus , etsi valedi-  
 tudinarius , nunc tamen meliùs habet , versatùrque Co-  
 lani , quod oppidum est salubri cœlo , millia passum à  
 Cocino circiter LXXX. ibi instituendo Societatis Col-  
 legio præest .

14.  
 Jan.  
 1549.

3. Ac sanè multa his locis Societatis domicilia ex-  
 citarentur , si M. Simon ( ut ad te antea scripsi ) cum  
 magna ab Rege auctoritate missus non parvam huc ad-  
 duceret Sociorum manum , ex quorum numero sex sep-  
 temve Concionatores essent , complures confessionibus  
 excipiendis , tradendis piis meditationibus , Ethnicis ad  
 Christi fidem adjungendis idonei , viri omnes plane mo-  
 derati ac rerum periti . Scripsi etiam ad Regem de Ma-  
 gistro Simone , ut eum cum potestate mittat , non modò  
 inchoandi Collegia , sed etiam favendi indigenis Chri-  
 stianis atque Ethnicis , quos ad Christum quantulus-  
 cumque aggregaret favor .

4. Mitto ad te Japonicarum litterarum notas . Ja-  
 pones quippe ab aliis in scribendi ratione differunt plu-  
 rimum . Nam à summo orsi directè ad ima descendunt .  
 Quærenti mihi ex Paulo Japone , cur nostro more non  
 scriberent ; Quin vos , inquit ille , potiùs more nostro ?  
 Etenim ut hominis caput summum est , pedes imi , sic  
 par est , homines cùm scribunt , à summo deorsum di-  
 rectè ferri . Descriptionem item Japoniæ & morum il-  
 lius gentis à Paulo , summæ religionis ac fidei viro , ac-  
 ceptam tibi mitto . Post duos menses ego cum P. Co-  
 smo Turriano , Paulo & aliis Japonibus duobus solvam  
 ( si Deo cordi erit ) in Japoniam . Inde quid eorum lit-  
 teris contineatur , ad te perscribam . Nam ex Paulo ho-  
 mine idiota cognoscere non potui , quòd nunquam at-  
 tingerit Japonica litterarum monumenta , quæ ( similiter  
 ut apud nos libri scripti Latinè ) alienà quasi quadam  
 linguâ loquuntur . Jesus Dominus noster doceat nos face-  
 re voluntatem suam , & hujus vitæ laboribus perfunctos ,  
 ad beatam illam æternamque transferat sedem . Amen .

XIX. Kal. Febr.

Cocini .

E e e

EPI-



19.  
Jan.  
1,49.

## EPISTOLA XXIX.

Ignatius Lojola Joanni III. Lusitaniæ Regi.

*Officiosa ac piæ commendationis forma.*

Regi Domino meo in Domino nostro.

Jesus.

Mi Domine in Domino.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
Vestram salutet Celsitudinem, suisque visitet  
sanctissimis donis, & gratiis spiritalibus.

**L**icet alias dederim quidem literas, cum tamen eas redditas fuisse, certò nesciam; cumque a Magistro Simone cognoverim pia sanctaque Celsitudinis vestræ cogitata, quæ semper de more versat animo, de procurandis (1) multis in locis subsidiis, quibus nostra catholica & sancta fides majorem in modum exaltetur; hisque accesserit felix (2) Sancticrucii ab hac præsentia ad sempiternam vitam discessus; has putavi scribendas, quibus nonnulla ostendam, quæ ad obsequium Dei Domini nostri vestræque Celsitudinis pertinere mihi videantur. Non equidem id ago, ut me denuo Celsitudini vestræ devoveam, cum simus omnes voluntati ejus devoti; atque in ævum supra modum obstricti: Vestræ omnino est Celsitudinis definire, præcipere, ac judicare; nostrum vero assentiri, magnaque prosequi voluntate, quoad vires ac facultatem Deus Dominus noster ad hæc officia nobis suppeditaverit; quas quidem ad Celsitudinis vestræ obsequium daturum se nobis speramus, cum omnia tandem ad majorem ipsius cultum laudemque referantur. Quæ cum ita sint, cum Portuensis Episcopus (candido postquam animo, san-

cro-

(1) Teste Orlandino, proximo Februario e Societate sex Ulyssipone solverunt in Brasiliam.

(2) Apud eundem lib. 8. n. 81. hoc fere anno Martinus Sancticrucius, dum sedulo Collegii sui Conimbricensis procurat causam, in Romana domo piè decessit.



ctoque zelo ad universum animorum commodum nihil non, quoad ejus fieri potuit, vestigavit, atque tentavit) hinc ad spiritalem requiem tranquillitatemque suam revertatur, propter amorem & reverentiam Dei Domini nostri Celsitudinem vestram demissè rogo & obsecro, ut eum benignè audire dignetur de rebus his nostris, quæ hîc geruntur, quasque ad majorem Dei laudem & gloriam Celsitudini vestræ declarabit; est enim omnium probè conscius in Domino nostro, qui pro sua infinita summaque bonitate Celsitudinem vestram ad majorem ipsius cultum, laudem, & gloriam semper tueatur, atque fortunet.

Româ hoc Sabbato 19. Januarii 1549.

Celsitudinis vestræ

*Humillimus & perpetuus  
in Dño nostro servus  
Ignatius.*

EPISTOLA XXX.

Ignatius Lojola Joanni Avila.

24.  
Jan.  
1549.

*Grati sui animi sensus primum omnium declarat; deinde docet de Salmanticensibus turbis; quidque ipse pro majore Dei gloria providendum contra censeat; allatis ex Sanctis Patribus, atque Doctoribus testimoniis ostendens, prorsus esse curandum, ut fama Societatis Jesu, quæ necessaria est causas animarum tractantibus, quantum fieri potest, integra conservetur.*

Admodum Reverende mi Dñe in Dño nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri R. V. salutet, & visitet sanctissimis suis donis, & gratiis spiritualibus.

I. **C**um diversis vicibus intellexerim a diversis nostris continuum favorem, & adeo intensam charitatem, quâ prosecuta est R. V. hanc minimam Societatem,



24. tem, visum est mihi in Domino nostro scribere hanc  
 Jan. epistolam, duas ob causas: primum, ut exhiberem si-  
 1549. gnum gratitudinis, & integræ cognitionis, agendo in-  
 tensas gratias Deo nostro, & R. V., in ejus sanctissi-  
 mo Nomine, pro omnibus a se gestis ad majorem glo-  
 riam suæ Divinæ Majestatis, & ad ejus augmentum,  
 & devotionem nostram, qui sumus R. V. Atque ita  
 hoc agnoscens, cum tota devotione mihi possibili, me  
 R. V. offro, tanquam unum ex suis asseclis (*allega-  
 dos*), seu filiis spiritualibus in Domino nostro, ad fa-  
 ciendum plena voluntate quidquid mihi ab illa fuerit  
 ordinatum in Domino omnium, & sua Divina Majestas  
 mihi vires dederit ad hoc. Nam id faciendo persuadeo  
 mihi, \* multum fore mihi lucrum in ipsius Divina  
 bonitate, tum satisfaciendo aliqua ex parte ei, quâ  
 tantopere teneor, obligationi; tum quia serviendo iis,  
 qui sunt servi Domini mei, puto me servire eidem Do-  
 mino omnium.

2. Secunda scribendi causa est, quia quandoquidem  
 R. V. intellexit aliqua de nostris in Domino nostro fa-  
 vorabilia, mihi visum est, in sua Divina Majestate ju-  
 stum esse, ut etiam intelligat contraria. Quamvis spe-  
 rem sine dubitatione, cum sit majus spirituale exerci-  
 tium pro illis, ex omnibus redundaturam majorem glo-  
 riam Divinam. Salmanticæ (ut nobis scribitur à no-  
 stris) \*\* acciderunt, & accidunt multæ contradictiones  
 quorundam Patrum Dominicanorum, motorum, quem-  
 admodum credo, magis bono zelo, quàm scientiâ de-  
 bitâ. Et hæc contradictio durat per decem menses: &  
 ex literis denuò datis 25. Novembris, & 2. Decembris  
 præteriti colligo, eam magis auctam, & adeo extra  
 terminos, ut coacti fuerimus ei providere, quemad-  
 modum S. Augustinus, & alii multi Sancti Doctores  
 nobis ostendunt. S. Augustinus de Viduitate (cap. 22.  
 & Ser. 49. de Diver.) dicit: *Nobis est necessaria vita  
 nostra, aliis fama nostra.* Chrysostomus supra Mat-  
 thæum:

\* *Hispan.*: Que me serà mucha ganancia en su divina bon-  
 dad: pro quibus malè meus Lancicus; multum ... in ipsius divina  
 voluntate. \*\* De his vide p. 77. n. 71.



thæum: Discamus illius exemplo nostras quidem injurias æquanimiter ferre, Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre. Hieronymus contra Ruffinum: Nolo quemquam in crimine Hæresis patientem esse. 24. Jan. 1549.

3. S. Thomas 2. 2. q. 72. a. 3. Tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit: quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: primò propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundum illud Proverbiorum 26: Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius supra Ezechielem hom. 9. Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. S. Bonaventura in Ap. oleget. Cum debeatis omnia vobis mala illata patienter sustinere, & nullam super his querimoniam facere, vel movere, quid est, quod non id facitis? Sed etiam non contenti Episcoporum judiciis, obtinetis à Sede Apostolica Judices, & Conservatores, & ad illos quoslibet molestantes vos, etiam leviter, citatis, & gravatis laboribus, & expensis? donec satisfaciant vobis pro velle vestro contra Apostolum ad Corinth.: Delictum est in vobis, quod judicia habetis. Responsio: Injurias, & molestias, ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illâ horâ sentiri potest (ut sunt verba probrosa, vel damna rerum, vel verbera, & similia) Religiosi æquanimiter sustinere debent, quia nihil aliud adferunt nocementi; sed ubi possunt graviora mala subsequi, videlicet animarum graviora nocementa, ibi non est expediens tolerare. Cajetanus in Summa: Famam propriam falsò ereptam negligere, tunc est peccatum, cum aliis hoc nocet, seu nocere timetur: nam fama propter alios nobis necessaria est. Et in tali casu dicit Augustinus: Qui confidens conscientie, negligit famam, crudelis est, quia aliorum animas occidit.

4. Atque ita cogitamus procedere pro majori gloria



24. Jan. 1549. ria Divina, primò cum omni submissione & amore, mittendo prius illis unam epistolam cujusdam Cardinalis, qui videtur multum posse apud illos. Secundo præsentando illis patentes quasdam eorum Generalis. Tertio, si prima duo non sufficient, juxta id quod Deus Dominus noster, & charitas erga nostros proximos nos obligat, & ad adimendas vires inimici nostræ naturæ humanæ, \* quæ id suadet personis, quanvis doctis, cum sint Religiosæ, & creatæ ad majorem gloriam Divinam, procedetur in vigore cujusdam processus punitivi, & Diplomatis Papæ, uti R. V. videbit. Ut præmonita de omnibus R. V. habeat majorem materiam ad commendandum nos ferventer Domino Deo nostro in suis sanctis Sacrificiis, & devotis orationibus: ut sua Divina Majestas dignetur dare suum Divinum favorem & auxilium illi parti, unde sua major gloria & laus poterit redundare in perpetuum. Aliud enim, mediante ejus gratia, non quærimus nec desideramus. Cui ob hoc, & omnia alia sit gloria semper, sine fine, & qui ex sua infinita & summa bonitate nobis velit dare gratiam completam, ut ejus sanctissimam voluntatem agnoscamus, & illam integrè impleamus.

Romæ 24. Januarii 1549.

EPI-

\* *Hispan.*: Que asi suade, y persuade a las personas, aunque sean de letras, siendo religiosas, y criadas para mayor gloria divina. *Quod equidem hunc in sensum converto*: Qui sic suadet, persuadetque personis, quamvis doctis, sint licet religiosæ, & creatæ... *Alias etiam leviores maculas ad Hispanicum exemplar detergi, nonnullasque voculas ex eodem suis locis adjunxi. De his, & Avila responso vide n. 75. & p. 80.*



## EPISTOLA XXXI.

22.  
Febr.  
1550.Ignatius Lojola Bartholomææ Spadaforæ  
Abbatissæ Messanensi.*Laudato religiosæ perfectionis studio, ad progressionem spiri-  
ritus & pietatis sedulam, sed moderatam Sociorum  
operam pollicetur. Vide p. 82. n. 77.,  
& p. 86. n. 82.*Admodum Reverendæ Matri in Christo observandissimæ. *Foris.*

Jesus.

*Intus.*

Admodum Reverenda in Christo Mater.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
salutet ac visitet Reverentiam vestram summis suis  
donis & gratiis spiritualibus.

**P**er literas R. V. die 7. Januarii datas, & hac heb-  
domade acceptas, intellexi, & quidem non sine  
mea in Domino nostro consolatione, quàm sanctà re-  
rum spiritualium fame tenearis, quantamque commissi  
tibi gregis curam geras, & sollicitudinem: qua nimi-  
rum fame, pioque ducta desiderio nonnullos petis mi-  
nimos Dei Domini nostri ministros, qui in isto Messa-  
nensi nostro Collegio commorantur; tuo simul testimo-  
nio declarans, illorum hactenus apud vos operam non  
inutilem extitisse. Ego verò hactenus gesta benignitati  
Dei gratulatus, a quo bona omnia in creatas res suas  
per instrumenta quævis derivantur, probo equidem,  
tam piam operam ab eisdem præstari continuè, quate-  
nus instituta nostra, eorumque necessariæ ferent occu-  
pationes. Id quod divinæ majestati gratum esse judico,  
spectatà pia voluntate & istius sanctæ Domûs, & V. R.  
ejusdem Antistitis, & juratorum istius urbis Judicium,  
cui libenter sanè obsequium quodvis pro humili nostra  
profes-



22. professione nunquam non ad Dei honorem & gloriam  
*Febr.* præstabimus. Hodie itaque scribendum curavi ad Pa-  
 1550. trem nostrum M. Hieronymum Natalem, ut vobis so-  
 latium, & obsequium in Domino nostro, quoad ejus  
 facere possint, ut antea factum est, præstandum cu-  
 ret. Unum restat, ut nos omnes sacris R. V., om-  
 niumque ejusdem in Christo filiarum istius sanctæ Do-  
 mus precibus commendemus; rogamus autem divinam  
 summamque bonitatem, ut uberem suam gratiam om-  
 nibus largiatur, ad sanctissimam ipsius voluntatem co-  
 gnoscendam, & perfectè exequendam.

Romæ 22. Febr. 1550.

*Reverentiæ vestræ servus  
 Ignatius Loyola.*

EPISTOLA XXXII.

Ignatius Lojola Duci Ferrariæ.

*11.  
 Maji  
 1550.*

*Officiosà, gratique animi demissione Landinium, strenuum  
 Crafanianæ operarium, Ducis voluntati permittit.*

*Foris.* Excellentissimo & Illustrissimo Domino Ferrariæ Duci  
 Domino meo in Christo observandissimo.\*

*Intus.*

Jesus.

L. IHS. S.  
 y

Excellentissime & Illustrissime Domine.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 salutet ac visitet Excellentiam vestram sanctissimis  
 suis donis & gratiis spiritalibus.

Excellentiæ vestræ literas, seriùs licet, accepi, qui-  
 bus nonnullorum efflagitatione locorum Crafanianæ,  
 Lunensisque ditionis suæ, quorum animos Deus  
 Domi-

\* Hic est in autographo LOCUS SIGILLI: privatum hoc S. Ignatii



Dominus noster, minimo usus instrumento Sacerdote 31.  
 quodam e nostris, in spiritalibus rebus magnopere ju- Maji  
 varat. Excellentia vestra mihi mandabat, ut eundem 1550.  
 aliquamdiu ibidem consistere juberem. Agebatur hîc  
 quidem pro Genuensi Republica, ut Sedis Apostolicæ  
 Vicaria potestate mitteretur idem in Corsicam; dum  
 verò ejusdem Sedis auctoritas non intercedit, planè jus-  
 si, ut suam Domino nostro Jesu Christo exhibeat ope-  
 ram in ea vineæ suæ parte, quæ vestræ Excellentiae  
 curæ commissa est. Novit autem æterna summaque Sa-  
 pientia, me cupere vehementer, ut minima nostra So-  
 cietas non ibi solum, verum etiam in omni Excellentiae  
 vestræ ditione sedulam vestræ Excellentiae navet ope-  
 ram in Jesu Christi obsequium, & animorum salutem.  
 Nec enim video quidquam esse præstantius, aut verò  
 aptius, quo possimus beneficiis, ab Excellentia vestra  
 domoque sua in nos omnes jam dudum collatis, satis-  
 facere, quàm si pro infirmis nostris viribus hanc oneris  
 vestræ Excellentiae partem assumamus. Quam ob rem  
 ipse cum Excellentia vestra hîc Romæ sermonem ha-  
 bui de Collegio Ferrariæ constituendo, ex quo velut  
 Seminario quodam, vineæ Domini cultores novi conti-  
 nuè prodirent. Dominus ipse, qui tanto eam pretio  
 comparavit, tanto impendio coluit atque labore, omni-  
 bus in rebus benignè velit Excellentiae vestræ suo falli  
 nescio adesse lumine, ut divinam in eisdem gloriam,  
 & tum suam, tum sibi subjectorum salutem æternam  
 Fff quæ-

*Sigillum latuisse videtur Bollandianos, qui tom. 7. Jul. pag. 532. n. 644. solum Sigillum Præpositi Societatis Jesu, ex are quo usus est S. Ignatius, ediderunt. Bollandiano simillimum accepi a clarissimo Domino Faustino Arevalo ex epistolio S. Ignatii accuratè descriptum. Eodem tom. 7. Jul. pag. 346. num. 101. incisam are exhibent B. Joannis Columbini imaginem, dextra nomen hoc Jesu monstrantem. Hinc apparet, Jesuatis & Jesuitis idem omnino fuisse SS. Nominis Jesu symbolum ac tesseram, cui B. Joannes Columbinus tres clavos cuspidibus punctum idem contingentes subdiaerit, Ignatius verò loco illorum in Præpositi sigillo lunarem semicirculum, stellâ & a tergo & a fronte ornatum, at in privato primam sui nominis literam y. Jesuatium sigillum sub-*  
*jectum est superius pagina 215.*



31. quærat & inveniat; quin & nobis omnibus donet af-  
*Maji* fluentem gratiam ad sanctam ipsius voluntatem & co-  
 1550. gnoscendam, & perfecte exsequendam. Amen.

Romæ 31. Maji 1550. \*

Excellentiæ vestræ

*Humillimus & perpetuus  
 in Dño nostro servus  
 Ignatius.*

EPISTOLA XXXIII.

Ignatius Lojola Simoni Rodriguez.

7.  
*Jul.*  
 1550.

*Jubilæi gratias, a Julio PP. III. impetratas, subditis suis  
 largitate pari ac prudentia communicat.*

Jesus.

Ignatius de Loyola Præpositus S. J. Generalis

Dilectis in Christo Fratribus Magistro Simoni Rodriguez  
 Præposito ejusdem Societatis in Portugalliæ regno &  
 transmarinis regionibus citra Indiam Serenissimo Por-  
 tugalliæ Regi subjectis, & aliis Præpositis particu-  
 laribus, vel aliorum curam gerentibus in regno  
 Congi & India Brasilia nuncupata, & in  
 Africa ab eodem Simone constitutis,  
 salutem in Dño sempiternam.

Cum hoc anno 1550. de ditissimis Domini nostri Jesu  
 Christi, & Sponsæ ejus Ecclesiæ, ac Sedis Aposto-  
 licæ thesauris quatuor Ecclesias Romæ invisentibus Ju-  
 bilæi gratia, id est omnium peccatorum plenissima re-  
 missio condonetur, cum eos de nostris, ac reliquos  
 Christianos, quibus ad hanc almam urbem tot terræ  
 ac maris tractibus disjunctam venire non permittitur,  
 ab ejusmodi gratia non excludi æquum censeremus,  
 SS. D. N. Julio PP. III., ut illis absentibus quidem  
 corpore, præsentibus tamen animi devotione eandem  
 gratiam impartiri dignaretur, supplicavimus, & obti-  
 nuimus: eam tamen proprio motu conditionem adjecit,  
 ut qui

\* De hac epistola videsis pag. 86. num. 82.



ut qui de nostra Societate in prædictis regionibus in vinea Domini laborant, cum omni in ea parte Sedis Apostolicæ authoritate gratiam hanc quibus in Domino videretur, & ea imponendo quæ viderentur dispensarent. Nos igitur te (cujus prudentiæ quæ est in Christo Jesu plurimum confidimus) ad aliorum electionem, & eos quos elegeris, & aliis in dictis locis (non sine delectu virtutis) præposueris, ad ejusmodi gratiæ administrationem designamus, & potestatem a Sede Apostolica habere conferendi jubilæum omnibus sub obedientia nostræ Societatis degentibus, & Christianis incolis dictarum regionum ad fidem Catholicam conversis, seu advenis, seu quocumque modo ibi degentibus, qui vere confessi ea fecerint, quæ vos eis imponetis, declaramus: & ut non tantum fideles, sed & prudentes tanci thesauri dispensatores ad Dei gloriam, & animarum salutem vos exhibeatis, hortamur.

7.  
Jul.  
1550.

Dat. Romæ in Ædibus Societatis Jesu Nonis Julii 1550.

*Ignatius.*

EPISTOLA XXXIV.

Ignatius Lojola Exercitui Joannis de Vega.

9.  
Jul.  
1550.

*De Jubilæo a Julio PP. III. impetrato.*

Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, Illustribus Dominis, ac nobilibus, & strenuis viris, Ducibus ac militibus, & omnibus demum Christianis, qui in Africa contra infideles bellum gerunt, Jesu Christi Domini protectionem, & auxilium, ac salutem in eodem sempiternam.

Cum ex litteris Excellentissimi Domini Joannis de Vega, Proregis Siciliae, ac Ducis generalis hujus sanctæ expeditionis admonitus, ipsius ac totius Exercitus nomine supplicassem Sanctissimo Domino nostro Julio, Divinâ providentiâ Papæ tertio, ut thesaurum Jubilæi, qui Romam venientibus, & aliquot Ecclesias



9. invisentibus aperitur, vobis, qui in bello pro Christi  
*Jul.* gloria ac fidei sanctæ exaltatione gerendo, cum infide-  
 1550. libus distinemini, aperiret; ejus Sanctitas hilari animo  
 de benignitate Apostolica omnibus vobis (qui tamen  
 contriti ac confessi essetis) eam gratiam concessit: ut  
 tanto alacrius, animosius, ac fortius cum inimicis san-  
 ctæ Crucis dimicetis, quanto effusiolem Dei altissimi  
 & Sponsæ ejus Ecclesiæ liberalitatem, & \* feliciorlem  
 belli eventum (sive viventibus victoria, sive alicui mo-  
 rienti beatitudo obtingat, impetrata omnium peccato-  
 rum remissione) cernetis. Ut ergo gratiam hanc impe-  
 tratam significarem, hasce litteras scribere, & Socie-  
 tatis nostræ Sigillo obsignare visum in Domino fuit.  
 Datum Romæ septimo Idus Julii MDL.

13.  
*Jul.*  
 1550.

## EPISTOLA XXXV.

Ignatius Lojola Hieronymo Domenech.

*In virtute sanctæ obedientiæ Valentia Romam advocat.*

Jesus.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 præsidio nobis semper, & auxilio sit.

**F**ebruario, & Martio mense scriptum fuit, ut omni-  
 no in Siciliam prima quaque opportunitate profici-  
 sci conarere, utque Roma iter faceres, quòd id ad ma-  
 jus Dei obsequium necessarium esset. Quia vero Dei  
 obsequium isthic quoque procuratur, verebare, ne vo-  
 luntas nostra, & consilium certum non esset, ut om-  
 nino venires. Visum igitur est mihi, omnem tibi ex  
 animo scrupulum, ac dubitationem his literis evellere.  
 Itaque mando tibi, atque in virtute sanctæ obedientiæ  
 præcipio, ut cum primum se commodi itineris occasio  
 dederit, nisi valetudine impediare, diebus decem, aut  
 duodecim quàm has litteras acceperis, Valentia Barci-  
 nonem

\* Fortasse pro ad.



nonem te conferas, inde navigaturus, & hoc iter facturus. Huc cum veneris, intelliges quam res hæc cæteris rebus omnibus præstet, quas suscipere ipse posses. Verum hæc hæctenus. Deum Dominum nostrum rogo, ut omnibus det gratiam uberem, qua sanctissimam ejus voluntatem semper agnoscamus, eique plane pareamus. Vale.

Romæ III. Idus Julias an. MDL.

Tuus in Domino nostro  
Ignatius.

EPISTOLA XXXVI. \*

Ignatius Lojola Alfonso Salmeroni.

I.  
Aug.  
1550.

*Salmeronem jussu Pontificis Julii III. Veronam evocat Ingolstadio, eidem in Academia, Ducisque Alberti gratiam Nicolao de Gaudano suffecto. Vide a pag. 89. num. 86. & 87.*

Gratia & pax Domini nostri Jesu Christi vivat semper, & crescat in cordibus nostris. Amen.

Charissime Frater.

Cum ferè ante biennium Veronæ verbi Dei interpretem ageres, revocatus fuisti, præcipiente Sanctissimo in Christo Patre ac Domino felicis recordationis Paulo III. ut ad petitionem Guilelmi gloriosæ memoriæ Illustrissimi Ducis Bavarix unà cum Doctore Petro Canisio sacras litteras Ingolstadii profitereris. Noveris igitur, Reverendissimum Episcopum Veronensem tui absentiam vehementer permotum fuisse, sicut etiam litteris suis ad nos datis aperte testificatus est. Quare hæctenus non destitit instanter agere apud Sanctissimum in Chri-

\* Excerpta ex tom. 1. Decad. 1. Histor. Provin. German. Super. Soc. Jesu pag. 23. edit. August. Vindel. 1727.



1. in Christo Patrem & Dominum Julium III. donec ab  
*Aug.* eo impetraverit, ut tu eò redires, unde evocatus fue-  
 1550. ras. Cum autem Summi Pontificis voluntati aut præ-  
 ceptis reluctari, jure nec possimus nec debeamus (quam-  
 quam aliàs nobis tua Ingolstadii mansio magis probaretur) tibi per præsentem literas significamus, & in vir-  
 tute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut te quàm primum  
 & ante hyemem ingruentem in Italiam transferre sine  
 ulla mora aut cunctatione velis. Ne autem Illustris-  
 simi Principis Alberti animus hac tui revocatione vel  
 minimum offendi valeat, in cujus gratia & benevolen-  
 tia promerenda omnem nostram operam & studium po-  
 nere parati sumus, nève celeberrima Ingolstadiensis A-  
 cademia quidquam detrimenti in studiis theologicis pati  
 possit, de qua certè quàm plurimum mereri & cupi-  
 mus & studemus, in locum tuum destinamus Docto-  
 rem Nicolaum de Gaudano, natione Germanum, virum  
 cùm morum pietate, tùm singulari theologicæ profes-  
 sionis doctrina præstantem, de quo plurima sibi polli-  
 ceri poterunt sacrarum literarum studiosi. Hunc au-  
 tem vix vel non in via cunctaturum arbitramur, quin  
 ad summum infra mensem Septembris Ingolstadium sit  
 perventurus. Proinde cùm hanc Summi Pontificis volun-  
 tatem esse intelligas, ut tu huc redeas, & nos in com-  
 munem magnificæ Ingolstadiensis Scholæ utilitatem alte-  
 rum loco tui subrogemus, translationem justè culpæ ne-  
 mo valeat, sed, ut quisque prudentis ac candidi erit pe-  
 ctoris, ita eum æqui ac boni consulturum esse hoc Pon-  
 tificis Maximi mandatum non dubitamus. Vale in Domino  
 & me tuis Fratrumque tuorum precibus commendatum  
 habeas apud Deum, cujus immensa & summa bonitas  
 dignetur nobis gratiam affluenter communicare, ut cer-  
 tissimam ipsius voluntatem semper in nobis sentiamus,  
 & eandem perfectè exequi valeamus.

Romæ Kal. Augusti an. 1550.

*Tuus in Domino*

*Ignatius.*

EPI



## EPISTOLA XXXVII.

II.  
Nov.  
1550.

Ignatius Lojola Ferrariæ Duci.

*Pro collatis in suos beneficiis Gandiæ Duce sequestre,  
gratias agit amplissimas.*

Excellentissimo Domino Dño Ferrariæ Duci.

Jesus.

Excellentissime Domine.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
Excellentiam vestram saluter ac visitet sanctissimis  
suis donis & gratiis spiritalibus.

**A**b Illustrissimo Domino Gandiæ Duce intellexi quam vestra Excellentia memoriam retineat hujusce minimæ Societatis, quæ vestræ tota est Excellentiæ; atque in acceptum retuli, quod humanissime ac liberalissime Dux idem Excellentiæ vestræ verbis mandatoque mihi spondit de comœatu quodam, dum Collegii fundamenta parantur, ad aliquot alendos Scholasticos nostros conferendo. Id quod acceptum etiam referat Christus Dominus noster, cujus summa & divina bonitas dignetur magno id operis usu ad communem utilitatem, æternamque Excellentiæ vestræ coronam usurpare: nos quidem certè quo majoribus & antiquioribus sumus nominibus Excellentiæ vestræ devincti, eo magis magisque in Domino nostro cupimus obstringi, majoremque in dies ad divinam gloriam obsequio ejus operam navare. Jesus Christus Deus ac Dominus noster omnibus nobis gratiam largiatur, qua sanctissimam ip-  
sius



11. sigs voluntatem omnibus in rebus sentiamus, eandem-  
Nov. que ad amussim exequamur.

1550.

Romà 11. Novembris 1550.


Excellentiæ vestræ

Humillimus in Dño nostro servus

Ignatius .



## LIBER

Ad hunc librum pertinet inter cetera fœdissimè Ignatii ad suos epistola, cujus maximam partem superstitem descripsi a pag. 62. n. 61.; integrum autem ejusdem S. Patris epistolium ad Camillum Stallam p. 92. n. 91., datum die 17. Oct. 1550. juxta primum apographum mihi Romà transmissum; ex alio verò, quod illà chartà jam typis mandatà vir eximius Faustinus Arevalo mecum de more humanissimè communicavit, secundis vel tertius etiam curis ab alio viro erudito recognitum, & accuratissimè cum ejusdem sigillo exscriptum; ex hoc, inquam, apographo datum est epistolium, ipso Arevalo judice, die 8. Octobr.; quanquam numerus primo aspectu secundus potius Arabicus videatur, in hanc fere formam , plane a 17. alienam. His adde nobiliora fragmenta literarum ad Lainez an. 1547. p. 61. n. 60., ad Araoz 18. Maji 1547. p. 63. n. 62., ad Borgiam an. 1548. a p. 73. n. 69., ad Superiores an. 1550. p. 93. n. 92.; & Episcopi Goani ad Ignatium 28. Nov. 1550. p. 96. n. 96., atque Ferdinandi Regis ad eundem Ignatium 11. Dec. 1550. a p. 110. n. 108.



L I B E R T E R T I U S  
 E P I S T O L A R U M  
 S. I G N A T I I L O Y O L Æ

Ab An. 1551. ad 1553.

E P I S T O L A P R I M A .

Ignatius Lojola Patribus Societatis Romæ  
 congregatis.

30.  
 Jan.  
 1551.

*Singulari animi demissione dignitatem suam deponit,  
 sibi que alium sufficiendum curat.*

Carissimis in Domino nostro Fratribus  
 Societatis Jesu.

**Q**uod complurium mensium, & annorum conside-  
 ratione nullo sive interioris, sive exterioris com-  
 motionis impulsu, ad majorem laudem, & glo-  
 riam Divinæ Majestatis consequi, & intelligere  
 potui, id nunc in conspectu Procreatoris ac Domini  
 mei, qui me in æternum judicaturus est, exponam ve-  
 re, & omni remota perturbatione. In mea multa de-  
 licta, multaque vitia, & multas animi, corporisque  
 infirmitates intuens, sæpe in eam penitus veni senten-  
 tiam, mihi infinitis prope partibus deesse vires neces-  
 sarias sustinendo oneri huic Societatis, quod in præ-  
 senti inductu, & imposito ejus sustineo. Opto itaque  
 in Domino nostro rem diligenter expendi, & alterum  
 deligi, qui melius, vel certe non ita male regendæ So-  
 cietatis munere fungatur, & hoc ad eum munus de-  
 ferri: nec \* modo si melius, aut minus male, sed etiam  
 G g g si pari

\* Ribadeneira: Neque vero ut meliori hæc provincia defera-  
 tur, tantum peto, verum etiam, ut pari, & æquali: idem His-



30. si pari modo gesturus sit. Quam ob rem in nomine Pa-  
 Jan. tris, & Filii, & Spiritus Sancti unius Dei, & Crea-  
 1551. toris mei ego simpliciter, & absolute quidquid muneris  
 gero, depono, & ab dico, quæsoque, ac toto animo  
 precor in Domino nostro tum Professos, tum quos illis  
 ad hanc deliberationem assumere visum erit, ut hanc  
 oblationem meam, adeo coram Divina Majestate justam  
 accipiant: sique inter eos, qui futuri sunt arbitri, forte  
 non conveniret, per caritatem, ac reverentiam Dei  
 Domini nostri, oro, ut impense rem ejus Divinæ Ma-  
 jestati commendent; ut omni ex parte voluntas illius  
 perficiatur ad majorem ejus gloriam, & commune majus  
 bonum animarum, totiusque Societatis: accipiente ipso  
 omnia in majorem suam laudem, & gloriam æternam.

Romæ hac die Veneris 30. Januarii 1551.

Ignatius.

## EPISTOLA II.

26.  
 Febr.  
 1551.

Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez de Vergara.

*Non voluntatem, sed facultatem sibi deesse respondet,  
 quominus ei de Conchensi, & Complutensi negotio  
 morem in promptu gerat: Uniones in  
 Curia Romana difficiles.*

Jesus.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 te salutet ac visitet sanctissimis suis donis  
 & gratiis spiritalibus.

1. **V**alde me consolata est in Domino nostro, quæ  
 mihi a te missa est epistola die 1. Sept., &  
 coram mihi ab his narrata, qui nunc istinc ad nos per-  
 vene-

*panice; Y no solamente me acompaña mi desseo, mas juzgando  
 con mucha razon paraque se diesse el tal cargo, no solo alque  
 hiziere mejor, o no tan mal, mas alque hiziere igualmente.  
 Esto todo considerado, en el nombre del Padre, . . . Videssis alia  
 n. 99. a p. 99.*



venerunt. Ut enim ab infinita Dei, summaque boni-  
tate magna sunt orta eidem impendio serviendi deside-  
ria, ita spero effectus processuros; ut ad majorem  
Dei gloriam non solum tibi sit desideriorum meritum,  
sed proximis etiam eorundem fructus obveniat.

2. Ad rem Conchensem quod attinet, hac quidem  
hieme nulla potest ratione provideri. Quid vero sit  
faciendum in posterum, Dominus hinc Dux videbit,  
fratresque nostri, qui istinc venerunt: ego quidem  
quantum in me situm erit, maximè lætabor in Do-  
mino nostro tuæ omnino voluntati satisfieri. Idemque  
ajo de negotio Complutensi, cujus, utpote mihi ma-  
jorem in modum a te commendati, curam gerere me  
debere sentio longe maximam. Quod si fieri omni ex  
parte non poterit, cum ob paucitatem sociorum, tum  
etiam quia iidem sunt alibi necessarii; certè nihil om-  
nino negligetur, quoad ejus, salvo majori Dei Domini  
nostri obsequio, facere poterimus.

3. De unionibus Domino Duci tam impensa est  
cura, ut quævis alia mea supervacanea fore videatur;  
credo etiam, quod petitur, ex parte perficiendum;  
quanquam negotia hujusmodi, ut puto, multis in hac  
Curia sunt difficultatibus obnoxia. De reliquo & Do-  
minus Dux, & ceteri omnes percupimus sacris a te  
precationibus commendari. Deus Dominus noster u-  
berrimam nobis omnibus gratiam largiatur, ut sanctis-  
simam ejus voluntatem semper sentiamus, ac eandem  
integrè exequamur.

Roma 26. Februarii 1551.



6.

EPISTOLA III.\*

Apr.  
1551.

Ignatius Lojola Margaritæ Gigliæ &amp; Fantucciæ.

*Devotissima grati animi significatione unum e suis semel in hebdomada illius voluntati ad pietatem excolendæ permittit.*

Jesus.

Summa gratia, & amor æternus Christi Dñi nostri adsit nobis semper auxilio & favore.

**D**ominationis vestræ literis mensis præteriti die 15. scriptis intellexi, quantopere cupiant Dominationes vestræ, Magnifica Domina Violante, & alii aliqui, ut nonnulli e nostris in domo S. Lucie propinqua remaneant. Et sanè ex debito caritatis & grati animi officio, quo velle obstringimur iis in primis morem gerere, quibus nos adeo debitores agnoscimus, gratissimum mihi foret id omne facere, quod Dominatio vestra perscribit. Sed quod nunc attinet, meà quidem sententià fieri omnino non potest, ni velimus utraque ex parte peccare, divisa nimirum gente, quæ uno in loco tota est necessaria. Itaque scriptum est nostris, ut semel minimùm quaque hebdomade veniant ad S. Lucie, quove magis Dominationibus vestris placuerit ad suum majus spiritale solatium, & obsequium. Et quoniam scio, non aliud ipsas velle, quam quod est Deo Domino nostro gratissimum, spero eandem omnium nostrùm fore voluntatem in Domino nostro: cujus gratia in nobis omnibus semper augeat; ut sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus, omnesque partes ejus impleamus.

Romà 6. Aprilis 1551.

Dominationis vestræ

*Humillimus in Dño nostro servus  
Ignatius.*

EPI-

\* De hac epistola videndus supra numerus 101. pag. 101.



## EPISTOLA IV.

18.

Apr.

1551.

Ignatius Lojola Parmensi Civitati.

*Officiosè Instituti sui rationem , Sociosque aliò avocatos  
causatur , quo minus benevolentissimæ Parmensium  
voluntati subito satisfaciat .*

Jesus .

Magnificentissimi Domini mei in Domino nostro  
Jesu Christo .

Summa gratia , & amor æternus Christi Domini nostri  
salutet ac visitet Dominationes vestras sanctissimis  
suis donis , & gratiis spiritalibus .

Vestrarum mihi Dominationum literas dedit sabbato  
elapso Dominus Cæsar , quibus sanè quàm mihi  
foret gratissimum posse non tam verbis respondere ,  
quam factis , Dominationum vestrarum voluntati obse-  
quentibus , misso ad vos fratre nostro Domino Bapti-  
sta , cujus vos teneri desiderio significatis : duo tamen  
efficiunt , ne meo hac in re desiderio possim ego satis-  
facere ; nam primo nostrum vitæ institutum non pati-  
tur , ut ullus e nostris mulierum cœnobium quodvis  
regendum suscipiat , cum semper quilibet ad suæ San-  
ctitatis Missiones huc & illuc *in procinctu* esse debeat :  
deinde a paucis mensibus tot e nostris Sacerdotibus  
in Germaniam , Hispaniam , Lusitaniam , aliasque terras  
missi sunt . ut hîc planè desideremus , qui spiritalibus  
hujusce domus occupationibus maximè necessariis suffi-  
ciant . Cum major fuerit facultas , gratissimum mihi  
erit , quoad nostrum fert institutum , Dominationibus  
vestris obsecundare ; quin & quibusdam urbis vestræ  
patriciis , qui paria nominatim postulacunt , coactus  
sum eadem respondere , me videlicet nisce rebus im-  
parem , hoc quidem tempore , demonstrando . Dominus  
Deus



18. Deus nostros suppleat defectus seu inopiam, gratiam-  
*Apr.* que omnibus largiatur, qua sanctam ejus voluntatem  
 1551. semper in nobis sentiamus, eandemque ad amussim ex-  
 equamur.

Romæ 18. Aprilis 1551.

Dominationum vestrarum

*Servus in Domino nostro  
 Ignatius.*

EPISTOLA V.

Ignatius Lojola Duci Ferrariensi.

*Socios Duci concedit Ferrariensi Collegio inchoando.*

Illustrissimo & Excellentissimo Domino  
 Dño Ferrariæ Duci.

Jesus.

Excellentissime mi Domine in Domino nostro  
 Jesu Christo.

Summa gratia, & perpetua caritas Christi Domini nostri  
 Excellentiam vestram salutet ac visitet sanctissimis  
 suis donis, & gratiis spiritalibus.

Cum nostrorum primò, Rñi deinde Rossetti literis  
 cognorim, vestram velle Excellentiam, ut e no-  
 stris aliquot mittantur ad Collegium istud inchoandum,  
 cujus Ferrariæ condendi mentem Deus Dominus noster  
 iniecit Excellentia vestræ; duos equidem Sacerdotes  
 mitto, & Scholasticos præterea quinque, vel sex, no-  
 tos mihi omnes, ac probatos; quos spero, quò magis  
 perspectos, eò fore Excellentia vestræ gratiores, ipso-  
 que usu probatioris: poterunt autem studium piis ope-  
 ribus navare non Sacerdotes modo, sed istorum etiam  
 Scholasticorum aliqui, ut ipsa probabit experientia, ju-  
 vante, more suo, infinita summaque Dei Domini no-  
 stri bonitate. Jam verò initio ejus ponendo numerus  
 iste



iste visus est mihi sufficere, præsertim cum hisce mensibus adeo simus divisi variis sanctitatis suæ missionibus. Porro autem quæ Deo probantur, fere crescunt eundo; nec dubito, quin istud eidem sit probandum, & Excellentiæ vestræ futurum majori in dies solatio, cum cernet oculis divinum obsequium, & multarum animarum auxilium. Reliqui omnes hujusce minimæ Societatis, vestræ potiùs Excellentiæ quàm nostræ, erimus semper ad quosvis ejusdem nutus paratissimi pro Dei Domini nostri gloria, cui sit complacitum gratiam omnibus donare ad sanctissimam ejus voluntatem dignoscendam, ac semper exequendam.

Romà 23. Maji 1551.

Excellentiæ vestræ

*Humillimus in Dño nostro servus  
Ignatius.*

EPISTOLA VI.

Ignatius Lojola Urbano Fernandez.

I.  
Jun.  
1551.

*Quenam Ignatius de suis rescire vellet: quosnam Societati idoneos reputaret. De perfecta Sociorum obedientia, moderata carnis maceratione, oratione assidua, parata ad nutum voluntate; de studiis Societatis, & opinionum concordia; de recta intentione, virtutum studio, & regularum observantia. Omnia Ignatii nomine P. M. Polancus P. Urbano Fernandez Collegii Conimbricensis Rectori. V. pag. 102. n. 102. Multa hæc fusius declarantur, quæ Constitutionibus S. J., præsertim Parte 8. c. 1., & P. 9. c. 6., lucem afferunt.*

I. **H**isce respondebo, Pater carissime, literis octavo Martii a te conscriptis. Ac primum, ad mentem quod attinet Patris nostri de ratione scribendi, sciat Reverentia vestra non eam esse, ut certior fiat duntaxat de rebus ad ædificationem, spiritalemque fru-



1. fructum confessionum, concionum, & aliorum id genus, pertinentibus; cum de his unis sufficiat literis Jun. quarto quoque mense perscribere, uti factum est 1551. adhuc, quin easdem sit opus singulis mensibus in longum iterare. Id autem omne, quoad ejus fieri poterit, scire noster Pater desiderat, quod eundem nosse oporteat, majorem ut ipse ferat opem, meliusque muneri a Deo Domino nostro sibi commisso satisfaciat. Sed quoniam exigua & minuta sunt prope innumera, nec omnia conscribi omnino possent, quibus alioqui satis est provisum istic per locorum Præpositos, & Provinciales; Patri nostro pergratum esset ad ipsum ea referri, quæ majoris sunt momenti, & difficiliora censentur. Quare jugiter rescire cupit fratrum numerum; quinam ingrediantur, & egrediantur, vel dimittantur: propterea petitus est in quartum quenque mensem vestrum omnium catalogus, quo singulorum nomina, dotesque censeantur: hic si semel accurate confectus huc afferatur, tum ea sufficet adscribere, quæ mensibus quatuor consequentibus denuo acciderint.

2. Præterea scire cupit præcipua quævis de fratribus, qua nempe ratione se gerant in literarum studiis, & spiritali via, ut puta, si quis vehementer his aliisve tentationibus agitetur, & quibusnam remediis iidem adjuventur; si qui etiam tuti, ac strenui divino in obsequio progrediantur. Javerit etiam breviter indicare carnis castigationes, quibus quisque uti consuevit \* medendis variis animi sui affectionibus; de successu quidem *in genere* dicendum, quovis autem singillatim exponendo parum immorandum. Præterea quinam proficiant, & in doctrina, concionandique gratiâ inter alios emineant: quinam, absoluto jam solito studiorum curriculo, idonei paratique sint, ut alii aliò mittantur: quinam, cursu nondum peracto, mittantur *ad tempus*,  
ut

\* *Hispan.*: con que suele procurar de curar (*al. deest*: de curar) unos afectos, y otros; y del sucesso dellos (*al.*: de ellos: hablando...) hablando *in genere*, y poco deteniendose en los particulares. Fortasse B. Pater scire cupiebat, quem ad finem quisque suum corpus maceraret, & quo exitu: hac autem *in genere*, non singillatim exponenda.



ut \* provideatur, vel satisfiat iis, quibus negari non possit. Sic etiam aliis de rebus, de quibus memorialis libellus a me conscriptus, quem dedi Patri Brandon, cujus exemplum credo me Reverentiæ vestræ misisse, vel cum hac mittam.

I.  
Jun.  
1551.

3. Quod vestra jubet Reverentia, ut perscribam quædam quasi effata seu axiomata de regimine, & aliis: ego quidem non idoneum me sentio, qui de minimis etiam dicam, nedum de maximis. Sed Spiritus Sanctus, cujus unctio docet de omnibus eos, qui ad ejusdem sancta lumina excipienda se præparant, in rebus maximè ad cujusque officia pertinentibus, Reverentiam vestram edoceat; quod & facturum spero, quandoquidem tam bonam ipsi dat voluntatem scitè majus ipsius obsequium attingendi. Ne tamen penitus eorum aliquid dicere prætermittam, quæ potui de mente Patris nostri cognoscere, ac de ipsius agendi ratione.

4. Primum omnium video, ipsum cupere viros \*\* ad majora natos, naturæ vigore & habitudine, seu ad literas, ipsasque exercendas; sive ad externa pia opera promovenda; quibus industria pariter ad utrunque non desit. Potius autem eum acciperet, quem spes sit posse in rebus externis, uti famulatûs, præstare, tametsi literis non aptum, quàm alium, qui nec ad easdem res propensus vel aptus esset, nec ad literas sufficientem, licet aliquam, haberet habitudinem. 2. Vellet idem extremà jam pueritia egressos, qui staturam istam, cujus mensuram mitto tibi, pertingant; nisi quis videatur pro raris dotibus, & extraordinariis causis excipiendus: præterea honestà fere præditos externà formà, quam omnino vitæ nostræ institutum, & agendi cum proximis ratio requirunt. Quare non ei probantur externà formà indecori, nisi eximiis aliis ornentur Dei donis, quibus illa compensetur, & fortasse fiat etiam ad aliorum ædificationem utilior.

5. 3. Ætate immaturos, ut adolescentes, non vult excipere, si ægra sunt valetudine: in literatis verò, &

H h h

pru-

\* *Alcazar*: para probar; *codex Flor.*, para proveer.

\*\* *Hispan.*: Sujetos, que sean para algo.



1. prudentia singulari præstantibus fort leviùs inualetudinem, cum ii adjuvent etiam sen mortui. 4. Ad cooptatos quod attinet, ut video, id in primis quàm maximo curat studio ut observentur, ac dolet maxime observantiam ejus prætermitti (non enim loquor de gravibus noxis, quas quidem non esse præsumitur); ea, inquam, obedientia, quæ non mandata solùm exequatur, sed suam esse faciat Superioris voluntatem, idemque omnino cum eodem sentiat quacunque in re possit a nomine peccatum subesse pronuntiari. Enim vero imperfectam censet subditi obedientiam, qui solà mandati executione contentus, illud quidem vult facere, non tamen judicat fieri etiam debere, vincens & captivum sanctæ obedientiæ suum supponens judicium: id quod semper intelligitur, quoad ejus potest voluntatis facultas in intellectum agere, uti fere ubi nulla cogit rerum evidentia: ferre autem non solet judicii sui tenaces seu capitones, qui alios sollicitant & perturbant, in rebus etiam minimis.

6. 5. In cupiditatibus edomandis, ut item video, eas mavult ac præfert castigationes, quibus honor & existimatio propria cohibetur, aliis quibuscunque carnem macerantibus, ut puta, jejuniis, verberationibus, ciliciis. Atque in his quidem videtur non solùm calcar non admovere; verùm etiam frænos adhibere iis, qui molestis ac periculosis carnis motibus non infestantur, dum præsertim literis incumbunt: hos enim, quandiu literis ac virtutibus sine offensione notabili rite progrediuntur, sentit potiùs studiis permittendos; corporis autem castigationibus aptius tempus arbitratur, quod vel literarum cursum præcedit, vel illum jam absolutum consequitur. 6. De oratione, ac meditatione, nisi peculiaris sit necessitas a tentationibus, ut dixi, molestis & periculosis, video equidem magis ei probari studiosum conamen Deum inveniendi in omnibus rebus, quas quisque fecerit; quàm mora productior eidem simul impensa. Atque hunc spiritum videre desiderat in Societatis viris; quo non minorem, si fieri potest, inveniant pietatis sensum in quovis caritatis & obedientiæ



tiæ opere, quàm in oratione ac meditatione; cum agere nihil omnino debeant nisi propter amorem & obsequium Dei Domini nostri, ut eà quisque re magis contentus esse debeat, quæ ipsi mandatur; tunc enim dubitare non potest, quin ad Domini Dei nostri voluntatem se conformet. 7. Eam cupit in Societatis hominibus æquabilem voluntatum suarum permissionem, paratamque ad imperata quævis æquabilitatem, quam solet senis baculo comparare, qui se ad omnem ejus voluntatem moveri sinit; vel etiam cadaveri, quod feras quocunque velis, ipso minimè repugnante. Quamvis autem animi cujusque propensiones soleat explorare (seu ad literarum studia, sive ad alia), magis tamen amat ad literarum studia eos applicare, quos singularis nulla teneat voluntas nisi Dei Domini nostri voluntatem, ab obedientia declaratam, exequendi, quàm si magno ipsi literarum amore afficerentur.

7. 8. Literarum studia quod attinet, generatim atque universè vult omnes grammaticà, & humanioribus literis perpoliri, præsertim quos ætas juvat atque propensio: tum verò nullum respuit ingenuarum genus literarum, non poesim, non rhetoricam, non logicam, nec naturalem & moralem philosophiam, nec metaphysicam nec mathematicam, in iis præsertim, ut dixi, qui ætate pollent & ingenio. Etenim Societatem perfectam atque instructam esse gaudet omnium armorum genere, quæ quidem usui ad ædificationem esse possint; ea verò habentes paratos omnino esse, ut eisdem utantur, vel non utantur, prout expedire videbitur. 9. Circa opiniones, nullam vult (quoad ejus fieri potest) in Societatis hominibus varietatem, ne in speculatoriis quidem gravioribus, nedum in eis, quæ deliberationem habent de moribus. Consuevit autem sæpiùs hac uti ratione, qua nempe facit, ut suum quisque judicium deponat, seque ab aliis judicari permittat, ubi se præter modum opinionis suæ tenaciorem prodiderit.

8. 10. Jam verò intentionem vellet ut haberent omnes rectissimam, Dei nimirum gloriam in anima sua, corpore, & operationibus universis quærendi; atque



1. animarum auxilium magnopere vestigandi, alius aliâ via  
*Jun.* & ratione, alius per se se, per alios alius, spectantes  
 1551. semper commune potius bonum, quàm privatum. 11.  
 Circa eos, qui uni cuidam rei (uti literis) addicuntur,  
 cui sint ipsi quidem idonei, sed non e contrario illa  
 sibi, nostrum ita Patrem gerere se video, ut eos ab  
 illa removeat; cum majoris esse momenti constituat,  
 quòd virtutibus proficiant, quàm literis, quando fieri  
 utrunque non potest. Quam ob rem a literarum studiis  
 multos amovit, quòd quieti non essent, nec ad pie-  
 tatem proficerent. Eadem esset ratio de negotiis. 12.  
 Quod rigorem spectat regulas domus observandi, non  
 equidem video Patrem nostrum illo cum eis uti, qui  
 propriis de causis (uti valetudinis, vel occupationum)  
 aliquam ex eis non asservarint; quin immò non semel  
 exceptionibus pro sua utitur prudentia. Cum eis ve-  
 rò, qui exceptionem non habent; illarum sic urget  
 observantiam, ut aliquas transgressoribus imponat pœ-  
 nitentias ad memoriam & monitionem aliorum. Nam  
 cum & illarum violatio culpâ vacet, & jure ac me-  
 rito serventur; genus aliquod pœnæ in violatores esse  
 debet. Atque in regulis minoris momenti levior est;  
 & plerunque non aspera, præterquam in rebus obe-  
 dientiam attingentibus, seu quibusvis aliis majoris mo-  
 menti. Atque hæc hactenus pro epistola. Patris nostri  
 constitutiones, quæ istuc brevi, spero, mitti poterunt,  
 longè melius omnia declarabunt. Reliquum est tantum,  
 ut me Reverentiæ vestræ, omniumque carissimorum  
 fratrum nostrorum precationibus commendem.

Româ die 1. Junii 1551.

*Reverentiæ vestræ in Christo servus*

*Locus Sigilli S. Ignatii.*

*Joannes a Polanco.*



## EPISTOLA VII.

23.  
Jul.  
1551.

Franciscus Borgia Ignatio Lojolæ.

*Magna hæc rerum varietas tam mirâ brevitate perstringitur,  
ut brevior summa vix confici posse videatur.  
Vide a p. 118. n. 114.*

Reverende admodum, & carissime mi Pater  
in Christo.

Gratia, & amor Spiritus Sancti accrescat semper in  
anima Paternitatis vestræ ad majorem Domini  
gloriam, majusque proximorum emolu-  
mentum. Amen.

**A**ngeli tibi gratias agant pro bonis spiritalibus no-  
vis, quæ mihi scribis; ita enim res, quæ Domini  
est bonitas, procedunt, ac progrediuntur, magnam ut  
nobis occasionem præbeant nos magis diminuendi, &  
divino in conspectu erubescendi ob beneficia in eos  
collata, qui & eisdem indigni sunt, & omni bono: si  
quod enim fit, aliud dicere non possumus, quàm vatis  
hoc David: *i dicebam: motus est pes meus, misericordia  
tua Domine adjuvabat me.* (Ps. 93. v. 18.) Dignetur ipse  
nostram semper movere voluntatem, nostramque fræ-  
nare libidinem, ut verè dicere queamus: *Manus Domini  
tetigit me.* (Job. 19. v. 21.) Hæc autem ipsa manus  
Ferrarienses, & Neapolitanos sic tangat; ut plures ex  
utraque urbe cives in cælestem Jerusalem egredi me-  
reantur.

2. Meam quod attinet profectionem, non habeo  
quid dicam, nisi me illud censere optimum, quod ve-  
stra Paternitas quacunque de re constituerit. Istic Deus  
& hæc operarios multiplicet, quibus certe admodum est  
opus, in tot ea loca nunc illos flagitantia, & pro-  
messe augescente. Adhuc enim non potuit vel ipsi etiam  
Perez satisfieri concionatorem postulanti, tametsi Deus  
scit



23. scit quantopere P. Provincialis id cupiat. Doctor etiam  
*Jul.* Ygarza Magistrum Mironem mutuum postulat Conchen-  
 1551. sibus, ac Pater illum, credo, rejiciet in Magistrum Do-  
 menech, & in ipsum, ut melius pro loco & tempore  
 constituent. Gandia Magistrum Joannem expectat; cum  
 enim P. Magister Simon dixerit mihi, non cum perin-  
 de in Germaniam esse idoneum, ut ipse sentiebam,  
 magis ad Gandiam fore opportunum reputavi: nunc  
 præsertim, cum præcipui tres inde sint extracti; pro  
 quibus tamen alii adierunt; vel certe propediem adi-  
 bunt. Jam verò Magistro Joanni Alanes, credo, præ-  
 cipiet Pater, ut se huc conferat, si melius habebit.  
 Vestræ Paternitatis manus deosculor pro consolatione,  
 qua se de mea consolatione affectum significat; quan-  
 quam Patri Provinciali tanta est cura, nihil ut facien-  
 dum mihi supersit, nisi ut omnibus in rebus eru-  
 bescam.

3. De Romano Collegio dicendum mihi nihil oc-  
 currit, nisi ut Dominum laudem a bono ejus, quod  
 posuit, initio. Novit Deus, me illud habere *in medio*  
*cordis mei*; Oñatem in medio viscerum meorum, ut du-  
 rum proinde sit inter cor & viscera adjudicare: nihi-  
 lominus nullà seu viscerum, sive cordis carnei habita-  
 ratione, me primò Paternitatis vestræ dispositioni sub-  
 mittens, dicerem, ut reliqua duplex hujusce anni pars  
 tertia Oñate concedatur; nam dubito, possit ne in ea  
 sine hoc subsidio quidquam inchoari; cum eidem Do-  
 mini Hieronymi de Lineros beneficium detrahatur, nos-  
 que deinceps id acturi simus, ut incipiant (*hæc detrita*  
*est periodus in autographo*), sin aliter omnia in Dominum  
 recident. De reliquo Paternitati vestræ jam scripsi,  
 & quid ipse sentirem, & suæ me sententiæ omnia  
 committere; licet enim aliqua mea nomina, quæ sunt  
 adhuc solvenda, nequaquam solverentur, credo, quod  
*Dominus retribuet pro me*, vestramque Paternitatem, ac  
 Societat in idem esse facturam.

4. Ne Burgi harum rerum invidià teneantur, di-  
 cam, nos expectare, dum Regina Bohemiæ Burgos  
 perveniat; tunc autem Dominus Joannes continuo adi-  
 bit



bit cum literis ad Dominam D. Joannam, ut cum Comitestabili de Collegio agat; ac putamus, suadendo viro idoneum fore Dominum D. Ferdinandum de Mendoza, quippe cujus interest pro vicaria, qua utitur ibi, potestate Cardinalis Bergensis. Atque hæc quidem est idea præconcepta; quod reliquum est, Dominus ad majorem suam gloriâ deducat. Missæ sunt etiam literæ de novis ad P. Stradam; & rescripta pariter Brevia, synopses inquam. Cetera, quæ ad Ducem missa sunt, præclare omnia; utinam sic se habeat bonus Episcopus Scyllaciensis; quem certè opus erit, ut Paternitas vestra visitet *in utroque homine*. Jam ante Perezio scriptum est de beneficii Petrochii procuratione.

23.

Jul.

1551

5. Quod vestra Paternitas mihi mandat de corporis valetudine: Azpeitiæ medicus me convenit, ac regulam mihi præscripsit, quæ visa sibi est a me observanda. Hanc ego, quoniam ita vestra jubet Paternitas, servare constituo; quanquam eam esse stomachi meæ conditionem experior, ut quo majore afficiatur honore, eò magis fatigetur, minusque sit ad agendum idoneus. Dominus cuncta corroboret: Amen. Jam vero P. Provinciale credo perscripturum, qua ratione die Sancti Petri Vergaræ concionari cœperim, & sacrâ in ædicula nostra die Magdalenæ; atque in cœnobio Sanctæ Annæ piarum hujus oppidi fœminarum spero me Sanctæ Annæ die concionaturum, tum Azpeitiæ Dominica consequente, Sancti Dominici die ad S. Sebastianum, & Azcoitiæ Dominica sequenti: itaque dum ædicula sacrâ erigitur Deo favente non omnino frustra pane vescemur. Gratias equidem ago Paternitati vestræ pro gratia, quam ad me misit, jejunia relaxandi. Dominus, suâ utens misericordia, nos relaxet, idque nobis donet, quo sanctam ejus voluntatem sentiamus, & exequamur. Amen.

Quate die 23. Julii.

Tuus in Christo servus, ac filius  
Franciscus peccator.

P. S.



23. P. S. Vestræ supplico Paternitati, ut P. Magistri  
*Jul.* Polanci precibus commender, atque hoc ad suas literas  
 1551. responsum accipiat; non enim suam illam & præle-  
 gendi, & scribendi facultatem habeo, & Dominus  
 semper nobis prælegit: *Beatus homo, quem tu erudieris*  
*Domine.* (Ps. 93. v. 12.)

16.  
*Aug.*  
 1551.

## EPISTOLA VIII. \*

Ignatius Lojola Antonio Minturno.

*De Patribus, & Scholasticis, agente Montis Leonis Duce,  
 Neapolim mittendis. Vide p. 102. & 103.*

Jesus.

Magnifice mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 nobis sit & auxilio, & favori.

Quemadmodum ad Illustrissimum D. Ducem scribo, vertente Sept. mense in procinctu erunt 12. Socii, qui Neapolim sunt mittendi. Et quoniam Tridenti versantur Lainius, & Salmeron, diserte id jubente S. Pontifice, nec inde revocari valent, apud me constitui, unum e Sacerdotibus mittere Bobadillam, quamquam & hic urgentibus Angliæ Cardinali, & Cardinali Durante una cum hoc versetur Brixia, rebus quæ ad Dei famulatum spectant, intentus. Verum in Domino confido, occupandum esse Neapoli in rebus non minus, imo & magis gratis divinæ Majestati. Quod ad alterum Sacerdotem attinet, in concionando, & in omni pietatis opere, quod forte occurreret, spes mihi est, gratiam ipsi a Domino conferendam, ut utilitati sit non exiguæ ad finem præstitutum. De rebus aliis ex inserto libello supplici cognosces, & referre dignabere

\* Hanc Italico - Latinam fecit ipse D. Andreas, de quo p. 102.



bere ad Ducem Illustrissimum . Nam præter ibi scripta , nihil opus est adjungere . Equidem magnam mihi fiduciam indidit Deus , quum videam pietatem vestram , & infusum a Deo - studium aggrediendi inibi opus , quod ad Dei obsequium conferet maxime . Cui rei inutiles non erunt Scholastici ; erunt enim spectata , & probata virtute juvenes , qui & suo omnes exemplo , & ex parte etiam litteris conferre poterunt ad opus Christi D. N. qui per summam , & infinitam benignitatem suam affluentem omnibus concedat gratiam , ut & sanctissimam suam voluntatem cognoscant , & illam integre exequantur .

16.  
Aug.  
1551.

Romæ die 16. Augusti 1551.

*Tibi in Domino addictissimus  
Ignatius Loyola .*

EPISTOLA IX.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ .

29.  
Jan.  
1552.

*Ignatii literæ Xaverio jucundissimæ : Xaverii de se animi sensus , & Ignatium videndi desiderium . Rectorem Goano Collegio , & Japoniæ Academiis viros mittendos virtute ac doctrina præstantes . Ærumnæ , labores , pericula in Japonia : Amanguciana Ecclesia , Japonum , & Sinarum indoles , doctrina , literæ , religio . Ignatii & Societatis universæ preces implorat .*

\* Meo in Christo Sancto Patri Ignatio . Romam .

Gratia & amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio & favore . Amen .

I. **V**erissime Pater mi , accepi modo Malacæ , huc appellens e Japoniâ , literas tuæ sanctæ charitatis , quæ quoniam de vitâ ac valetudine tam cari ac venerabilis mihi capitis quod optabam , docuerunt , scit  
Iii Deus

\* Inscriptio exterior in autographo : A my en Christo Santo Padre Ignatio .



29. Deus Dominus noster quantâ meum animum voluptate  
*Jan.* compleverint. Multas equidem in iis jucundè legi sua-  
 1552. vitatem spirantes tuam pietatemque sententias; quas &  
 identidem, fructu animi mei præcipuo, retracto mente  
 versans, & quodammodo regusto; præsertim autem illa  
 extrema verba, quibus velut charitatis quodam sigillo  
 epistolam obsignasti: *Totus tuus, adeo ut nullo unquam  
 tempore oblivisci tui possim. Ignatius.* Quæ ego ut illic  
 cum dulcissimis lacrymis legi, ita & flens hîc describo,  
 revocans suavissimam memoriam temporis elapsi, & il-  
 lius sinceri, ac sancti amoris, quo me semper ample-  
 xus, nunc quoque prosequeris; prætereaque reputans,  
 me ex tot illis atque ingentibus laboribus periculisque  
 Japoniæ, a Deo, tuis potissimum precibus inflexo, vo-  
 tisque in me paternis obsecundante, fuisse liberatum.

2. Nunquam exprimere scribendo possem quantum  
 debeam Japonibus, quandoquidem in eorum gratiam Do-  
 minus noster clarâ me notiâ intimè imbuit innumera-  
 bilium culparum mearum. Nam hactenus evagans extra  
 me, quandam velut abyssum malorum in meâ conscien-  
 tiâ penitùs conditam non perspexeram: quoad in illis  
 ærumnis & angoribus Japoniæ, apertis aliquando mentis  
 oculis, dedit mihi bonus Dominus manifestè cernere,  
 ac quasi præsentis experientiæ sensu tangere, quàm val-  
 dè necessarium mihi sit existere aliquem qui peratten-  
 tam perque sedulam mei curam gerat. Videat igitur  
 quid agat tua sancta charitas, dum tam sanctas animas  
 patrum ac fratrum Societatis qui in his degunt regioni-  
 bus, gubernationi meæ subjecis: mihi vero per solam  
 Dei misericordiam modò evidentè innotuit, tam malè  
 me paratum rebus ad istam Præfecturam benè fungen-  
 dam necessariis, ut sperare potius debuerim commen-  
 dari a te curæ ac providentiæ fratrum meorum, quam  
 ipsos mihi committi regendos.

3. Adjungit deinde tua sancta charitas, ingenti de-  
 siderio teneri te videndi me adhuc semel ante finem hu-  
 jus vitæ. Novit qui mei pectoris intima pervidet Do-  
 minus noster, quàm vehementem quamque dulcem im-  
 pressionem teneri affectus animo penitùs meo insinua-  
 verit



verit hæc ita blanda significatio præstantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem sæpissimè) injussæ mihi lacrymæ oculos complent: nec possunt teneri quin suaviter erumpant ad solam illam mihi jucundissimam speciem quæ obversatur cogitanti, fieri posse ut te iterùm amplectar: quod etsi video difficillimum; tamen nihil est quod sancta obedientia efficere nequeat.

4. Per studium quo ardenti flagras obsequendi ac gratificandi Deo Domino nostro, unam a te peto gratiam, quam si præsens adessem, positus humi ante tuos sanctos pedes genibus supplex rogarem; ea autem est, ut hùc mittas virum aliquem tuæ sanctæ charitati penitùs perspectum & planè probatum, Rectorem præficiendum Collegio Goano: nam homine quem tu elegeris, quemque manu, ut sic dicam, istâ tuâ idoneum formaveris, vehementer eget id Collegium.

5. Cur omninò arbitrer necessarium destinari hùc a te viros præstantes & supra vulgarem modum virtute ac doctrina præditos, ad Academiæ Japoniæ mittendos, hæc causa est, quoniam qui sunt illic expertes literarum, sed alioqui prudentes homines, cum de suis erroribus convincuntur, eò se recipiunt, ut dicant, esse in suâ quoque gente doctorum virorum copiam, qui totam vitam exquisitis commentationibus & infinitâ lectione transegerunt (1). Eos, quoniam quæ nos affirmamus, pernegant, prius esse revincendos adjungendosque nobis; ut sic rectè possint, qui eorum autoritate nituntur, & ipsi accedere. En cur literis ac doctrina opus sit.

6. Constantia vero ac patientia insignis (2), virtutumque cunctarum cumulus, plane requiritur in iis qui tantis se dimicationibus (3) objecturi sunt. Venient siquidem pauci & inopes advenæ contra nomen universum ac famam gloriosæ, ac multâ sui rerumque suarum admiratione subnixæ nationis, quæ tota in ditione Bon-

(1) *Cut.* Quare opus est cum magistris illis decertare.

(2) *Cut.* Profunda humilitas.

(3) *Cut.* Et contradictionibus, præsertim Bonziorum.

29.  
Jan.  
1552.



29. ziorum est, primas illic dignitatis existimationisque te-  
*Jan.* nentium: quod qui audeant, palàm est multa passuros,  
 1552. ubi eos undique quos irritaverint crabrones incesserint;  
 neque laturos impunè, simul, quod primùm & neces-  
 sariò faciendum, Bonziorum sophismata dissolverint,  
 mendacia redarguerint, sordes & arcanas artes, quibus  
 plebem credulam pecunia emungunt, in lucem protra-  
 here publicam cœperint.

7. Equidem ex iis quæ sum expertus illis præsens, videre jam hinc videor, vesani Sacrificuli quàm impo-  
 tenter erupturi sint, cum aderit coràm, qui negare in  
 os ipsis sustineat: posse illos, quod gloriantur, arcanis  
 sacris, eruere flammis, addictas jam Orco animas: cu-  
 jus ridiculæ jactantiæ, si palàm falsitas coarguatur, quæ-  
 stus eorum pars maxima perierit. Cum verò Sodomitica  
 flagitia, quam illi abominandam obscœnitatem in ludi  
 ac propè laudis parte numerant, meritis objurgationum  
 aculeis configentur, nempe istos velut compunctos sti-  
 mulo in suis lutulentis lacunis immanes apros, ruituros  
 impetu vesano ad eos dirumpendos, qui margaritas an-  
 te ipsos projecerint, est consentaneum. Quare, ut di-  
 xi, horum hisque similium promulgatores illic dogma-  
 tum, deesse non poterit, quin acriter oppugnentur,  
 dirèque vexentur, ut animæ ipsis suæ, juxta Evangeli-  
 cum verbum, in suâ sibi duntaxat possidendæ patientiâ  
 sint: quâ propterea egregiè instructos, firmiterque præ-  
 munitos esse oportet, qui ad ea discrimina se obji-  
 cient. Scribo itaque ad Patrem Simonem, aut eo ab-  
 sente ad Rectorem Collegii Conimbricensis, ne ullos  
 hùc ad Japonicas Academias ituros mittat, quos tua  
 sancta charitas non viderit, planèque perspectos pro-  
 baverit.

8. Iterùm atque iterùm dico; majoribus quàm vul-  
 gò creditur certaminibus & ærumnis exercebuntur. Adi-  
 buntur importunissimè: nullam diei, nec interdum no-  
 ctis horam a molestissimis interpellatoribus vacuum ha-  
 bebunt: interrogationibus aliis super alias sine fine ur-  
 gebuntur: vocabuntur à principibus viris, quibus nega-  
 re nefas sit. Subtrahetur per hæc quotidianis oratio-  
 nibus,



nibus, meditationibus, receptui mentis ad Deum, & 29.  
 spiritualibus id genus exercitiis tempus; non vacabit Jan.  
 Missam celebrare. Saltem primis, quibus ibi conspici 1552.  
 cœperint diebus, præ turba sciscitantium, quos repel-  
 lere non expedit, vix persolvendi pensi Ecclesiastica-  
 rum precum, vix cibi somnique capiendi spatium erit.  
 Nationis id vitium ejus est, nullâ verecundiâ negotium  
 facessere, hospitibus præsertim & peregrè appulsis,  
 qualibus ferè contemptim utuntur, & protervè illu-  
 dunt; etiam innoxiiis, & nullâ re molestis.

9. Quod si jam iidem, quæ Japoniis sunt sanctissi-  
 ma, insectari & incomitari audeant; si in sectas su-  
 perstitionum invehantur; si vitia publica sale satyrico  
 non parcè defricent, virgulâ censoriâ non perfunctoriè  
 feriant: simul præfractè negaverint eos, qui semel In-  
 fernis addicti sint ignibus, ex iis ullo posse piaculo,  
 ulla viventium amicorum aut parentum largitione aut  
 religione liberari; magnam statim procellam invidiæ su-  
 beant necesse est, indignaturo passim optimo quoque  
 in eos qui de carorum ipsis jam defunctorum animabus  
 tam durè sentiant; plerisque novam religionem velut  
 infirmam imperfectamque contempturis quod ultrò fa-  
 teatur, nihil se remedii semel damnatis habere quod  
 afferat. Talium curæ rerum & hujus generis ibi quæ-  
 stiones agitantur, idcirco quod in illius Gentis literis  
 & traditionibus antiquis multa inferni mentio est: Pur-  
 gatorii admodum nulla.

10. Hæc cum ita sint, res ipsa loquitur, opus illic  
 esse robustis ingeniis, exercitatis in dialecticâ, popula-  
 ri facundiâ disertis, agilibus ad quocunque sequendum  
 & prævertendum errantes; qui plausibiliter valeant fu-  
 gatis veri specie mendaciis larvam detrahere, retexen-  
 dis sophisticis argumentationibus, & falsorum dogma-  
 tum inconstantia, ac secum collisione demonstrandâ.  
 Erubescunt enim & incredibiliter confunduntur isti Bon-  
 zii, ubi male cohærere ac pugnare inter se ea quæ do-  
 cent, palàm ostenditur; aut quando ita constringuntur  
 ratiocinatione necessariâ, ut expedire se nequeant.

11. Ad has dotes animorum, accedat oportet robur  
 corpo-



29. corporum, par ferendis algoribus rigidissimarum hye-  
*Jan.* mum. Nam Bandus, Academiarum Japoniarum prima-  
 1552. ria, in partibus earum insularum maximè septentriona-  
 libus sita est, nec multum inde absunt Academiae cæ-  
 teræ, compertumque illic est, solertiâ ingenioque ferè  
 præstare, qui sub cœlo frigidiori nascuntur. Victum  
 quod attinet, unica ferè oryza annonam conficit: etsi  
 reperitur & aliquantum tritici, nonnullaque olera, le-  
 gumina, cibique ejus generis, tenuis omnes, nec valdè  
 salubris, succi: vinum aliud non habent, quàm quod  
 ex oryzâ exprimunt arte quadam, perrarum, & idcir-  
 cò supra modum carum: maximum tamen incommo-  
 dorum est anxietas continua in periculis vitæ quoti-  
 dianis.

12. Non sunt apti ad hujus terræ culturam senes,  
 utique quibus deessent vires ad necessarios labores;  
 nec adolescentes, nisi si quibus defectum ætatis virtu-  
 tum magnitudo manifestis experimentis perspectarum,  
 suppleret: alioqui potiùs quàm aliis prosint, se ipsos  
 perderent. Peccatorum omnis generis irritamenta illic  
 & occasiones sunt. Præterea teneriores ibi quam us-  
 quam animi hominum facillimè offenduntur quavis spe-  
 cie minus recti exempli, in iis extante qui se aliorum  
 censores ferunt. Hæc ita minutim, ut dixi, scribo Ma-  
 gistro Simoni, aut ejus vice Rectori Conimbricensi.

13. Gratissimum mihi esset si tua sancta charitas  
 scribere Conimbricam dignaretur, ut quos destinarent  
 in Japoniam, prius ad te Romam mitterent. Veniebat  
 mihi in mentem, aptos ad eam expeditionem videri  
 fore Belgas, aut Germanos, qui Castellanam aut Lusi-  
 tanam linguas nossent. Utrumque id genus tollerans  
 laborum est, tum naturali habitu & educationis usu  
 duratum ad patientiam Bandensium frigorum. Verisimi-  
 le putabam non paucos ex hisce nationibus duabus, in  
 variis Hispaniæ Collegiis, & Italiæ vivere, in quibus  
 forte multum utiles non sint: quod nativâ elegantiâ  
 popularis linguæ careant; qui si transferrentur in Ja-  
 poniam, excellenter ibi operam navarent, & magnis  
 se fructibus commendarent.



14. Putavi præterea suggerendum sanctæ charitati tuæ, ut, si tibi videretur, juberet haberi severiorem delectum eorum, qui ex Collegiis Hispaniæ, & Lusitaniæ mittuntur in Indiam ibi victuri. Præstaret duos tantum anno quolibet huc solvere, dum tales essent, quales hæ regiones requirunt, primùm satis provectoros in perfectione spirituali; postea & doctrinâ & facundiam præditos quantâ opus est ad concionandum, & Confessiones audiendas. Et hos cuperem tuo jussu peregrinari Romam, antequam ad nos navigent. Nam & istæ itinerum probationes ad eos formandos conferunt: quid possint ipsis ostendunt; ad labores durant; adversus pericula futura, præteritorum innoxie aditorum recordatione, confirmant. Denique sic consequemur, ut hic in concursationum Apostolicarum sudoribus novi non sint: quales deprehenduntur qui sedentes huc nave delati è patriâ, unde nunquam exierunt, campestrium peregrinationum usum nullum habent.

15. Sanè tot hic illecebræ ad mollitiem, tanta tamque pellacia, non modo ad cessationem, atque desidiam, sed etiam ad nequitiam invitamenta sunt, ut eorum virtus qui hisce animarum periculis objicendi sunt, exquisitis prius experimentis probanda videatur; ne si qui minus idonei obrepserint, pro speratâ nobis consolatione ipsorum adventus & convictus, negotium potius molestissimum facessant, ea committentes, ob quæ ipsos è Societate amandare sit necesse. De his videat quæso tua sancta charitas, an è re sit Magistrum Simonem per te admoneri.

16. Neque qui è societate nunc sunt Amangucii, neque qui, cum hic jam versentur in Indiis, anno proximo, vel aliis consequentibus, si Deus volet, in Japoniam ituri sunt, idonei mihi videntur, qui mittantur ad illas Academias. Verum hi vacabunt interim addiscendæ linguæ, cognoscendisque dogmatibus sectarum, ut cum venerint ex Europâ, quos expectamus è sinu tuo Patres, domesticis ipsis & fidis uti possint interpretibus in concertationibus adversus Bonzios.

17. Verisimilis mihi spes est profecturam plurimum, & lar-

29.  
Jan.  
1552.



29. & largè amplificandam Amangucianam Ecclesiam. Sunt  
*Jan.* enim jam ibi Christiani multi, & inter illos non pauci  
 1552. valdè boni; ac novi quotidie plurimi catechizantur, &  
 baptizantur. Vivo in spe magnâ, fore ut Deus Domi-  
 nus noster nobis servet Patrem Cosmum Turrianum, &  
 Joannem Fernandez, nec sinat ab Idololatriis interfi-  
 ci, primùm quia prima, & præsentissima periculorum  
 jam videntur evasisse, furiis illis Bonziorum primâ of-  
 fensione inflammatis, morâ dehinc mitigatis, & sensim  
 consenescentibus. Deinde quia multi, ut dixi, ibi Chri-  
 stiani sunt, & inter eos non pauci dignitate & autori-  
 tate præstantes, qui magno studio invigilant diù, no-  
 ctuque conservationi nostrorum. Joannes Fernandez,  
 etsi nihil nisi laicus est; tamen, quòd expedite utitur  
 linguâ Japonica, & quidquid illi suggerit Pater Cosmus  
 Turrianus, aptè ac disertè in eam transfert, utilissi-  
 mus est illic. Nunc totus est in explicandis, quotidianâ  
 ad populum dictione, omnibus Mysteriis vitæ Christi.

18. Quoniam eam perspexi in Japonibus indolem,  
 ut & Religionem Christianam satis ipsis ostensam faci-  
 lè probaturi, & semel susceptam tuituri constanter,  
 atque in posteros perpetuaturi videantur, in eorum  
 culturâ quantosvis labores benè collocatos puto. Quo  
 in sensu reficit ac consolatur me spes quam in tuâ  
 sanctâ charitate repositam habeo, confidere me jubens  
 mittendos huc à te sanctos aliquos Patres, quos rectè  
 Japonicarum superstitionum magistris possimus oppone-  
 re. Id faciendi præcipua tibi causa sit excellentia quæ-  
 dam nationis Japonicæ mihi perspecta suprâ cæteras  
 hactenus in hisce tractibus detectas. In quarum nullâ,  
 quæ quidem suis legibus vivat, & Regi Lusitaniæ non  
 sit subdita, satis verisimiliter videtur sperari posse  
 Christi Religionem perenni firmitate radicandam. Una  
 ex omnibus, & sola, quantum sapio, Japonia videre-  
 tur inconcussam, æternamque servatura Christianæ san-  
 ctitatis professionem, si eam semel arripuerit: quod  
 utique non sine ingentibus Evangelicorum Præconum  
 ærumnis, ac contentionibus eventurum est.

19. Sinâ, quæ regio est patens latissimè, pacatis-  
 sima,



sima, temperata magno numero exquisitarum legum, 29.  
 uni paret Monarchæ, cui ad nutum obeditur. Opulen- Jan.  
 tissimum est Regnum: cunctis ad vitam humanam ne- 1552.  
 cessariis abundans freto modico dirimitur à Japoniâ.  
 Gens pollet ingenio & studiis insudat, legum præser-  
 tim, & Jurisprudentiæ humanæ, politicæque rationis,  
 cujus exquisitè pernoscendæ ingenti plerique cupiditate  
 flagrant. Vultus illis candidi, imberbes, oculi parvi.  
 Liberalis plerisque indoles, pace in primis gaudent,  
 quæ fundatissima, sine ullo belli metu, inter ipsos vi-  
 get. Nisi quid novi obstaculi supervenerit, quod iter  
 destinatum intervertat, spero me hoc anno, secundo  
 & quinquagesimo supra sesquimillesimum, navigaturum  
 ad Sinas, quo me vocat spes operæ ad ingens Dei  
 obsequium navandæ, in magnam utilitatem cum Sinicæ  
 Gentis, tum Japonicæ. Nam simul innotuerit Japoni-  
 bus, Sinas Christi Legem fuisse amplexos, verisimile  
 est multum illos remissuros de pertinaciâ, quâ pravis  
 suis sectis adhærent. Adeoque magna me spes tenet,  
 tam Sinas, quam Japonios operâ Societatis à suis Ido-  
 lolatricis superstitionibus abductos, adoraturos Chri-  
 stum Jesum omnium gentium Salvatorem.

20. Obiter quiddam referam quod in usu mutuo  
 istarum gentium singulare, ac mirum observatur. Si-  
 nica, & Japonica diversæ linguæ sunt; adeo ut qui iis  
 utuntur, invicem non intelligant: quod tamen Sina  
 scripserit, legit, & percipit literatus Japon; sed cum  
 sono scriptum exprimit, ne ab ipso quidem scriptore,  
 si præsens adsit, quid dicat cognoscitur. Nempe literæ  
 Sinicæ non vocis humanæ sonos varios, ut nostri lite-  
 rarum characteres, sed res protinus ipsas exprimunt,  
 ideoque sunt innumerabiles. Discunt autem, qui doctri-  
 næ nomen affectant Japones, literarum istarum pote-  
 statem; hoc est, non quod verbum aut vocabulum in-  
 dicent; sed quam rem designent. Sublevando autem  
 elementariorum, & magistrorum labori hoc excogita-  
 runt compendium. Proponunt in tabulâ literas Sinicas,  
 cuique imponendo pictam effigiem ipsius rei, quam si-  
 gnificat. Exempli gratia, qui character homini desi-



29. gnando institutus est, ei forma expressa hominis in-  
*Jan.* cumbit. Sic in cæteris. Inde fit ut admoniti conspectu  
 1552. signi Japonæ lectores, easdem quidem res cogitationi  
 subjiciant, quas Sina scriptor in mente habuit; sed  
 dum voce quod legunt efferunt, vocabula Japonica res  
 illas denotantia pronunciant: quæ Sinæ audientes, quid  
 sibi velint prorsus nesciunt: uti nec vicissim si coram  
 Japone Sina eandem scripturam voce adhibitâ legens  
 exprimat, Japon haud intelliget quid verba sonent.

21. Scripsimus linguâ Japonicâ librum explicantem  
 origines Mundi, & cuncta vitæ Christi Mystera.  
 Eundemque deinde librum Sinicis characteribus descri-  
 psimus, quod exemplar cogitamus ferre nobiscum eun-  
 tes ad Sinas; ut interim dum linguæ notitiam para-  
 mus, specimen possimus dare Sinis scripto ipsis noto  
 expressum eorum quæ afferimus. Oro, atque obsecro  
 sanctam charitatem tuam, per quo Deum amore pro-  
 sequeris, quoque ejus obsequii studio flagras, fac tam  
 ipse tu, quam universa societas, quotidianis me ve-  
 stris sacrificiis, & precibus Deo impensè commendetis:  
 Peto, inquam, & rogo, interprete ac conciliatrice san-  
 ctâ charitate tuâ, patrum omnium præsertim professo-  
 rum, procurari mihi suffragia, & efficaces intercessio-  
 nes ad communem Dominum, quæ junctæ cum totius  
 militantis Ecclesiæ meritis, cumque precibus omnium  
 Beatorum, qui dum viverent de Societate fuerunt, &  
 cum universæ triumphantis Ecclesiæ conspirantibus in  
 idem votis, impetrent mihi a Deo Domino nostro gra-  
 tiam intelligendi clarè in hac vitâ quid sanctissima ejus  
 Voluntas a me optet, simulque auxilium ac vires, in-  
 tegrè ac perfectè, quidquid innuet ac injunget exe-  
 quendi.

Cocino IV. Kal. Februarii anno 1552.

*Minimus filius, idemque in exilio maximus*

*Franciscus.*

EPI



## EPISTOLA X.

31.

Jan.

Ignatius Lojola Henrico Cardinali & Archiepiscopo  
Eborensi . 1552.

*Maximas pro Eborensi Collegio gratias agit,  
majoresque referre desiderat .*

Mi Domine in Domino nostro .

Summa gratia , & amor æternus Christi Domini nostri  
Celsitudinem tuam salutet , ac visitet sanctissimis  
suis donis , & gratiis spiritalibus .

1. **A**ntequam tuæ Celsitudinis epistolam a Gaspare  
Suarez acceperim , fratrum nostrorum literis  
cognorari sanctum propositum , a Deo Domino nostro  
Celsitudini tuæ suggestum , quod istud Collegium (tan-  
to divini obsequii , publicæ utilitatis , ac præcipuè Ar-  
chiepiscopatus Eborensis , studio erectum atque sanc-  
tum ) traderet Societati nostræ minimæ , quæ tota tua  
est in Domino nostro ; cui gratias ago infinitas pro tam  
singulari erga eam amore , existimatione , & præsidio ,  
quæ tua Celsitudo , domusque tua Regia tam effusâ ,  
tamque perenni beneficentiâ cumulat , ut quidquid ex  
illa boni prodierit , universum meritum jure vobis acce-  
ptum referatur ; & ego quidem a divina & summa bo-  
nitate spero , non exiguum fore proprium illud tuum ,  
quod ex isto Eborensi Collegio ad Celsitudinem tuam  
redundet : ego certe qua oportet , utar diligentia , ut  
e sancta Celsitudinis tuæ sententiâ opus istud strenuè  
pro virili nostra urgeatur .

2. Hujusce Curiaë negotia quod spectat , omnino  
me Gasparis Suarez voluntati devovi , quibuscunque  
rebus seu apud Papam , sive apud quemvis alium meâ  
operâ uti volet : hactenus oblata nulla est occasio , qua  
possem ipsi commodare , quòd rectè petitio sua proce-  
deret ; probè tamen agnoscit , me cùm in hac , tum in



31. alia quavis re, quoad ejus in Domino nostro juvare  
*Jan.* potero, daturum operam eo studio, quod & debeo,  
 1552. & perpetuò in obsequium tuum adhibebo Deo juvante:  
 qui pro sua benignitate uberem suam gratiam omnibus  
 largiatur, ut sanctissimam ejus voluntatem pernosca-  
 mus, eidemque plane pareamus.

Romæ 31. Januarii 1552.

*Celsitudinis tuæ humilis & perpetuus  
 in Domino servus*

*Ignatius.*

### EPISTOLA XI.

9.  
*Apr.*  
 1552.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

*In Sinas plenus spei profecturus Indiæ Præfecturam Barzæo  
 committit. Egregiæ dotes in Japoniam mittendis necessa-  
 riæ: Goanus Rector ab Ignatio deligendus: Diploma-  
 ta Pontificia rite obsignata mittenda: Sociorum  
 in Indiam mittendorum probatio: accurata  
 de omnibus Societatis rebus narratio  
 magnum Xaverio solatium.*

\* Patri meo in Christo P. Ignatio. Romam.

Gratia & charitas Christi Domini nostri adsit nobis  
 auxilio & favore. Amen.

I. **J**ANUARIO mense proximo scripsi ad te de meo ex  
 Japonia in Indiam reditu; de multitudine Ethni-  
 corum ad Christum aggregata, de Cosmi Tur-  
 riani & Joannis Ferdinandi industria, qui à me Aman-  
 gucii relictis Christianos jam factos, quique quotidie  
 fiunt,

\* Sic Turcellinus: verùm Cutillas ait postremam hanc Xaverii  
 ad Ignatium epistolam inscribi: A mi Santo Padre en Christo  
 Padre Ignacio de Loyola.



fiunt, excolunt diligenter. Propediem duo è Societate Amangucium proficiscentur, qui partim Turrianum suâ operâ juvent, partim etiam Japonica linguâ erudiantur: ut cum spectatâ virtute Patres isthinc advenerint in Japonicas Academias ituri, paratos habeant fideles interpretes, quibus utantur. Amangucii jam Dei benignitate Societatis domicilium est constitutum tam procul ab urbe Roma: abest quippe à Goa ampliùs (1) quadragies centena millia passuum, & ducenta; ab urbe Roma leucarum ampliùs sex millia. Post sextum diem, Deo approbante, tres è Societate, in his duo Sacerdotes, ad Sinarum regnum profecturi sumus.

2. Id regnum è regione Japoniæ est longè amplissimum, acribus ingeniis, hominibùsque eruditis vel maximè frequentatum. Nam quantum ego cognoscere potui, florent apud eos studia doctrinarum; atque ut quisque doctissimus est, ita ceteris & dignitate excellit & potestate. Religiones, quibus Japones utuntur, satis constat petitas ab Sinis. Imus spei fiduciaque divinæ pleni, confidimusque, Christi nomen in Sinas aliquando penetraturum. Quæso te, Deum pro his qui in Japonia sunt, quique in Sinas (2) contendunt, precari ne desinas. Ubi in Sinas Deo favente pervenerimus, de nostro adventu, deque spe propagandæ religionis ad te perscribam pluribus.

3. Collegii Goani Rectorem Gasparem Belgam constitui, virum spectatæ virtutis, & cœlestibus donis cumulatum; eundemque Concionatorem egregium, & civitati universæ ac domesticis unicè carum. Omnes qui in his locis versantur tum Patres, tum Fratres, ei parere jussi. Itaque sanè lætus, & domesticarum rerum sollicitudine vacuus proficiscor in Sinas. Si fortè Deus me absente Gasparem evocarit è vita, chirographum apud illum reliqui obsignatum, quo Rector ei à me substitutus declaretur. Id me ut facerem, longinquitas locorum admonuit.

4. Vi-

(1) *Cutillas*: Dista de Goa mas de mil seiscientas y dos leguas; y de Roma mas de seis mil.

(2) *Cutillas meliùs*: contendimus.



9. *Apr.* 1552. 4. Visum etiam est è re Christiana, ante meum in Sinas discessum præcipere, ut proximo anno certus homo è Societate hinc in Lusitaniam, atque inde Romam cum litteris mitteretur; ex quo coràm cognosceretis, quantoperè viros hujus vitæ laboribus & periculis exercitos ac probatos hæc loca desiderent. Nam ejusmodi qui sunt, plurimum in amplificatione divini cultus proficiunt: ceteri, quamvis docti homines, si parum in ærumnis sint vexationibusque spectati, admodum parum. Pro usu, quem Japoniæ habeo, cùm omnibus Japonum saluti consulturis, tum verò nostris ad Japonicas Academias ituris duò planè sunt necessaria: primum, magnus rerum usus, ex ærumnis ac periculis, & interiore sui cognitione comparatus. Nam in Japonia majora frigorum, inopiæ, ceterarùmque rerum incommoda subituri sunt, quàm usquam in Europa: huc accedent insectationes & ludibria indigenarum qui peregrinos vix homines ducunt; maximè verò Bonziorum, qui divinæ Legis præcones acerrimè insectantur: quamquam in hisce ipsis incommodis mirificè gustatur Deus.

5. In Japonicas Academias sacra Missæ supellex non videtur propter longinquitatem & latrocinia itinerum tutò posse perferri. Itaque in tot ærumnis atque vexationibus, cùm & sacrificii solatium & Eucharistiæ præsidium desit, satis apparet, quantã tandem virtute ac robore animi septos esse oporteat eos, quibus Japonica Gymnasia destinantur. Deinde ab ingenio doctrinaque instructos esse convenit; ut Japonum interrogationibus facilè appositèque respondeant. Plurimum autem refert, eos esse Philosophiæ, maximè verò Dialecticæ peritos, ut possint Japonum pertinaciam coarguere ac revincere: nimirum ut ostendant, eos sibi non constare, sed dicere planè contraria.

6. Eisdem non ignaros esse velim Astrologiæ: Japonum enim mirum in modum cognoscere avent de Lunæ ac Solis defectionibus; cur Luna toties crescat, totiesque decrescat: item illa; unde imbres, nix, grando nascantur: qui cometæ, tonitrua, fulgura, & alia ejusmodi existant. Incredibile est, talium rerum explicatio



catio quantum valeat ad conciliandas Japonum voluntates. Hæc de Japonicis rebus ac moribus scire te volui; quoniam ad delectum eorum, qui mittendi sunt, caput est nosse mores ejus loci, quò mittantur.

7. Sæpenumero mihi in mentem venit, ad Japonicum negotium Belgas aut Germanos Patres perappositos judicare; quippe frigoris, laborisque patientes: cùm præsertim in Italia & Hispania, quod vernaculam linguam ignorent, nullum in concionando usum habeant. Etsi enim, ut agere possint cum Sociis, qui in Japonia sunt, Hispanici aut Lusitanici sermonis rudes esse non debent, tamen ejusmodi linguam Indico & Japonico itinere, in quo biennium minimum ponitur, satis addiscent.

8. Unum est, quod sanè scire te velim, primarium aliquem Societatis hic desiderari, instituti nostri peritum imprimis ac studiosum, cui scilicet tecum vetus consuetudo intercesserit. Tali, inquam, viro Goanum hoc domicilium, & tot locis sparsa Societas carere non potest; siquidem ad instituti nostri leges & constitutiones conformanda est. Nec verò necesse est eum esse Concionatorem: tametsi concionandi facultate careat, usui tamen nobis erit & emolumento.

9. Oro te, atque obsecro per Jesum, ut aliquem abs te ipso delectum hujus Collegii Rectorem constituas: ut enim is non abundet doctrinarum scientiâ; tamen quisquis erit tuo judicio delectus, profectò talis erit, qualem hæc domus requirit. Patres quippe ac fratres, qui hisce in locis versantur, mirandum in modum expetunt ab urbe Moderatorem ejusmodi qui tecum diu ac multum fuerit. Is si anniversarias octonum dierum Indulgentias (\*), quibus populus certis diebus Festis ad confessionis & Eucharistiæ Sacramenta in-

(\*) *Cutillas*: Si este consigo traxesse las Indulgencias, para que en cada un año pueda el pueblo ganarlas en los dias de las dos octavas, que tengo pedidas, confessando, y comulgando, será una cosa de suma estimacion para estas gentes, y muy conducente al servicio de Dios, y muy agradable a su Magestad. *Non aqùè videtur accuratum fuisse Jursellini exemplum.*



9. ta invitetur, isthinc secum attulerit; rem populo pergratam fecerit, divinoque cultui peropportunam.

Apr. 1552. 10. Vix dici potest, Jubilæum abs te missum quàm multis saluti fuerit. Ejusmodi autem Indulgentias, Pontificio diplomate comprehensas, auctoritate obsignatas, cum signis pendentibus mitti ad nos velim: neque enim hic desunt, qui hujusmodi Pontificis beneficia, si quid horum desit, in dubium vocent. Nam & Jubilæum, quod misisti, calumniari conati sunt quidam, negantes testatum esse, & Pontificiâ auctoritate firmatum, quòd usitatis signis careret; attamen, Deo approbante, vim & auctoritatem obtinuit suam.

11. E re divina est, Sacerdotes è Societate huc venturos, diligenter priùs probari. Spectatis enim Sacerdotibus hic opus est. Patrem Simonem, & si fortè is absit, Rectorem Collegii Conimbricensis per litteras commonefeci, ne Patres, qui nulli in Lusitania usui sunt, ad nos mittantur: eosdem enim nihilo fore utiliores in India. Magni autem referret, edici abs te, ne quisquam omnino Societatis Sacerdos Indiam peteret priùs quàm peregrinorum ritu Romam profectus à Præposito Generali probatus esset.

12. Per mihi, per inquam, gratum erit (\*), si domestico alicui præcipies, ut me de omnibus Patribus, qui nobiscum Parisiis Romam venerunt, deque ceteris, faciat certiore. Itemque de incrementis Societatis, de Collegiorum, ac Domorum, Professorumque Patrum numero; de viris etiam insignibus in Societatem adscriptis; deque hominibus doctrinâ atque eruditione præstantibus, quibus Societas aucta est, ad nos diligenter copiosèque perscribat. Ejusmodi enim epistola ingentes labores, quos terrâ marique tum apud Japones, tum apud Sinas perferimus, magno utique solatio levabit. Deus nos in cælestium felicitate, & (si ex ejus gloria futurum est) in hac vita conjungat. Id enim si mihi imperetur, obedientiæ vi effici nullo negotio potest. Omnes mihi liquidò affirmant, è Sinarum regno Hierosoly-

(\*) *Cutill.*: De singular gusto, y consuelo serà para mi, Si V. Santa Charidad.



solymam adiri posse. Si ita esse comperero, quot inde  
leucis distet, quot mensium iter sit, faciam ut scias. 9.  
Datae (\*) V. Idus Aprilis Anno M. D. LII. Goá. Apr. 1552.

*Tuus minimus Filius, longissimèque exulans*  
*Franciscus Xaverius.*

EPISTOLA XII.

Ignatius Lojola Civitati Parmensi.

6.  
Maji  
1552.

*Respondet, non sibi deesse voluntatem; sed facultatem,*  
*qua in præsens optimè de Societate meritis*  
*liberalem rependat gratiam.*

Jesus.

Admodum Magnifici Domini mei in Domino  
Jesu Christo.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
salutet vos ac visitet sanctissimis suis donis  
& gratiis spiritalibus.

**P**ergratis mihi literis, & coram a viro Patricio, qui  
vestris me verbis allocutus est, intellexi cum be-  
nevolentiam, bonamque existimationem, qua semper  
hanc Societatem & prosecuti estis, & prosequimini  
(cui minimè concedat nostra, qua jam dudum in ve-  
stram magnificam Urbem afficimur), tum etiam vos  
cupere ut aliquem istuc e Societate mittam, qui quo-  
rundam suscipiat curam piorum locorum, quibus est a  
vobis providendum: pià itaque petitione vestra, & bo-  
no meo desiderio commotus, quòd eis in præsentia  
non possim satisfacere, non mediocri dolore discrucior;  
quippe qui viris ejusmodi sum admodum nunc quidem

LII

ex-

(\*) Cutill.: Goa, y Abril 7. de 1552. Videsis alia in hanc  
epistolam t. 1. p. cxxxii. Prolegom. in S. Xaverium.



6. exhaustus, nonnullis a sua Sanctitate foras emissis, multisque aliis in alia loca destinatis, quibus deesse non possim, ut notum est Rmo Dño de Sancta Flora, qui etiam hac de re mecum egit. Quare cum commune hoc nostrum desiderium explere non possim, restat ut hisce nunc literis meam vobis diligentiam omnem spondeam, ut cum primum major facultas & copia suppetet Sociorum, aliquem Deo Domino nostro juvante Civitati vestræ mittendum curem; qui & divino obsequio, & meo in vos debito congruere videatur. Interea vos rogo, meam ut bonam voluntatem approbetis, quam cum infirmis meis viribus invenietis semper in Christo Jesu paratissimam: cujus summa & infinita bonitas gratiam omnibus donet affluentem ad sanctissimam ejus voluntatem cognoscendam, & perfectè absolvendam.  
Romà 6. Maji 1552.

*Dominationum vestrarum in Dño nostro servus  
Ignatius.*

### EPISTOLA XIII.

1.  
Jun.  
1552.

Ignatius Lojola Dño Card. Silicæo Archiep. Toletano.

*Officiosissimè se insinuat in Archiepiscopi voluntatem, partim studium religionis excusans in eo, quod jam fecisset; partim factum ejus novissimum in beneficii parte numerans: tum duo illi defert gratissima; alterum ne quem in posterum Societas eo reciperet invito, alterum ne eodem non approbante suis privilegiis uteretur. Vide a pag. 122. n. 116.*

Summa gratia & amor Dñi nostri Dominationem vestram Illm̄am & Rm̄am salutet ac visitet sanctissimis suis donis & gratiis spiritalibus.

1. **Q**uanquam insuetus quidem sum ad Illm̄am & Rm̄am Dominationem vestram scribere; insuetum tamen & insolens videri nemini debet pro acceptis



ptis beneficiis habere gratias & agere. Quare cum ego  
 ea noverim, quæ ante hos dies Illīna & Rīna Domi-  
 natio vestra in hanc minimam Societatem contulit; cumque me agnoscam debere summam divinamque bo-  
 nitatem rogare, ut te liberalissima & æterna remunera-  
 tione remuneret: putavi etiam me debere tibi scri-  
 bere, non solūm ut gratias agam, quas equidem in eum  
 rejicio, cujus causā illa nobis collata sunt beneficia;  
 sed ut quoquomodo Dominationi vestræ Rīnæ conte-  
 starer, beneficia, quorum factus sum certior, non col-  
 lata ab ipsa, nec oblata fuisse ingratis & immemori-  
 bus. Quamvis autem ei, quem Deus Dominus noster  
 in tanta, & tam eminenti Ecclesiæ suæ dignitate con-  
 stituit, levissimum sit obsequium, quod ab humili no-  
 stra possit tenuitate præstari; supplex tamen Domina-  
 tionem vestram Rīnam rogo, ut nos omnes agnoscat  
 omnino suos in Domino nostro, nobisque in rem suam  
 pro sua planè utatur voluntate ad majorem gloriam di-  
 vinæ majestatis.

2. Atque in nostræ voluntatis signum, qua Domi-  
 natio vestra Rīna nobis est, semperque erit Domini ac  
 parentis loco, nostris nunc scribo istic agentibus seu  
 Compluti, sive alio istius regni quovis loco, ut nullum  
 in Societatem recipiant Dominatione vestra non appro-  
 bante, maximeque consentiente. Et quanquam Sedes  
 Apostolica multas nobis gratias ad juvandas animas con-  
 cessit; eisdem tamen scribo, ne ipsis utantur, nisi qua-  
 tenus Illīnæ ac Rīnæ Dominationi vestræ utendum esse  
 videbitur, ut ipsa adjuvetur aliquam ferendo particulam  
 magni gravisque oneris, quod Deus Dominus noster  
 Rīnæ Dominationis vestræ humeris imposuit. Ut enim  
 magno Dominationis vestræ Rīnæ animo, & zelo divini  
 obsequii adscribo præterita illa nobiscum facta, nondum  
 videlicet satis cognito vitæ nostræ instituto; sic, tan-  
 dem eodem perspecto, mihi quidem persuadeo, fore te  
 nobis parentem verum, protectorem, ac Dominum, qui  
 nobis præ quovis alio istius regni Antistite opituletur  
 ad meliùs implenda bona divini cultus, & animarum ad-  
 jumenti desideria; quæ omnis boni autor nobis imper-  
 tit:



1. tit : cujus utinam infinita bonitas, & sapientia uberri-  
 Jun. mè Dominationi vestræ Illmæ ac Rmæ se insinuet, cun-  
 1552. ctisque uberem suam gratiam largiatur, qua sanctissi-  
 mam ejus voluntatem semper sentiamus, eandemque per-  
 fectè impleamus.

Romà 1. Jun. 1552.

Dominationis vestræ Rmæ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XIV.

F.  
 Jun.  
 1552.

Ignatius Lojola Joanni Poggio Nuncio Apostolico  
 in Hispania.

*Gratias agit quàm maximas de rebus cum Archiepiscopo  
 Toletano gestis pro Societate.*

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 Dominationem vestram Rmam, & Illmam salutet  
 ac visitet summis suis donis, & gratiis  
 spiritalibus.

**N**ostrorum literis assiduè intelligo, quàm ex animo  
 Rmæ Dominatio vestra in rebus nostris Protecto-  
 ris, Patris, ac Domini earum, & nostri, partes susci-  
 piat. Nec verò admiror, quippe cum tanto ante nove-  
 rim caritatem, qua Rmæ Dominatio vestra minimam  
 hanc Societatem, ut rem omnino suam in Domino no-  
 stro, prosequitur. Rerum cum Domino Archiepiscopo  
 transacta jam compositio videtur multo magis nunc qui-  
 dem expedire, quàm severioribus actis abalienare se ab  
 ipso, uti Rmæ Dominatio vestra existimavit; atque  
 hunc agendi modum complexus, ipse etiam eidem scri-  
 bo.



bo. Verùm si aliud postmodum ad divinum cultum expedire magis videbitur, non dubitamus, quin Rōmā Dominatio vestra pro paterna illa sua voluntate, & solito divini obsequii studio, quidquid hac de re supplicavero, secundet. Christus, Deus ac Dominus noster, pro egenis suis respondeat, remunerans quidquid Rōmā Dominatio vestra ob divinum ejus amorem fecerit, præsentem quidem suarum remuneratione gratiarum, æternam verè felicitatis suæ perfectæ: omnes autem faciat, ut semper sanctissimam ejus sentiant voluntatem, & eandem perfecte exequantur.

Romæ I. Jun. 1552.

Dominationis vestræ Rōmæ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XV.

Ignatius Lojola Francisco Borgiae.

I.  
Jun.  
1552.

*Romæ ab Ignatio gesta, ne purpureus galerus invito Borgiae mandaretur.*

Carissime mi Pater in Jesu Christo.

I. Quàm gratum Deo sit simplex istud ac humile vitæ genus Reverentiæ vestræ, cum multis aliis novimus argumentis, tum hoc præsentem clarissimè, quòd te Deus ponderi cujusdam galeri\* subtraxit, cui nullus est eorum conferendus, quos Antonius Rion consuevit in triclinio conficere. Ante dies fere 10. aut

\* *Ludit Polancus ambigua voce capelo, qua Hispani & Cardinalis galerum, & publicam vocamus objurgationem, qua superior aliquem delinquentem & suggestu in triclinio per administrum objurat.*



1. aut 12. Cardinalis a Cueva e Consistorio egressus Patri  
*Jun.* nostro nuntiavit, Cardinalem dignitatem vestræ decre-  
 1552. tam esse Reverentiæ. Cardinalis item Maffejus, cum  
 ipsum eodem die convenirem, idem mihi dixit lætabun-  
 dus: ac mihi quidem electionem hujusmodi, tanquam  
 nostræ adversam disciplinæ, reprobanti respondit Car-  
 dinalis: ego enimvero cuperem, ut Religio vestra Epis-  
 coporum & Cardinalium esset seminarium. Parens ita-  
 que noster cum Cardinali a Cueva collocutus, & ab  
 eodem tam ipsius, quam aliorum etiam rationibus in-  
 tellectis, constituit Pontificem Maximum convenire; at-  
 que ita demum cum eo egit, ut sua Sanctitas se plane  
 agnoscere prodiderit, præsens Reverentiæ vestræ vi-  
 vendi genus obsequio divino prodesse magis, quam di-  
 gnitatem ejusdem Cardinalem; quin & adjecit, se sibi  
 cupere istam potius Reverentiæ vestræ rationem vitæ,  
 vel nostrum etiam cujusvis, quam illam suam Pontifi-  
 ciam: vobis enim, aiebat, unum est Deo inserviendi  
 studium, non alia cura; nos multis implicamur, quæ  
 aliò mentem avocant. Inter eos itaque convenit, ut  
 purpureus galerus invitæ Reverentiæ vestræ non mittat-  
 tur; nec nisi eum te velle accipere certò sciatur.

2. Videat igitur Reverentia vestra, numquid velit  
 eum. Nolle te quidem certè, Pontifici Parens noster  
 affirmavit; nec nisi galeri hujus metu, rigente brumali  
 tempestate, Romæ te aufugisse: quare sua Sanctitas  
 alios jam cogitat, & circumspectat. Deinde P. noster  
 hac de re Cardinales primarios ipse, ceteros verò, &  
 Oratorem D. Didacum de Mendoza per alios allocutus,  
 Pontificis consilium omnibus patefecit. Et quamvis te  
 huic sacro Collegio nullus non concupierit; multisque  
 rationibus suam quisque sententiam confirmavit; tamen  
 eisdem jam tandem planè persuasum est, id ipsum re-  
 vera non expedire. Unde negotium, consiliis confractis,  
 habetur factum pro infecto, cum tuo sit permis-  
 sum arbitrio. Namque, ita enim credo, voles potius  
 aperto capite incedere, soli obnoxius, ac pluvix, quam  
 galerum hujusmodi, quo tegaris, accipere. Ego verò  
 pro bono nuncio, quod affero, Missam a te peto de  
 Spi-



Spiritu Sancto, qua uberiores mihi gratiam impetres  
eidem serviendi. 1. Jun.

Romæ 1. Junii 1552. 1552.

Parentis nostri Ignatii mandato

*Servus in Christo*

*Joannes a Polanco.*

EPISTOLA XVI.

*Missa  
cum  
præce-  
denti.*

Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.

*De Borgiæ Cardinalatu Cæsaris, & Papæ sententia,  
prudensque Ignatii deliberatio, & repugnantia.*

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini  
nostri adsit nobis semper assiduo favore  
& auxilio.

1. **D**e galero purpureo visum est mihi ad majorem  
Dei gloriam, tibi tanquam ipsimet animæ meæ  
aliquam eorum, quæ apud me sensi, rationem reddere.  
Certior nimirum factus, a Cæsare te Cardinalem fuisse  
designatum, summumque in eandem rem Pontificem  
consentire; hunc continuò habui sensum, mentemque  
pro viribus rem disturbandi. Cum tamen de divina vo-  
luntate certus non essem ob multa, quæ in utramque  
partem occurrebant, argumenta, universis domi Sacer-  
dotibus indixi sacrificia, laicisque triduanas preces, ut  
in omnibus ad majorem Dei gloriam dirigerer. Hoc  
tridui spatio cum rem quibusdam horis ratione animo-  
que lustrarem, aliquas in me sentiebam trepidationes,  
vel non tutam animi fiduciam, libertatemque ad eam  
rem discutiendam, & disturbandam, quasi dicerem:  
quî mihi constat, quid Deus Dominus noster velit fa-  
cere? Cum in re disturbanda plenam in me securitatem  
non agnoscam. Aliis horis cum solitas meas preces  
repe-



1. repeterem, remque Deo Domino nostro commendarem, easdem sentiebam trepidationes discedere. Cumque hoc *Jun.* sæpius certamine agitarer tum eo, quem dixi, timore, *1552.* tum contrario eidem animi sensu; tandem die tertio consuetà in oratione, & mox adhuc, firmam adeo semper in me sensi animi mei sententiam, voluntatemque ita suavem, ac liberam impediendi pro viribus apud Pontificem Summum, & Cardinales, ut nisi hoc agerem, certum mihi esset, ac sit, non bonam me, sed omnino malam Deo Domino nostro de me rationem redditurum.

2. Nihilominus putavi equidem, ac puto, volente Deo, ut omnem ego operam interponam, aliis contraria sentientibus & agentibus, hæc ut tibi dignitas conferatur, nullam esse omnino repugnantiam: fieri enim potest, ut idem divinum numen & me ad hoc quibusdam incitet rationibus, & alios aliis in contrarium; ut Imperatoris tandem voluntas perducatur ad exitum. Deus Dominus noster in omnibus faciat, ut sola semper ejusdem laus, & gloria major elucescat. Credo fore opportunum, ut eis hac de re literis respondeas, quas tibi (1) meo nomine scribit M. Polancus; quo mentem voluntatemque declares, quas Deus Dominus noster tibi dedit, ac dederit: sic autem responsum perscribatur, ut ubicunque oportuerit, ostendi possit: re tota in Deum Dominum nostrum rejectà, ut in omnibus rebus nostris, sanctissimam suam expleat voluntatem ad majorem gloriam & laudem divinæ suæ majestatis.

3. Postremis tuis literis, Martii die 13. datis, rescribuntur aliæ. Utinam Deus Dominus noster expeditionem (2) tuam ad eum perduxerit exitum, quem nos hîc a divina sua majestate speravimus: te autem hæc omnino interius & exterius valentem inveniant, ut equidem cupio, & exiguis indignisque meis precibus Deum Dominum nostrum assidue rogo ad majorem gloriam

(1) Hinc patet, hanc epistolam simul cum præcedenti fuisse missam.

(2) Supra de hæc expeditione p. 123. n. 117., & p. 130. n. 122.



riam divinæ suæ majestatis: atque idem pro infinita sua  
clementia semper nobis adsit continuo favore, & au-  
xilio.

Roma, &c.

1.  
Jun.  
1552.

EPISTOLA XVII.

Ignatius Lojola Elpidio Ugolettio.

19.  
Jul.  
1552.

*Facultates a Sede Apostolica Societati Jesu  
concessas communicat.*

Jesus.

Ignatius de Lojola Præpositus Generalis Societatis Jesu.

Dilecto in Christo Fratri Elpidio de Ugolettis  
Sacerdoti ejusdem Societatis salutem  
in Domino sempiternam.

Nuper felic. mem. Paulus Papa tertius, ut animarum  
saluti, & consolationi spirituali copiosius consu-  
leretur, Societati nostræ facultatem confessiones quo-  
rumlibet utriusque sexus hominum audiendi, & de om-  
nibus peccatis etiam Sedi Apostolicæ præterquam in  
Bulla Cœnæ Domini reservatis, & consequentibus cen-  
suris absolvendi, & vota quælibet, exceptis ultrama-  
rino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli  
de urbe, ac S. Jacobi in Compostella, necnon religio-  
nis, & castitatis, commutandi, per Præpositi Genera-  
lis pro tempore existentis dispensationem concessit.  
Nos igitur, qui ad excolendam Domini vineam pluri-  
mos operarios idoneos accedere in eodem Domino cu-  
pimus, ac de Dei Altissimi in se gratia confidentes,\*

M m m recte

\* Quoniam vox aliqua hîc deesse videbatur, archetypus iterum  
recognitus descriptum exemplum confirmavit: solum cognomen Loyola  
in subscriptione e solito calami ductu conjecturâ desumptum est.



19. recte ad ipsius gloriam, & animarum ædificationem hoc  
*Jul.* munere fungeris, tibi omnem facultatem a Sede Apo-  
 1552. stolica nobis concessam, quæ ad hujus Sacramenti admi-  
 nistrationem, peccatorum absolutionem, votorum com-  
 mutationem pertinet, communicamus, & elargimur.

Datum Romæ in Ædibus Societatis Jesu 14. Kal.  
 Augusti 1552.

*Ignatius Loyola.*

### EPISTOLA XVIII.

29.  
*Jul.*  
 1552. Ignatius Lojola Rodulfo Pio Cardinali Carpensi.

*De inchoando Collegio Germanico, instruendo, & parando.*

Jesus.

Reverendissime & Illustrissime Domine in Christo  
 colendissime.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 Dominationem vestram Rm̄am salutet, ac visitet  
 sanctissimis suis donis & gratiis spiritalibus.

Quamquam Deo juvante Dominationem vestram Rm̄am  
 brevi Romæ futuram spero, ubi coram de Colle-  
 gio Germanico possit agere, quod pro solita sua  
 caritate, animarum zelo, & singulari Dei Domini no-  
 stri afflatu adeo cordi habet; tamen appetente jam O-  
 ctobri mense, quo nonnulli ad inchoandum opus viden-  
 tur adventuri, visum est Rmo Dño Augustano, ut suo  
 meoque nomine has Rm̄æ Dominationi vestræ scribe-  
 rem, eidemque mitterem hoc \*\* informationis exemplum  
 Collegii erigendi, qua perspecta, simulque addito vel  
 dempto quovis pro Rm̄æ Dominationis vestræ sapien-  
 tia,

\*\* *Ital.* Questa copia della minuta dell' erectione del Col-  
 legio.



tia, nobisque certioribus factis, eadem statim expedienda curetur. Interea Dominatio vestra R<sup>m</sup>a, quæ tam pii operis desiderio fervet, operam dabit, ut Præsulibus aliisque Germaniæ Principibus Brevia Pontificia impetrentur, quin & scribendum curabit adjecta idonea rei declaratione advocandis copiis, & adducendis.

2. Quia verò nonnulli forsitan Germani, eorum quos dixi virorum procuratores, ut res hîc præparentur, literis suos edocebunt, ac breve tempus in aliquorum adventum intercedit; meâ quidem sententiâ expediret, ut interim R<sup>m</sup>i Protectores inciperent summam aliquam in opus conferre, quorum exemplo alii etiam moverentur; viatici quin etiam aliquid nonnullis constitueretur, parareturque domus, ac necessaria supellex, si minus tota, certe aliqua. R<sup>m</sup>is aliis Protectoribus eadem scribo. Cum verò provisum erit aliquid, & comparatum; si gratum id fuerit R<sup>m</sup>æ Dominationi vestræ, ut quidem est R<sup>m</sup>o Augustano, geminatis exemplis scribam ipse nostris Coloniae, Viennæque degentibus, ut diligenter alumnos aliquot, novo Collegio idoneos, ad R<sup>m</sup>as Dominationes vestras mandare satagant; ac spero in Octobrem proximum eo nobis mittendas numero, qui huic tam sancto, atque necessario operi inchoando sufficiat: quod Deus Dominus noster R<sup>m</sup>æ Dominationi vestræ, Collegarumque suorum R<sup>m</sup>orum consiliis dirigat in commune, ac proprium Germaniæ bonum, suæque Divinæ Majestatis gloriam; omnibusque affluentem gratiam benignè conferat ad sanctissimam ejus voluntatem & clare intelligendam, & rite exequendam.

Româ 29. Julii 1552.

Dominationis vestræ R<sup>m</sup>æ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*



## EPISTOLA XIX.

30.  
Jul.  
1552.

Ignatius Lojola Claudio Jajo .

*Germanici Collegii forma , disciplina , utilitas .*

Jesus .

Dilecto in Christo Fratri D. Claudio Jajo Theologo  
Soc. Jesu . Viennæ Austriæ .

Jesus .

Gratia , & pax Dñi nostri Jesu Christi in nobis semper  
conservetur , & augeatur . Amen .

Charissime in Christo frater , non semel te intellexisse arbitror de Collegio Germanico in hac alma urbe erigendo , ubi selecti juvenes , qui indolem bonam , & christianæ pietatis , ac virtutis spem ostendant , instituendi in moribus , & omni genere doctrinæ excolendi suscipiantur , & sub Pontificis summi , & quinque Cardinalium protectione , ac nostræ Societatis curâ , sic in Collegio vivant , ut nihil eis desit de rebus necessariis ad habitationem , victum , vestitum , librorum suppellectilem , ac alia demum omnia , quæ Scholasticorum commoditatibus usui esse solent ; & ubi non pœnitendum in litteris , & virtutibus progressum fecerint , cum beneficiis Ecclesiasticis in Germaniam remittantur ; imo , & qui præclarioribus ornamentis virtutum fuerint conspicui , ad Episcopatus , & eminentissimas quasque dignitates promoveantur . His enim , qui salutem Germaniæ sitiunt , hoc efficacissimum , ac fere unicum inter humana remedium visum est , ad collabentem in ea , ac utinam non collapsam , multis in locis religionem fulciendam , & instaurandam , ut quam plurimi in eam fideles , ac strenui viri ejusdem nationis , & linguæ mitti possint , qui , cum studiosæ vitæ exemplo ,



plo, & sanà doctrinà polleant, prædicatione verbi Dei, 30.  
 ac lectione, vel colloquiis certè privatis ad catholicæ, Jul.  
 & orthodoxæ fidei lumen cernendum suorum oculos 1552.  
 disponere, (velo ignorantia, & vitiorum discripto)  
 valeant.

2. Qui ergo venerint Romam ad hoc Collegium in gratiam Germaniæ erectum, (ut videre est ex transumpto vel exemplari literarum Apostolicarum cum his misso) præceptores habebunt, qui in latinis, græcis, & hebraicis literis eos diligenter erudiant; eos verò, qui humaniorum literarum studio perfuncti sunt, in logicis, physicis, & aliis liberalibus Disciplinis, ac demum in Theologicis, tum lectione, tum exercitatione assidua excolere curent. Habebunt etiam in moribus, & aliis domesticis rebus, qui eorum curam diligentem habeant, & Collegium regant, eosque de Societate nostra Jesu viros doctos juxtà ac pios, & ferè ex Germania, vel vicinis regionibus. Ut ergo hoc anno præclarum hoc opus inchoetur, visum est Illm̃is, & Rm̃is Cardinalibus, qui hujus Collegii protectionem susceperunt, & præcipue Illm̃o, & Rm̃o D. Cardinali Augustano, qui miro charitatis fervore hoc negotium agit, ut tibi simul cum D. Canisio, & aliis fratribus charissimis de Societate nostra, qui Viennæ sunt, scriberetur, ut primo quoque tempore aliquos Germanicæ nationis & linguæ juvenes Romam mitteretis, ut per totum mensem Octobris (si fieri potest), vel certè Novembris huc perveniant. Nos itaque quos debito animarum zelo hoc oneris libentissimè subire oportebat, tibi seriò injungimus, ut eam diligentiam, & studium in quærendis, & mittendis juvenibus adhibeas, quam in re maximi momenti ad Dei gloriam, & proximorum salutem adhiberes. Vale in Christo Jesu.

Romæ tertio Calendas Augusti 1552.

*Vester in Domino nostro*

*Ignatius.*

EPI-



9.  
Aug.  
1552.

Ignatius Lojola Ludovico Gonzalez.

*Regii Confessarii officium modestè recusandum, sed demissè suscipiendum, & obedienter ad Dei voluntatem exercendum.*

Gratia, & caritas Christi Domini nostri adsit tibi semper auxilio & favore. Amen.

**L**iteras tuas 25. Aprilis datas accepi, quibus intelligo, difficile tibi esse Regis conscientiae curam gerere, ob tuam, ut ais, immaturam aetatem, exiguum rerum gerendarum usum, & eorum molestiam negotiorum, quae solent Regis Confessario incumbere, necnon & alia: ac me quidem & tuus de te sensus aedificat, & quod adeo id muneris recusas, quod in mundo tot alii concupiscant; nihilominus judico in Domino nostro, debere te Regis mandatis hac in re obtemperare; qua debemus, ut & in alia quavis, oculos in eum intendere, qui & videt, & facillimè potest ea supplere omnia, quae tuo tibi iudicio deesse videantur.

2. Et Regis quidem conscientiae cura videri tibi gravis non debet, cum adeo bona sit, & sancta; nec ea tibi est excusatio, qua jure alius uti posset, cui confiterentur Principes, dubiis longè gravioribus irretiti. Quod verò ais, a Rege consuevisse Confessarios ad altiores honoris, ac dignitatis gradus promoveri, ne timeas, id ab eo contra tuam, Societatisque voluntatem factum iri, cum ejusdem parens sit universae; ac licet in curia versari crux tibi sit, eam patienter tolle; si quidem rebus ab obedientia constitutis, dubitare non potes, quin ex voluntate Dei constitutae gerantur: id quod & ipse appetis, & debemus omnes in quovis loco, & occupatione nostra conquirere. Rebus aliis non respondeo; hanc verò unam a Divina bonitate postulo, ut omnibus divinam suam det gratiam, qua ejusdem semper voluntatem sentiamus, & absolutè compleamus.

Romà 9. Augusti 1552.



## EPISTOLA XXI.

26.  
Aug.  
1552.

Ignatius Lojola Duci Najaræ.

*Singulare grati animi, contemptus mundi, & religiosæ  
abdicationis exemplum.*Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
te salutet ac visitet summis suis donis  
& gratiis spiritualibus.

**L**itteras tuas XXI. Februarii scriptas, heri mihi red-  
didit D. Joannes Guevara. Nulla autem excusa-  
tione utar, quamobrem ad te hactenus non scripserim.  
Est enim illa maximè idonea, & per se manifesta,  
quod, quicumque sæculo renuntiant, ut Christum per-  
fectius sequantur, omnia etiam quæ sæculi sunt, de-  
bent repudiare atque oblivisci, ut cœlestia studiosius  
meditari, atque ardentius possint concupiscere. Itaque  
ista urbanitatis officia fugiunt, ut quæ Dei sunt, im-  
pensius curent. Sed si ulla mihi se se obtulisset occa-  
sio, tibi ad Dei gloriam inserviendi, eam verò liben-  
tissimè arripuissem: & pro mea tenuitate etiam osten-  
dissem, quàm me tibi, ac universæ familiæ tuæ obstri-  
ctum putem: quotque, & quàm magnis majorum tuo-  
rum beneficiis me devinctum intelligam. Quod unum  
mihi reliquum fuit, ut te Deo commendarem, præstati  
sanè hactenus, & præstabo diligenter, Deumque pre-  
cabor, ut te tuaque omnia quàm felicissimè conservet,  
& singulari quadam gratiæ suæ protectione ad ipsius  
nominis gloriam tueatur, ac gubernet.

2. Quod ad matrimonium, de quo ad me scribis,  
attinet, illud certè ejusmodi est, & a mea minima pro-  
fessione usque adeo alienum; ut ab eo, quasi meis in-  
stitutis omnino contrario, ac vehementer repugnanti,  
mihi temperandum statuam. Possum enim tibi omni as-  
severatione affirmare, totos decem, undecimve annos  
ad nullum ex Lojolea familia ne litteram quidem me  
scripsisse. Persuasi enim mihi, cum sæculo universo  
nun-



26. nuntium remisi, illam quoque propter Christum me se-  
*Aug.* mel reliquisse; neque debere me eam repetere, aut ullo  
 1552. modo propriam existimare, quam tam certo, tamque  
 considerato iudicio reliqui. Sed si tu tamen ad majorem  
 Dei gloriam fore iudicas, ut duæ istæ familiæ, & Do-  
 minatus in unum coeant, & jungantur; & ad eum  
 finem, quem omnes semper ante oculos debemus habe-  
 re, in rem utriusque futurum putas; Ozaetæ Dominum,  
 & Martinum Garziam Lojolam, consanguineos \* meos,  
 & ad te evocandos censeo, & cum iis ipsis transigen-  
 dum. Ab iis enim duobus res illius quidem partis pen-  
 det, quod Joanni Guevaræ copiosius exposui. Itaque  
 rem totam sapientiori tuo iudicio relinquo: Deumque  
 ob infinitam ejus, summamque bonitatem precor, ut  
 nobis voluntatis suæ lumen semper ostendat, eamque  
 perfectè adimplendi abundantem gratiam tribuat.

Romæ 26. Augusti 1552.

### EPISTOLA XXII.

25.  
*Oct.* Ignatius Lojcla Priori, & Vexillifero Montis Politiani.  
 1552. *Respondet, quàm studiosè percipiat & ipsis, & Rmo  
 D. Cardinali S. Crucis gratificari.*

*Foris.* Jesus.

Admodum Magnificis Dñis meis in Christo colendissimis  
 Dñis Priori, & Vexillifero Civitatis Montis Politiani.

*Intus.* Jesus.

Amplissimi Domini mei in Christo colendissimi.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 sanctissimis suis donis, gratisque spiritalibus  
 salutet ac visitet Dominationes vestras.

**A**ccepi Dominationum vestrarum literas quinti decimi  
 hujus mensis, quibus intellexi pium studium, san-  
 ctumque desiderium vestrum, quo velle vos vestro in  
 oppi-

\* *Hispanicè: mis Sobrinos. Latinis Ribadeneira verbis ex His-  
 panico ejusdem textu paucula interserui.*



oppido infirmis uti Societatis nostræ instrumentis, si- 25.  
gnificatis; quo mihi sanè accrevit, quod antea maxi- Oct.  
mum erat, vobis satisfaciendi, gratificandique deside- 1552.  
rium; eo vel maximè, quòd Rñus D. Cardinalis S. Cru-  
cis ardentius mecum egit, ut pars illorum media, qui  
Eugubium mittebantur, in Montem Politianum segrega-  
retur. Cumque idem a me intellexisset, separationem  
illam fieri non posse, quin pars utraque nimium debi-  
litaretur, contendit denuo, ut totidem istuc amanda-  
rem, eà proposità caritate, & christianà sanè benevo-  
lentià, quà patriam suam Dominatio sua Rñna com-  
plectitur. Ego quidem, fateor, non potui in hos præ-  
sertim novem, vel decem menses certum aliquid ipsi  
polliceri, quòd antea jam Tridentino\* receperam Car-  
dinali, cui proinde vere proximo solvenda est fides.  
Accedit, quod variis hęc anno Collegiis constitutis,  
magnà nunc premimur Sociorum penurià; sed pro tem-  
pore gratissimum mihi erit, quoad potero vobis ac Rñno  
D. Cardinali morem gerere ad Dei Domini nostri glo-  
riam: cujus divina, & summa bonitas abundantem om-  
nibus concedat gratiam ad sanctissimam ejus volunta-  
tem & semper cognoscendam, & rite exequendam.

Romà 25. Octobris 1552.

Amplitudinis vestræ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

N n n

E P I-

\* Bollandiani t. 7. Jul. p. 494. n. 447. ex hujus ad Ignatium  
epistola, qua petebat fundandum a se Collegium, hanc exhibent la-  
tinam inscriptionem: Reverendo in Christo Patri nobis sincerè  
dilecto Domino Magistro Ignatio de Loyola, Præposito Congre-  
gationis sanctissimi nominis Jesu. Romæ. Cujus hac est latina  
clausula: Data in Civitate nostra Tridentina die XIX. Aprilis  
MDLII. Subscriptio item: Christophorus miseratione Divina S. R.  
E. Cardinalis Episcopus ac princeps Tridentinus & Brixinensis.  
Exordium: Reverende in Christo Pater nobis dilecte.



## EPISTOLA XXIII.

2.  
Nov.  
1552.

Ignatii Lojolæ mandato P. Polancus Didaco Lainez.

*Objectis quibusdam ipsius defectionibus, mandat ut diligentius se circumspecto, qua pœna se putet plectendum, rescribat.*

Jesus.

1. **H**as literas, mi Pater, accipias, non ut filii Re-  
verentiæ vestræ, qualis sum ut Polancus, qui  
omnem tibi observantiam debeam & reverentiam; sed  
ut organi, vel calami Patris nostri, qui mihi jussit, ut  
ea tibi perscriberem, quæ in ipsis continentur. Et qui-  
dem abhinc diebus non paucis facere volebat, ut ipsas  
perscriberem; verùm cognitâ quartanæ invaletudine,  
distulit in præsens, cum benè ab ipsa vales.

2. Non parùm in te commotus est Parens noster;  
eoque magis, quo carissimorum sibi errata sunt amanti  
graviora; quoque feruntur ægrius ab eis admissa, de  
quibus minùs timebantur. Quare mihi de quibusdam  
præcepit conscribendis, ut ipse resipiscas, & in eis  
cesses, vel ea potiùs corrigas: id quod in voluntate  
usque adeo bona, quam Deus Dominus noster tibi de-  
dit, promptum erit, ac facile. Primò itaque Prior SS. Tri-  
nitatis Parenti nostro scribit cum Magistro Andrea, ur-  
getque vehementer, ut ipsi Magistrum Hieronymum O-  
tellum loco illius mittat; & ut verbis ipsius utar, *mul-  
tis de causis*, inquit, *ad rem esset idoneus noster in Chri-  
sto carissimus filius D. Hieronymus Otellus, uti mihi dixit  
R. P. Lainez*. Erratum sanè non leve; licet non du-  
bitetur de mente quàm optimâ. Non enim debebas  
Priori suadere, nec consiliare, ut a Parente nostro id  
peteret, quod ipsi non esset concessurus: potuisses sal-  
tem Patris animum ante vestigare, quàm illud Priori  
consilium dares. Quamvis autem ego quidem vellem  
& hujus, & consequentis argumenti rationes adhibere;  
Paren-



Parenti nostro visæ non sunt adhibendæ: cum sufficere  
debeat proprii iudicii submissio, quam debes Superioris  
iudicio in rebus ad ipsius officium pertinentibus. Præ-  
sertim cum explicatè præceptum sit, nemo ut ullas in-  
ducat personas, ampliores—in primis, ad Parenti no-  
stro scribendum, ut aliquem ipsis mittat, quin antea  
consilium ab ipso capiat; cum inde multa suboriantur  
incommoda, quando neganda res est.

3. Hujus causa fuit secundus error *ultra* proprium  
erratum; quod nempe a Superiore tuo dissensisti in  
P. Frusio a Venetiis amovendo. Nec dissensisti solùm,  
sed ipsi etiam Frusio, P. Salmeroni, & P. Olave si-  
gnificasti, te verò dissentire, vel tibi hoc non probari,  
quod Parens noster præscribebat. Quàm autem expe-  
diat, ut is, ad cuius speciem ac formam juniores de-  
beant se fingere, se non probare significet, quod Su-  
periori suo probatur, ipse videris. Cum inde Magister  
Andreas quasdam hac de re causas conscripsisset, quæ  
ipsi, ac Patribus Salmeroni, & Olave idoneæ videban-  
tur, ut Venetiis Romam evocaretur; non item pla-  
cuerunt puncta quædam a te in responsione adhibita;  
de malo scilicet dispersionis per vicos, &c. quo sem-  
per ostendis animi tui sensum a Superioris sententia  
dissentientem. Ac licet monere, vel de re aliqua ad  
Præpositum suum pro tempore referre, bonum sit; ab  
eo tamen dissentire, non item.

4. Tertius error, qui Parenti nostro non parum  
displicuit, in eo fuit, quod Gasparem huc misisti, quin  
de rebus suis quidquam præmoneres, solùm dicens,  
quoniam Patavini sunt, &c. Non enim expediebat Re-  
verentiam suam id celare, cum virum ejusmodi domum  
ipsi mittebas. Id omne dissimulationum, & integumen-  
torum genus cum Superiore, cujus est habità rerum  
juvare cognitione, non autem nocere, tam huic Socie-  
tati, quam religioni cuivis incommodissimum arbitra-  
tur. Nec verò ipsi placuit, quod illum ad te cum mi-  
sisset, istic a te dimittendum, ejusdem huc revertendi  
voluntatem probasti; dicens, videri tibi miseratione  
dignum, & id genus alia, quæ Parens noster decreta



2. vocat; nec gaudet hoc scribendi genere decretorio, quo  
 Nov. in Superiorem uti neminem deceat. Quin & mihi di-  
 1552. xit, ut tibi scribam, officii tui rationem ut habeas;  
 quo si fungeris ut debes, haud parum feceris. Ast o-  
 nus tibi non assumas, tuum ei de officio suo consilium  
 exhibendi: non enim vult illud a te nisi rogeris; ac  
 nunc quidem minus, quàm ante obitum munus: in hu-  
 jus namque administratione non magnam tibi apud ip-  
 sum existimationem de regendi ratione comparasti.

5. Hos errores coram Deo Domino nostro consi-  
 dera, nonnullà per triduum precatatione in hanc rem  
 adhibità; ac tunc demum scribe, numne tibi errores  
 seu errata videantur: ac pœnam etiam eligas, quam  
 mereri tibi videaris; scriptamque transmittas. Ceterum  
 antequam habueris Parentis nostri responsum, nullam  
 tibi propterea irroges. His aliud non addo, nisi me  
 Deum Dominum nostrum rogare, ut omnibus, & has  
 præsertim scribenti uti egentiori, multam suam lucem  
 affundat, qua se agnoscant & deprimant, gratiamque  
 ad dignoscendam in omnibus, & adimplendam sanctis-  
 simam ejus voluntatem.

Romà 2. Novembris 1552.

*Jussu nostri Patris Magistri Ignatii  
 Joannes a Polanco.*

*Eximium ad has literas responsum, ac summæ demissionis  
 exemplum dedimus p. 127. n. 119.*

Dec.  
 1552.

## EPISTOLA XXIV.

Ignatius Lojola Societati in Europa.

*De bono patientiæ in egestate, & ærumnis.*

**M**ultorum accepimus literis, Reverentias vestras à  
 Domino Deo sanctæ paupertatis penurià exer-  
 ceri, hoc est, penurià rei domesticæ, ad valetudinem  
 corporis, & opportunitatem necessariæ. Non est in  
 mini-



minimis beneficii hujus ponenda gratia, quod dignetur Dec.  
 vos divina bonitas ejus doni experientiâ & sapore, cu- 1552.  
 jus perpetuis teneri nos desiderii oportet, si fingi vo-  
 lumus ad Christi Jesu Ducis nostri similitudinem, pro  
 nostri Ordinis sanctissima institutione. Equidem locum  
 in Societate nullum scio, in quem boni hujus non per-  
 tingat communicatio, & sensus, tametsi largius par-  
 tici- ut est locorum diversa conditio. At si cum no-  
 stris in India fratribus componamur, nostrum hoc pati  
 durius non censebo, cum inter graves corporis, animi-  
 que molestias, multis locis pane, vinoque careant; ori-  
 za, & aqua, levisque alimenti similibus victitent; mi-  
 serè vestiantur, magnisque homo exterior arctetur in-  
 commodis: nostris quoque nos versari in Indiis statua-  
 mus, quæ sanè nusquam desunt; ita si nobis penes quem  
 ea cura, is necessaria minimè prospiciet, licebit ad sanctam  
 mendicitationem confugere, quæ suppetias feret egestati.  
 At si volet nos Deus inopiâ urgeri, ægrotis saltem ni-  
 hil desit: possunt enim qui valent, facilius patientiam  
 durare, quam nobis concedat qui tam amabilem docen-  
 do, & ferendo fecit D. Christus Jesus, sui nos amore,  
 rerum omnium loco, & sui sapore obsequii perfundens.

Roma mense Decembri 1552.

EPISTOLA XXV.

Ignatius Lojola Mariæ Frassonæ a Gesso.

7.  
 Jan.  
 1553.

*Optimè de Societate meritæ gratiarum ejus meritorumque  
 omnium communionem rependit; eidemque alios suæ  
 fructus beneficentiæ refert.*

Jesus.

Domina mea in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 adsit nobis semper auxilio & favore.

Quis antea respondere distuli, Dominationi vestræ  
 litteris, IV. Id. Decemb. ad me datis, hoc ego  
 tempore respondebo; gratias nimirum Domina-  
 tioni



7. tioni vestræ redditurus ob eximiam charitatem illam ac  
 Jan. religionis studium, quoad opus Domini Ferrariæ pro-  
 1553. movendum, subsidia confert; & ad ea etiam, præsto  
 se futuram indicat, pia in posterum sedulitate conferen-  
 da. Equidem nullus dubito, quin pro sua bonitate Do-  
 minus Deus parte aliqua dignaturus sit Dominationem  
 vestram boni totius, quod ex instituto opere percipie-  
 tur. Ex quo nobis *etiam*, caritatis ejusmodi singularis-  
 que beneficentiæ causa, officii ratio visa est postu-  
 lare, ut in gratiarum omnium ac meritorum commu-  
 nionem Societatis universæ, toto terrarum orbe pro-  
 pagatæ, Dominationem vestram advocaremus: quod iis  
 pro more nostro præstatur, quibus præcipua quadam  
 beneficiorum obligatione constringimur. Ut adeo quid-  
 quid agant seu perpetiantur nostri, ubicumque tandem  
 gentium existant; id omne partim in Dominationem  
 vestram derivetur; quoad boni operis meritum certa  
 possit a nobis ac peculiari communicatione traduci.  
 Atque hujus quidem rei mittam istuc, si Dominationi  
 vestræ placuerit, diploma rite confectum.

Jam vero quod ad locum attinet, & ad agendi ra-  
 tionem, quam in alia comparanda sede tenere oportet,  
 Socios per epistolam moneo, ex sententia se ge-  
 rant Dominationis vestræ: nec nisi ad ejus nutum Fer-  
 raria discedet usquam Magister Joannes Pelletarius, a-  
 liusve quicumque, qui in mea sit potestate, præter u-  
 num scilicet Dominum Baptistam; qui cum Commissa-  
 rii (ut vocant) munus obeat, ad alia interdum, ne-  
 cesse habebit, invisenda Collegia, se transferre: qui  
 tamen ipse Ferrariæ, in qua sedem figet, plerumque  
 commorabitur. Quod superest; valde me Dominationis  
 vestræ precationibus commendo, Deumque vehementer  
 oro; uti suam omnibus gratiam largiatur, qua sanctam  
 ipsius voluntatem probe cognoscant, eamque semper  
 exequantur.

Roma VII. Id. Januar. an. 1553.

*Dominationis vestræ totus in Domino nostro  
 Ignatius.*

EPI.



## EPISTOLA XXVI.

Lusitaniæ Rex Ignatio Lojolæ .

30.  
Jan.  
1553.

*Annuir Ignatio Simonis amotionem : Societatem laudat ,  
ejusque causa semper se quidvis libenter  
facturum pollicetur .*

P. M. Ignati .

**A**ccepi tuas epistolas mihi jucundissimas , quibus intellexi e re divina esse quod me rogasti de M. Simone amovendo ; id quod ea ratione factum est , quam tibi P. Ludovicus Gonzalez declarabit : ac tibi certissimum esse debet , me semper quidvis hujus Societatis causâ libenter facturum ; quod videam uberes fructus per eam hisce regnis , ac ditionibus meis a Domino nostro referri . Et quoniam de hac mea voluntate , aliisque rebus universis Societatem hîc spectantibus , coram tecum aget P. Ludovicus Gonzalez , huic ego planè defero , atque indubiam fidem habebis ipse in omnibus , quæ tibi a me dixerit .

Ulyssipone 30. Januarii 1553.

*De hac epistola dictum p. 134. n. 127.*

## EPISTOLA XXVII.

Ignatius Lojola Didaco Mironi .

I.  
Febr.  
1553.

*Laudatâ humili dignitatum recusatione , ostendit e Societatis instituto & humilium . & summatum confessiones excipendas ; pluris autem habenda spiritalia subsidia in Principes & summa capita collata : objectaque diluit ambitionis pericula . Postremo in virtute sanctæ obedientiæ præcipit absolutam h. c. etiam re in Principes observantiam .*

Summa gratia , & amor æternus Dei Domini nostri adsit nobis semper auxilio & favore .

I. **A**liis atque aliis literis istinc allatis intellexi , te , Patremque Ludovicum Gonzalez , a Rege piâ contentione rogatos , ut confitentem ipsum audiretis ,  
requis-



1. renuisse ambos, causantes non quod animabus vestris  
 Febr. periculum timeatis a conscientia Regis dirigenda, quem  
 1553. agnoscitis sanctum, ut scribitis; sed quia vobis hæc di-  
 gnitas non minus videtur repudianda, quàm istius Re-  
 gni Episcopatum, & Cardinalatum acceptio; & ideo  
 P. Ludovicus Gonzalez Principis etiam conscientiam cu-  
 ram (ut videtur) dimisit. Ego quidem certè, inspectis  
 rationibus vestris ab humilitate petitis, & securitate,  
 quæ solet in humili potius inveniri loco, quàm in su-  
 blimi, non possum non vestram probare intentionem,  
 eademque incitari: sed omnibus perpensis, vos eo pro-  
 posito aberrasse certum mihi est, majus Domini nostri  
 obsequium, & gloriam spectanti. Nam primò vitæ no-  
 stræ ratio instituta est administrandis Confessionis & Eu-  
 charistiæ Sacramentis cujusvis status, & ætatis homi-  
 nibus; & ut imis, ita & summis nos devincit eadem  
 proximos solandi atque juvandi ratio. Cum autem So-  
 cietas universa jam inde a suis primordiis & origine  
 Majestati suæ præ omnibus Christianis Principibus adeo  
 sit unicè obstricta, sive collata spectentur beneficia,  
 sive amor & caritas ita eximia, quæ præ ceteris re-  
 bus nostros rapere debet animos; non equidem scio,  
 quænam possit esse sufficiens excusatio, quo minus Re-  
 gis Majestatibus inserviendum curetur in opere nostræ  
 professionis usque adeo proprio, & quasi legitimo, quo  
 spiritale solamen, ac voluptatem se capturas esse præ-  
 seferunt.

2. Jam verò si universale bonum, maximumque Dei  
 obsequium spectetur; majus hinc sequetur, ut ego qui-  
 dem in Domino putare possum: nam bonum capitis  
 omnia corporis membra participant, universique sub-  
 diti bonum Principis: ut spiritale subsidium, in hos col-  
 latum, pluris sit faciendum, quàm quod in alios con-  
 ferretur. Et ut aliud ex alio intelligatis, videte, num  
 excipiendo Regis confessiones ingens haberetur fructus  
 expedito Æthiopici Patriarchatus negotio; cum tanti  
 sit momenti salus, non multarum, inquam, animarum,  
 sed multarum urbium, & provinciarum. Ac videte,  
 (sive quis vestrum Regis confessiones excipiat, sive se-  
 cus)



cus) ne hujus ipsi negotii refricare memoriam negligatis; mihi etiam de ipso, quoties Romam scribetis, quæ gesseritis, referatis.

I.  
Febr.  
1553.

3. Sed ut ad causas revertamur, ob quas refugere munus istud non debeatis; ajo, ne vestram quidem securitatem videri mihi momenti. Si enim ex nostro vitæ instituto unam securitatem nostram quæreremus, cui etiam bonum postponeremus, ut longe a periculis abessemus; non deberemus profectò cum proximis vivere, atque versari. Atqui ex vocatione nostra cum omnibus versamur; imò ex S. Paulo\*: *Omnia omnibus fieri debemus, ut omnes Christo lucrificiamus*. Si autem rectà puraque intentione procedamus\*\*, *quærendo non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi*, ipse Dominus pro infinita sua bonitate nos tuebitur. Ac nisi potenti sua manu hanc professionem a se tuendam susciperet, nobis satis non esset pericula ejusmodi declinare, quo minus in eisdem, & gravioribus aliis prolaberemur. Quod verò dicere nonnulli possent, honores vos, ac dignitates cupere, veritatis vi, & operum evidentiâ statim corruet, cum vos viderint humilitatem, pro Christo Domino nostro susceptam, retinere. Quare non est propter sermones, & opinionem vulgi prætermittendum, quod potest Dei Domini nostri, & Regiarum Majestatum obsequium, bonumque publicum magno opere commendare.

4. Denique ut ipse tandem meæ in hac re conscientiæ satisfaciam, in virtute sanctæ obedientiæ tibi, & P. Ludovico Gonzalez præcipio, ut quod Regiæ Majestates hac de re mandaverint, alteruter vestrum exequatur; nisi vero si quis alius de Societate vobis videretur placere pariter Principibus ad id muneris. Divinæ autem bonitati confidite, quidquid hac obedientiæ viâ obvenerit, longe fore utilius. Regi demum id ipsum significabitis, quod vobis præcipitur, ostensâ eisdem epistola, si eam videre voluerit; vel certè argumento ipsius enarrato. Et quoniam aliis de rebus fusè

O o o

scri-

\* 1. Cor. c. 9. a v. 19.

\*\* 1. Cor. c. 10. v. 23., & c. 13. v. 5.; Philip. c. 2. v. 21.



1. scribet M. Polancus, unum addo, ut me orationibus  
*Febr.* vestris, & sacrificiis magnoperè juvetis; Deumque ro-  
 1553. go Dominum nostrum, ut uberem suam gratiam omni-  
 bus largiatur ad sanctissimam ejus voluntatem semper  
 cognoscendam, & absolutè exequendam.

Roma 1. Februarii 1553.

*Vester in Domino nostro*

*Ignatius.*

18.

EPISTOLA XXVIII.

*Mart.*

1553.

Ignatius Lojola Procuratoribus Morbeniensium.

*Laudato pio Morbeniensium desiderio, se illis excusat, quia  
 Societatis institutum non patitur perpetuam alicubi  
 animarum curam suscipere.*

*Foris.*

Jesus.

Admodum Magnificis Dominis meis in Domino nostro  
 Jesu Christo Dominis Procuratoribus  
 Morbeniensium.

*Intus.*

Jesus.

Amplissimi Domini mei in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 salutet vos, ac visitet sanctissimis suis donis  
 & gratiis spiritalibus.

**L**iteris vestris intellexi voluntatem, sanctumque deside-  
 rium vestrum in Pastorem retinendi nostrum D. An-  
 dream Galvanellum, quòd illius operam censeatis Ma-  
 gnifico vestro Communi spiritale auxilium aliquod alla-  
 turam. Deo equidem Domino nostro, bonique omnis  
 auctori gratias ago, quòd ejusdem D. Andreae operà  
 in



in aliquod vestrum spiritale solatium benignè uti volue- 18.  
 rit, & quamdiu istic erit, Divinam ejus rogo bonita- *Mart.*  
 tem, ut favere pergat: namque instrumenti fragilitas 1553.  
 nullum suæ omnipotentiae obtendit impedimentum: ut  
 autem idem in legitimum, perpetuumque Pastorem,  
 vel etiam in longissimum tempus alicubi consistat, res  
 est ejusmodi, ut eam, si perspecta vobis essent So-  
 cietatis nostræ instituta, minimè peteretis; illa etenim  
 nulli e Societate nostra permittunt munus id genus as-  
 sumere, nec ullum beneficium, aut rem propriam ha-  
 bere. Immò verò vos obsecro, ut quinam sit idoneus  
 vestro Communi Pastor, circumspiciatis, quò valeat  
 D. Andreas in aliquod e nostris Collegium se recipere,  
 seu aliò juxta instituti, & religionis nostræ ratio-  
 nem se conferre: atque adeo Rîmus Cardinalis Compo-  
 stellanus, aliique sacri Quæsitores, quibus illa sunt no-  
 ta, non nisi ad menses aliquot, dum Pastor conquiritur,  
 nostrum aliquem postularunt. Deus Dominus no-  
 ster dignetur eum vobis concedere, qui & auxilio vo-  
 bis sit ad perseverandum, & in via Divini sui obsequii  
 progrediendum; eisdemque contra omnes Catholicæ  
 sanctæque fidei oppugnationes, utpote suis militibus  
 strenuis ac fortibus, majora in dies tribuat spiritualium  
 suorum munerum incrementa, felixque præmium æter-  
 næ beatitudinis. Amen.

Romà 18. Martii 1553.

Dominationum vestrarum

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

*De hac epistola vide supra n. 136. p. 143.*



26.  
Mart.  
1553.

## EPISTOLA XXIX.

Ignatius Lojola Conimbricensi Collegio.

*De Obedientiæ virtute.*

*Eis, quæ pag. 144. n. 136. in hanc epistolam præmonui, addenda nunc puto, quæ sequuntur. Primum quid de illa S. Franciscus Borgia censuerit his verbis (de mediis conservandi spiritum Societatis, . . . n. 9.): Quod ad virtutem obedientiæ pertinet (ad quam Societas omnia refert, tanquam ad scopum & vexillum, quæque ejus est turris præcipua) etsi nonnulla fortasse dicenda erant, tamen quia B. P. noster Epistolam de ea scripsit, non utilem modo, sed omni dignam admiratione, quippe cui nec quicquam addi possit, nec detrahi; ad eam vos remitto, cum hac voce Evangelii: *Hoc fac, & vives.* Hoc enim in Domino nobis polliceri possumus fore, ut si quæ in illa continentur, præstiterimus, perfectæ obedientiæ filii nominemur, & simus. Hæc ille. Alterum de sacræ Scripturæ & Patrum testimoniis, quibus hæc illustratur epistola, sintne ab Ignatio latinè descripta, an reddita solùm hispanicè. Nam versio italica, Societatis regulis annexa, quæ cetera Hispano textui constanter inhæret, sacræ illa testimonia latinè tantum exhibet; quæ contra in vulgatis editionibus Hispanis hispanicè solùm circumferuntur, uti etiam habentur in pervetusto Codice, quo præter Exercitia spiritualia, & plerasque Societatis regulas, hæc etiam epistola continetur.*

Summa gratia, & amor æternus Jesu Christi Domini nostri salutet vos, ac visitet cum suis summis donis, & gratiis spiritalibus.

I. **M**agnam animi voluptatem capio (Fratres \* in Christo charissimi) cum affertur ad me, quàm acri studio, conatuque ad summam virtutis, ac divini obse-

\* *Hispanicè*: En el Señor nuestro Jesu Christo.



obsequii perfectionem enitamini, beneficio illius, qui 26.  
vos, ut ad hoc vitæ institutum vocavit, sic in eodem *Mart.*  
pro sua clementia retinet, dirigitque ad beatum finem, 1553.  
ad quem, qui sunt ab ipso electi, perveniunt.

2. Atque ego sane cùm vos omnibus donis, orna-  
mentisque spiritualibus perfectos, tùm verò (quod aliàs  
ex me cognovistis) in primis Obedientiæ virtute præ-  
stantissimos esse (1) cupio: idque non solum ob (2) exi-  
mia quædam, ac singularia ejus bona, quæ tot, tam-  
que illustribus sacrarum literarum testimoniis, atque  
exemplis, in Testamento æquè novo, ac veteri com-  
probantur, sed etiam quòd (ut est apud Sanctum Gre-  
gorium): (3) *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæ-  
teras menti inserit, insertasque custodit.* Hæc dum florue-  
rit, florebunt proculdubio reliquæ, edentque fructus,  
quales & ego in animis vestris exopto, & suo jure  
postulat is, qui humanum genus neglectæ Obedientiæ  
scelere afflictum, ac perditum, salutari ipsemet Obe-  
dientiâ reparavit: (4) *Factus obediens usque ad mortem,  
mortem autem crucis.*

3. Ab aliis Religiosis Ordinibus facilius patiamur  
superari nos jejuniis, vigiliis, & cætera victus cultus-  
que asperitate, quam suo quique ritu, ac disciplina  
sanctè suscipiunt: vera (5) quidem, ac perfecta Obe-  
dientia, abdicationeque voluntatis, atque judicii ma-  
xime velim, (Fratres charissimi) esse conspicuos, qui-  
cunque in hac Societate Deo Domino nostro deser-  
viunt; ejusdemque Societatis veram, germanamque so-  
bolem hac quasi notâ distingui, qui nunquam intuean-  
tur

(1) *Hisp.*: En la obediencia mas particularmente que en nin-  
guna otra me da deseo Dios nuestro Señor de veros señalar.

(2) *Hisp.*: por el singular bien, que en ella ay, que tanto...  
se encarece.

(3) *Greg. lib. 35. Moral. c. 10.*

(4) *Ad Philip. 2.*

(5) *Hisp.*: pero en la puridad, y perfeccion de la obediencia  
con la resignacion verdadera de *nuestras* (*ms. vuestras*) volunta-  
des, y abnegacion de *nuestros* (*ms. vuestros*) juicios: *versio ital.*:  
*propria voluntà, proprii iudizij: consulto forsan communem utri-  
que lectioni vocem usurpavit.*



26. tur personam ipsam, cui obediunt, sed in ea Chri-  
*Mart.* stum Dominum, cujus causa obediunt. Siquidem Supe-  
 1553. riori, nec si (1) prudentiâ, bonitate, cæterisque quibus-  
 libet divinis donis ornatus, instructusque sit, propte-  
 rea obtemperandum est; sed ob id solum quod vices  
 gerat Dei, ejusdemque autoritate fungatur, qui di-  
 cit (2): *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me  
 spernit.* Nec contra, sive consilio, aut prudentia mi-  
 nus valeat, quidquam idcirco de Obedientia remitten-  
 dum, quatenus ille Superior est; quando illius perso-  
 nam refert, cujus sapientia falli non potest: supple-  
 bitque ipse, quidquid ministro defuerit; sive probitate,  
 aliisque ornamentis careat: siquidem disertis verbis  
 Christus Dominus cum dixisset: (3) *Super Cathedram  
 Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei;* protinus addidit:  
*Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, & facite;  
 secundum opera verò eorum nolite facere.*

4. Quocirca sedulò vos in eam curam, atque exer-  
 citationem incumbere cupio, ut Christum Dominum in  
 Superiore quolibet agnoscere studeatis; in eoque Di-  
 vinæ Majestati reverentiam, atque obedientiam, sum-  
 ma cum religione præstare. Quod vobis minus mirum  
 videbitur, si animadverteritis, præceptum esse ab Apo-  
 stolo, ut Superioribus etiam sæcularibus, ethnicisque  
 pareamus, ut Christo, ex quo omnis potestas benè in-  
 stituta descendit: sic enim scribit ille ad Ephesios (4):  
*Servi (5) obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore  
 in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum  
 servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi  
 facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate  
 servientes, sicut Domino, & non hominibus.* Atque hinc  
 existimare poteritis ipsi, cum se Religiosus quispiam  
 regen-

(1) *Hisp.*: muy prudente, .. muy bueno, .. muy calificado.

(2) *Luc.* 10. 16.

(3) *Matth.* 23. v. 2. & 3.

(4) *Ephes.* c. 6. v. 5. 6. & 7.

(5) *Hisp.*: los que soys siervos obedeced. Sic Paulus *ib.*: Ser-  
 vi obedite ... *Quare in Latinis & Ital. editionibus immeritò vide-  
 tur prætermissa vox Servi.*



regendum, ac (1) moderandum alteri tradidit, non solum ut Superiori, sed etiam nominatim, ut Christi partes agenti; quo illum loco apud animum suum habere, utrùm ut hominem, an ut Christi Vicarium debeat in-  
 26.  
 Mart.  
 1553.

5. Jam verò illud etiam vobis clare compertum esse, ac in animis vestris penitus insidere vehementer cupio, infirmam (2), & valde imperfectam esse primam illam Obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exequitur; nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem Superioris suam efficiat, & cum ea ita concordet, ut non solum in effectu exequutio appareat, verum etiam in affectu consensio, sicque idem velit uterque, idem nolit. Atque propterea in sacris literis legimus (3): *Melior est Obedientia quàm Victimæ*; siquidem (ut Sanctus Gregorius docet) (4) *per victimas aliena caro, per Obedientiam verò voluntas propria mactatur*: quæ quidem pars animi, quoniam est adeo præstans, sic fit, ut ejus oblatio Domino ac Creatori nostro per Obedientiam facta, magni sit æstimanda.

6. Quanto in errore, quàmque periculoso versantur, non dico solum ii, qui in iis quæ ad carnem, & sanguinem pertinent; sed illi etiam, qui in rebus aliòquin admodum sanctis, ac spiritualibus, ut jejuniis, precationibus, aliisve quibusvis pietatis operibus, fas putant à præscripto Superioris, ac voluntate discedere! Audiant quod sapienter adnotat Cassianus in Collocatione Danielis Abbatis: (5) *Unum sane, inquit, atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, senioris violare mandatum; tamque dispendiosum est pro somno, quàm pro vigilia, Monasterii statuta convellere. Tantum denique est*  
 Abba-

(1) *Hisp.*: para que le endereze, y gobierne en su divino servicio.

(2) *Hisp.*: que es muy baxo el primer grado de obediencia.

(3) 1. Reg. 5. 22.

(4) *Lib.* 35. *Moral.* c. 10.

(5) *Coll.* 4. c. 20.



26. *Abbatis transire præceptum, ut legas, quantum, si contem-  
Mart. nas, ut dormias. Sancta fuit actio Marthæ, sancta  
1553. contemplatio Magdalenæ, sancta pœnitentia, & lacry-  
mæ, (1) quibus pedes Christi Domini rigabantur; sed  
hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethania, quam  
vocem domum Obedientiæ interpretantur, ut ea re,  
quemadmodum ait Sanctus Bernardus (2) nobis signifi-  
care voluisse Dominus videatur, nec stultitiam bonæ actio-  
nis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymam Pœni-  
tentis, extra Bethaniam illi accepta (3) esse potuisse.*

7. Quocirca voluntates vestras (Fratres carissimi) quoad ejus fieri potest, omnino deponite: libertatem Conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in ejus ministris liberè tradite, ac dicite. Nolite exiguum vestri liberi arbitrii fructum putare, quod liceat vobis illud, à quo id accepistis, eidem per Obedientiam plenè reddere. Quod cum facitis, non modo non perditis ipsum, verum etiam augetis, atque perficitis; quippe qui vestras omnes voluntates certissima rectitudinis regula moderamini voluntate divina, quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præsidet.

8. Itaque diligentè illud etiam cavendum est, ne Superioris ullo unquam tempore voluntatem (quam ducere pro divina debetis) ad vestram detorquere nitamini: id enim esset non vestram divinæ conformare, sed divinam vestræ voluntatis normâ regere velle, ejusdem Divinæ Sapientiæ ordinem invertentes. Sane quàm magnus est error, & quidem eorum, quos amor sui obcœcavit, obedientes existimare sese, cum Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint. Sanctum Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite: (4) *Quisquis, inquit, vel apertè vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater injungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de Obedientia blandiatur; neque enim in ea re ipse Præposito, sed*  
magis

(1) *Luc. 10. 38. Joan. 12. 1.*

(2) *Serm. ad mil. templ. c. 13.*

(3) *Hisp. : agradables; ms. apacibles: eodem sensu.*

(4) *In Serm. de trib. Ord. Eccl. ad Patr. in Capit.*



*magis ei Prælati obedit.* Quæ cum ita sint, quisquis ad 26.  
 Obedientiæ virtutem velit pervenire, oportet ad hunc *Mart.*  
 secundum Obedientiæ gradum ascendat, ut Superioris 1553.  
 non solum jussa exequatur, sed etiam ejus voluntatem,  
 suam faciat; seu potius suam exuat, ut divinam à Su-  
 periore expositam induat.

9. Qui verò se totum penitus immolare vult Deo,  
 præter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius  
 & summus est gradus Obedientiæ, offerat necesse est;  
 ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat,  
 quod Superior; ejusque judicio subjiciat suum, quoad  
 potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ  
 vis animi, tametsi non eâ, quâ voluntas pollet, liber-  
 tate prædita est; atque ipsâ naturâ fertur ejus assensus  
 in id, quod sibi veri speciem præbet: tamen multis in  
 rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia  
 vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc  
 potius, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cum  
 incidunt, debet, quisquis Obedientiam profitetur, in-  
 clinare sese in sententiam Superioris. Etenim cum Obe-  
 dientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo sine  
 ulla prorsus imminutione Conditori suo, ac Domino per  
 manus ministrorum in charitatis igne immolatur: cum-  
 que sit eadem renunciatio quædam integra, per quam  
 omni suo jure spontè decedit religiosus, ut divinæ pro-  
 videntia Superioris nutu gubernandum ac possidendum  
 ultro sese addicat, ac mancipet; negari non potest,  
 quin Obedientia comprehendat, non solum executio-  
 nem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut liben-  
 tè faciat; sed etiam judicium, ut quæcumque Supe-  
 rior mandat, ac sentit, eadem inferiori & recta & ve-  
 ra esse videantur, quatenus, ut dixi, vi sua potest vo-  
 luntas intelligentiam flectere.

10. Utinam hanc mentis, ac judicii Obedientiam  
 ità & intelligerent homines, & exercerent, ut grata  
 Deo est, ac omnibus, qui in Religione vivunt, neces-  
 saria.\* Nam ut in corporibus, globisque cœlestibus,

P p p

ut

\* *Hisp.*: Digo ser necesaria, porque como en los cuerpos celestes,...



26. ut alius alium afficiat, moveatque, requiritur, ut cer-  
*Mart.* ta quadam convenientiâ & ordine inferior Orbis supe-  
 1553. riori subjiciatur: sic in hominibus, cum alter alterius  
 autoritate movetur (quod per Obedientiam fit) oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, subserviat, & obsecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur, & influat. Hæc autem obtemperandi, obsecundandique ratio constare non potest, nisi voluntas, ac judicium inferioris cum Superioris voluntate, ac judicio congruat.

11. Jam vero si finis, & causa Obedientiæ spectatur, quemadmodum voluntas, ita & judicium, in eo quod nobis convenit, decipi potest: ergo sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate (1) conjungitur, sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, (2) sacræ literæ monent. Atque in rebus etiam humanis censent Sapientes, verè prudentis esse, sua ipsius prudentia minime fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices esse non possunt. Quod si in rebus nostris, alterius etiam non Superioris judicium atque consilium nostro anteponendum est; quanto magis ipsius Superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti moderandos tradidimus? In causis verò personisque spiritualibus eo major etiam cautio proculdubio est necessaria, quo gravius est spiritalis viæ periculum, cum sine frenis consilii, discretionisve in ea decurritur. Quæ de re commodè Cassianus in Collatione Abbatis Mosi ait: (3) *Nullò alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis consiliis Seniorum, in suo judicio persuaserit, ac definitione, doctrinave confidere.*

12. Præterea nisi hæc Obedientia judicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet. Naturâ enim ita  
 com-

(1) *Hisp.*: Se tiene por expediente conformarla . . .

(2) *Prov.* 3. 5.

(3) *Collat.* 2. c. 11.



comparatum est, ut animi nostri vires, quæ appetitivæ 26.  
dicuntur, sequantur apprehensivas, & nisi adhibitâ vi, Mart.  
voluntas, iudicio repugnante, diù obtemperare non po- 1553.  
terit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obe-  
diat per communem illam apprehensionem, quâ cense-  
tur, perperam etiam præcipienti parendum esse, certè  
id stabile, ac fixum esse non potest; atque ita perse-  
verantia deficit, vel saltem Obedientiæ perfectio, quæ  
in (1) promptè, & alacritèr obediendo consistit: non  
enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, ubi est ani-  
morum, sententiarumque dissensio. Perit etiam exe-  
quendi studium & celeritas, (2) cum ambigitur, expe-  
diat necne facere, quod jubemur: perit celebris illa  
Obedientiæ cœcæ simplicitas, cum apud nos ipsos in  
quæstionem vocamus, rectè ne præcipiatur, an secus;  
atque etiam fortassè damnamus Superiorem, quod ea  
mandet, quæ nobis non ita jucunda sunt: perit humi-  
litas, quoniam, etsi ex altera parte paremus, ex al-  
tera tamen nosmetipsos Superiori præferimus: perit in  
rebus arduis fortitudo: perit deniquè (ut summam  
complectar) virtutis hujus vis omnis, ac dignitas. Suc-  
cedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tardi-  
tas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, alia-  
que (3) vitia non sane levia, quibus Obedientiæ præ-  
tium ac meritum prorsus extinguitur. Itaque S. Bernar-  
dus de iis, qui graviter ferunt imperata minus sibi sua-  
via, sic ait: (4) *Hæc si molestè cœperis sustinere, si di-  
judicare Prælatum, si murmurare in corde; etiamsi exte-  
rius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientiæ,  
sed velamentum malitiæ.* Quod si pax, & tranquillitas  
animi quæritur, certe hac non fruitur is, qui habet  
intra sese causam perturbationis, atque tumultus, dis-  
sensionem videlicet iudicii proprii ab Obedientiæ lege.

P p p 2

13. At-

(1) *Hisp.*: con amor, y alegría: que quien va contra lo que siente, no puede durante tal repugnancia obedecer amorosa y alegremente.

(2) *Hisp.*: que no la avrà tal, donde no ay juicio lleno, antes duda...

(3) *Hisp.*: y otras imperfecciones, e inconvenientes grandes.

(4) *Serm.* 3. de Circuncis.



26. 13. Atque idcirco, (1) tuendæ concordiaë causâ (quæ *Mart.* Societatis omnis est vinculum) tantopere hortatur Apostolus, (2) ut *idipsum omnes sapiant, & dicant*; nimirum ut consentientibus & judiciis, & voluntatibus, mutuo foveantur, & conserventur. Jam si unum eundemque oportet esse membrorum sensum, & capitis, facile cernitur utrum sit æquius caput membris, an membra capiti consentire. Atque ex his quidem, quæ dicta sunt hactenus, satis apparet, Obedientia judicii quàm sit necessaria.

14. Quàm verò sit eadem ipsa perfecta, grataque Domino, inde primùm ostenditur, quod per eam præstantissima pars hominis, ac pretiosissima Domino consecratur: deinde quod obediens ita fit holocaustum vivum, gratumque Majestati Divinæ, cum nihil suimet omninò retineat: postremò quod magna est hujus certaminis difficultas, frangit enim sese Dei causa obediens ipsemet, resistitque naturali propensione, quæ omnibus hominibus insita est ad suam complectendam, sequendamque sententiam. Ex his igitur rebus efficitur, ut Obedientia tametsi propriè voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam, ac paratam; nihilominus ad intelligentiam quoque ipsam, ut diximus, pertinere debet, eamque inducere ad sentiendum idipsum, quod sentit Superior: sic enim fiet, ut omnibus connixi viribus & voluntatis & intelligentiæ ad executionem celerem, atque integram veniamus.

15. Videor mihi vos (Fratres charissimi) audire dicentes, de virtutis quidem hujusce (3) necessitate jam non ambigere; illud vero, ut cognoscatis vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire possitis.

(1) *Hisp.*: Y por esto, y por la union, con que el ser de toda Congregacion se sustenta, exorta S. Pablo... porque con la union de los juicios, y voluntades se conservan: *Latinus & Italus interpres legisse videtur* conserven.

(2) *Rom.* 15. 5. & 1. *Cor.* 1. 10. 2. *Cor.* 13. 15. *Phil.* 2. 2. & 3. 16.

(3) *Hisp.*: que veis lo que importa esta virtud.



sitis. Huic ego quæstioni cum Sancto Leone ita res- 26.  
pondeo (1): *Nihil arduum est humilibus, & nihil asperum Mart.*  
*mitibus*: modo non desit vobis humilitas, non desit man- 1553.  
suetudo, non (2) utique deerit Deo benignitas ad vos  
adjuvandos, ut quæ sibi promisistis, ea præstare possi-  
tis animo non solum æquo, sed etiam libenti.

16. Præterea vobis tria nominatim propono, quæ  
ad (3) Obedientiam judicii comparandam multum juvant.  
Primum illud est, ut quemadmodum initio dixi, non in-  
tueamini in persona Superioris hominem obnoxium er-  
roribus, atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est  
Sapientia summa, bonitas immensa, caritas infinita, qui  
nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere: & quo-  
niam conscii vobismet estis, vos Dei amore jugum O-  
bedientiæ subiisse, ut in Superioris voluntate sequen-  
da, voluntatem divinam certius sequeremini, nolite du-  
bitare, (4) quin pergat fidelissima Domini caritas, eo-  
rum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gu-  
bernare, & rectis itineribus ducere. Itaque Superioris  
vocem, ac jussa, non secus ac Christi vocem excipite;  
siquidem Apostolus etiam in hanc sententiam scribens  
ad Colossenses, cum ad obtemperandum Præpositis sub-  
ditos adhortatur, ait: (5) *Quodcumque facitis, ex ani-  
mo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes  
quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis: Domino  
Christo servite.* Sanctus verò Bernardus, (6) *Sive Deus,  
inquit, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tra-  
diderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reveren-  
tiâ deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit ho-  
mo.* Atque ita si non hominem externis oculis, sed  
Deum

(1) *Leo Pap. serm. 5. de Epiph.*

(2) *Hisp.:* Que Dios nuestro Señor darà gracia, con que su-  
ave, y amorosamente le mantengais siempre la oblation, que le  
habeis hecho.

(3) *Hisp.:* para la perfeccion de la obediencia del entendi-  
miento mucho os ayudarán.

(4) *Hisp.:* que no faltará su fidelissima caridad de endere-  
zaros por el medio, que os ha dado.

(5) *Cap. 3. 23. 24.*

(6) *In tract. de præcep. & dispens. fere initio c. 12.*



26. Deum inspexeritis internis, haud sane grave fuerit vo-  
*Mart.* bis, voluntates vestras, atque judicia conformare ad  
 1553. eam regulam actionum vestrarum, quam ipsimet ele-  
 gistis.

17. Altera est ratio, ut quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiosè nitamini, improbare autem nequaquam; atque ad eam ipsam rem proderit benè animatos, affectosque esse ad id omne quod ipse jusserit: sic enim fiet, non solum ut sine molestia, sed etiam ut cum voluptate, lætitiæque pareatis: nam (ut est apud Sanctum Leonem): (1) *Non durâ ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur.*

18. Postrema subjiciendi iudicii ratio est, cùm facilior tutiorque, tùm etiam apud Sanctos Patres in more posita, ut statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem; atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis, sic ad ea facienda quæcunque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine ulla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham (2), filium Isaac immolare jussus: sic novi testamenti tempore aliqui è Sanctis Patribus iis, quos commemorat Cassianus, (3) ut Joannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat utilene esset, an inutile; ut cum aridum lignum tanto, ac tam diuturno labore per annum irrigavit: nec utrum fieri posset necne, ut cum conatus est tam ex animo ingens saxum solus dimovere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent: quod Obedientiæ genus ipsis interdum miraculis divinitus comprobatum videmus: nam (ut alios taceam, quos ipsi non ignoratis) (4) Maurus S. Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est: alius quidam

à Su-

(1) *Ser. 4. de jejuniis septim. mens.*

(2) *Gen. 22.*

(3) *Lib. 4. c. 24. & 26.*

(4) *Gregor. 2. Dial. 6. 7. In Vit. PP. lib. de Obed.*



à Superiore jussus, lænam ad se ducere, illam cepit, 26.  
 atque perduxit. Est igitur hæc (1) ratio subjiciendi pro- Mart.  
 prii judicii, ac sine ulla quæstione sancienti, & col- 1553.  
 laudandi apud se quodcumque Superior jusserit, non  
 solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ Obedien-  
 tiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum pec-  
 cato manifesto conjunctæ non sunt.

19. Nec tamen idcirco vetamini, siquid forte vobis  
 occurrat a Superioris sententia diversum, idque vobis  
 (consulto suppliciter Domino) exponendum videatur,  
 quo minus id ad Superiorem referre possitis: verum (2)  
 in hac re, nè vos amor vestri, judiciumque decipiat,  
 illa cautio est adhibenda, ut animo sitis, & ante, &  
 post relationem æquissimo, non solum quod pertinet  
 ad eam rem, de qua agitur, vel suscipiendam, vel de-  
 ponendam, sed ad approbandum, rectiusque putandum  
 quidquid Superiori placuerit.

20. Atque hæc, quæ de Obedientia diximus, æquè  
 privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus,  
 Præpositisque localibus erga Provinciales; Provinciali-  
 bus erga Generalem; Generali denique erga illum, quem  
 Deus ipsi præfecit, nempe suum in terris Vicarium,  
 observanda sunt; sic, ut & Ordinum perfecta distin-  
 ctio, ac proinde pax retineatur, & caritas, sine qua  
 nec Societatis nostræ, nec alterius cujuslibet Sodalitii  
 posset recta gubernatio conservari. Nimirum hoc mo-  
 do Providentia illa Divina (3) disponit omnia suaviter;  
 infima per media, media per summa, suos ad fines  
 cuncta perducens. Hinc illa videlicet in Angelis unius  
 hierarchiæ ad aliam subordinata series: hinc & cœle-  
 stium, & aliorum omnium, quæ cientur corporum cer-  
 tis locis, ac sedibus inter sese apta connexio, quorum  
 conversiones ac motus ab uno moventè supremo gra-  
 datim

(1) *Hisp.*: Este modo de sujetar el proprio juicio con presu-  
 poner, que lo que se manda es santo, y conforme a la divina  
 voluntad, sin mas inquirir, es usado de los santos,...

(2) *Hisp.*: pero si en esto quereis proceder sin sospecha del  
 amor, y juicio proprio, deveis estar en una indiferencia antes,  
 y despues...

(3) *Sup.* 8.



26.<sup>1</sup> datim omnes usque ad infimos ritè proveniunt. Idem in  
*Mart.* terris cùm in omni (1) Civitate bonis instituta legibus,  
 1553 tùm verò in hierarchia Ecclesiastica cernitur, cujus  
 omnia membra & functiones ab uno generali Christi  
 Domini Nostri Vicario derivantur; & quo accuratius hæc  
 dispositio, & collocatio custoditur, eo rector est gu-  
 bernatio, & melior; contra verò hujus Ordinis negli-  
 gentiâ, quàm gravia incommoda multis hominum So-  
 cietatibus importentur, nemo non videt. Atque idcirco  
 in hac, cujus mihi nonnullam procurationem, ac curam  
 Dominus tradidit, tam diligentèr hanc virtutem exer-  
 ceri, vigereque percipio, quasi in ea Societatis nostræ  
 bonum, ac salus universa consistat.

21. Quæ cum ita sint, ut unde exorta est, ibidem  
 terminetur epistola, vos ego per Christum Dominum  
 Nostrum obtestor, qui sese nobis non modo præcepto-  
 rem, sed etiam exemplar præbuit Obedientiæ, ut ad  
 eam virtutem toto pectore incumbatis, & gloriosæ vi-  
 ctoriæ appetentes, atque avidi, vosmetipsos superare,  
 id est, excelsiorem & difficiliorem animi partem, vo-  
 luntatem dico, atque judicium expugnare, & subjicere  
 studeatis, quo Dei Domini Nostri solida, veraque co-  
 gnitio, atque amor vestros ad se animos penitus tra-  
 hat, totoque vitæ hujus, & quasi peregrinationis cur-  
 riculo usque eo gubernet ac regat, dum vos demum,  
 aliosque complures, vestrâ operâ, exemploque adjutos,  
 ad ultimum & felicissimum finem, nimirum ad beatitu-  
 dinem sempiternam perducatur. Vestris ad Deum preci-  
 bus me valde commendo.

Româ VII. Kal. Aprilis MDLIII.

*Omnium servus in Domino*

*Ignatius.*

EPI-

(1) *Hisp.*: En todas las Policías seculares bien ordenadas; y en la Hierarchia Ecclesiastica, que se reduce a un universal Vicario de Christo nuestro Señor.



## EPISTOLA XXX.

Thomas Villanova Ignatio Lojolæ.

9.  
Sept.  
1552.

*Rogat, ut insignem Rectorem Collegio suo Valentino præficiat.*

In hac Civitate Valentina fundatum est Collegium istius sancti Ordinis ac Societatis Jesu, in quo resederunt Rectores, primus Magister Miron, ac postea Reverendus Domenech, multo cum fructu, qui in hac Civitate, ac Regno, eorum exemplo, ac doctrina relatus fuit. Et quoniam ambos mutavit loco obedientiâ, gratissimum mihi accideret, videre, quò illud Collegium proficeret, ferretque speratum ab eo fructum, ut unus ex supradictis Patribus ad illud rediret. Quod si fieri non possit, suppeditetur ei alia insignis & religiosa persona, quæ eidem præsit: vestra Paternitas Reverendissima dispiciet id, quod est conveniens; & prospiciet, prout viderit, ad bonum Religionis & servitium Domini nostri magis expedire. Vitam Paternitatis vestræ in suo servitio custodiat ille ac conservet.

Valentiâ IX. Septembris MDLII.

*Vestræ Reverendissimæ Paternitati  
deditissimus*

*F. Thomas Archiepiscopus Valentinus.*

*De hac, & sequenti epistola videsis n. 137. a p. 144.: quibus ex Vita Saloniana S. Antistitis apud Bollandianos Sept. t. 5. p. 932. n. 474. hæc addo: Dum Patres Societatis Jesu Valentiam advenerunt, perspiciens, quantæ utilitati essent futuri animabus, juxta institutum suum concionando, administrando Sacramenta, & explicando Doctrinam Christianam, adjuvit ad foundationem Collegii S. Pauli insigni bis mille & quingentarum librarum stipe, ac multis deinde aliis, fovitque eos in omnibus occasionibus.*



16.  
Apr.  
1553.

## EPISTOLA XXXI.

Ignatius Lojola Thomæ Villanovæ .

*Officiosâ liberalitate annuit piæ Sancti Archiepiscopi petitioni,  
de qua in præcedenti epistola .*

*Foris .*

Jesus .

Rñno Domino meo in Christo Domino nostro  
Archiepiscopo Valentino .

*Intus .*

Jesus .

Rñne mi Domine in Domino nostro .

Summa gratia , & amor æternus Christi Domini nostri  
Dominationem vestram Rñnam salutet , ac visitet  
sanctissimis suis donis , & gratiis  
spiritualibus .

**L**iteræ tuæ nona die Septembris datæ , tardissimè  
( ut & qui easdem afferebat ) Romam pervenere ;  
quibus magnum studium intellexi , & vigilantiam , quam  
tibi dat Deus Dominus noster omnia gregis , a divina  
ejus sapientia tibi commissi , spiritalia subsidia conqui-  
rendi ; quòd ea etiam tenuissima , quæ in isto fuerint  
nostro Collegio , tam singulari tua cura , & providen-  
tia juves . Scio equidem quanta sit obligatio non isti  
solùm Collegio , cui adeo auxiliaris , & faveas , ve-  
rùm etiam universæ nostræ minimæ Societati ( in quam  
favor redundat ) , ut tibi in Domino nostro serviamus .  
Quare vehementer sanè desidero , officio tam debito ,  
quoad potero , non deesse ; & opportunitatem mihi  
cum Deus Dominus noster obtulerit , si Magister Hiero-  
nymus Domenech adire non poterit , curabo , ut Magi-  
ster Miron , dummodo e Lusitania deduci possit , istuc  
se conferat ; vel alius aliquis : id quod Doctori Araoz  
Socie-



Societatis nostræ in istis Regnis Provinciali commen- 16.  
 dabo. Jam vero me demissè cum Societate universa Apr.  
 tuis sanctis precibus commendo, & juxta humilem no- 1553.  
 stram professionem me tibi addico in Domino nostro:  
 cujus divinam, summamque bonitatem solùm rogabo,  
 ut abundantem suam gratiam omnibus largiatur, qua  
 sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus, & in-  
 tegrè adimpleamus.

Romà 16. Aprilis 1553.

Dominationis vestræ Rñæ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XXXII.

Ignatius Lojola Superioribus Soc. J.

14.  
 Jun.  
 1553.

*Quotidianas omnibus preces pro Lusitaniæ Rege,  
 universaque ejus familia præscribit.*

Præpositis Provincialibus, Rectoribus Collegiorum, &  
 Præpositis Domorum Societatis Jesu ubicunque  
 terrarum ac gentium sint, salutem in  
 Domino nostro sempiternam.

Quamquam Deo procreatori, ac Domino nostro, ut  
 fonti perenni, & capiti omnium bonorum, si quid  
 tale est in minima nostra Societate, gloria & laus  
 debetur; tamen erga cooperatores, & præcipuos ad-  
 ministros divinæ ejus providentiæ, æquum est, nos pro  
 virium nostrarum imbecillitate iis uti officiis, quæ grati  
 animi sancta jura postulant, ad gloriam divinæ maje-  
 statis. Quamobrem considerantibus nobis, quantum in-  
 ter omnes Christianos Principes Serenissimo Regi Lusi-  
 taniæ (Joanni III.) cuncta nostra Societas debeat, cu-  
 jus favore & admodum liberali auxilio fundari cœpta

Qq q 2

est,



14. est, totque in partes propagata, magno cum proventu  
*Jun.* divini obsequii, & spirituali adjutorio animarum; vi-  
 1553. sum est in Domino excitare vos per obedientiam ad  
 id, ad quod certum habeo complures vestrum suamet  
 sponte per charitatem moveri.

Igitur omnes, quicumque præestis, quique sub obe-  
 dientia vestra degunt, tum Sacerdotes in Sacrificiis,  
 tum ceteri in præcationibus suis quotidie, & nomina-  
 tim de Rege eodem, simulque de Regina, & liberis  
 eorum coram Deo memineritis. Siquidem quidquid gra-  
 tiæ Summa Bonitas iis largietur, in Regna ipsorum re-  
 dicit: in quibus præcipuo quodam modo optandum est  
 nobis, ut laudetur, & glorificetur Sanctissimum ejus  
 Nomen. Atque hoc pacto nos parte aliqua defungemur  
 officii, quod plurimum debemus: reliquum vero exple-  
 bit is, qui nostras omnes infirmitates supplet. Cui pla-  
 ceat opem nobis impertiri, ut sentiamus semper ejus  
 sanctissimam voluntatem, & integre exequamur.

Romæ XIV. Junii Anno Salutis MDLIII.

### EPISTOLA XXXIII.

Ignatius Lojola Francisco Xaverio.

*Sub*  
 28.  
*Jun.*  
 1553.

*Multis rationibus suadet, jubetque præcisè, ut ex India in  
 Europam veniat. De singulari hoc fragmento, a Patre  
 Ludovico Janino latinè reddito in edit Lugdun.*

*1666. p. 293., videat eruditus lector dis-  
 putata fusiùs a p. 146. n. 138.*

I. **A**ddo, mihi, majus Dei Domini nostri obsequium,  
 & juvandas istic animas, spectanti, opemque  
 quam debent ex Lusitania expectare, fixum animo es-  
 se; sanctæ obedientiæ præcepto, inter tot alia, hoc  
 item in Lusitaniam iter tibi mandare, cum primum se  
 dabit navigatio commoda, & hoc a te suscipi jubeo in  
 nomine Christi Domini nostri; utque proclivius iis sa-  
 tisfacias, qui te fortè istic Indorum bono tenere sata-  
 gent, eda hîc tibi hujus mei consilii rationes.

2. No-



2. Nosti enim primùm, ad Christi nomen istic, in *Sub*  
 Guinea, & Brasilia firmandum, latiusque fundendum, *28.*  
 Lusitaniæ Regis pia imperia quanti sint; Principem *Jun.*  
 enim tam probè animatum, & Christianis ardentem *1553.*  
 studiis, qualis est Lusitaniæ Rex, facilè conjicis multa  
 præstiturum, quæ ad Dei gloriam promovendam, ju-  
 vandosque regionum illarum populos, necessaria sunt,  
 si a te perito, & experto, coram de iis edoctus fue-  
 rit. Deinde cum tantopere intersit de Indorum rebus,  
 Apostolicam Sedem ex veris, & certis, digno teste gra-  
 vique cognoscere, ut illi tum novæ, tum veteri Chri-  
 stianitati animorum præsidia conferat, quibus aut nullo  
 modo potest, aut ægrè admodum carere; huic pariter  
 muneri nemo te aptior, cum rerum, quæ istic gerun-  
 tur, statum omnem compertum habeas, & hîc in ea  
 opinione sis, cui multum deferatur. Scis quoque In-  
 diarum bono quantum expediat idoneos mitti ad fru-  
 ctum, qui variis ex locis variè expectatur. Ad hoc ju-  
 verit plurimum tuus in Lusitaniam, & huc Romam ad-  
 ventus; nec enim solum multò plures ad expetendas  
 Indias adjicient animum, verùm etiam inter istos dele-  
 ctum habebis certior, & quis cuique provinciæ fu-  
 turus sit accommodatior, perspicias meliùs. In quo tu-  
 te ipse facilè judicas, quanti sit recta collimasse, nec  
 plane sufficiunt quæ scribis ad formandum de iis judi-  
 cium: te ipso, vel simili opus est rerum æquè perito,  
 qui coram, & usu, mittendos istuc perspexerit.

3. Ad his rationes ex communibus Indorum deprom-  
 ptas utilitatibus, accedit, quod Regi animos suggeres  
 ad rem Æthiopicam tam pridem, ac diù, sed incassum,  
 nullo adhuc effectu motam. Congensi quoque, & Bra-  
 siliensi proderis non parum, quod præstare ex India  
 commerciorum defectu non adeo vales: ac si nostros,  
 quos regis, tuà istic putabis præsentia egere, poteris  
 illos haud difficiliùs, quin & commodius ex Lusitania,  
 quàm ex Sinis, vel ex Japonia regere. Cetera remit-  
 to ad Magistrum Polancum, meque ex animo tuis apud  
 Deum precibus commendo, precorque supremam ipsius  
 bonitatem, ut nos suà profusè gratiâ dignetur, quo &  
 per-



Sub 28. perspiciamus, quod ei potissimum placet, & hoc cumulatius exequamur.

Jun.  
1553.

*Hactenus verba S. Ignatii, quibus addit Polancus ejus Scriba, privatis suis ad Xaverium litteris, quæ sequuntur.*

Præter illa, quæ suâ epistolâ Parens noster abundè complexus est (quam conducet vel integram, vel ex parte proferre, si quibus fuerit satisfaciendum, de hoc in Lusitaniam regressu) sunt aliæ item rationes non minori iis, quas indicat, pondere pendendæ; & sciat R. V. hanc palmulam Lusitanis, Hispanis, & Italis pulsatam tam dulce ubique sonuisse, ut sit nemo quin multum confidat, faustos hoc iter in Dei gloriam, & commune bonum successus habiturum. Estque hæc eadem Patris nostri sententia; quod vel unicum possit multis, & validis argumentis par esse. Precor Jesum Christum Dominum nostrum ad summam suam gloriam, & obsequium omnia dirigat. Amen.

6.

Jul.  
1553.

#### EPISTOLA XXXIV.

Ignatius Lojola Henrico Card. Eborensi.

*Cardinalem ipsum, & Patres Ludovicum Gonzalez, atque Hieronymum Nadal urbanitate pari, ac religione collaudat.*

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri Celsitudinem vestram salutet ac visitet sanctissimis suis donis & gratiis spiritalibus.

1. **L**itteras vestræ Celsitudinis mihi attulit P. Ludovicus Gonzalez; & licet mihi aliàs ejusdem persona, donaque a Deo Domino nostro ipsi collata, minimè nota essent, vestrum apud me testimonium suffi-



ceret, ut egregiè de hoc Patre sentirem, libenterque  
 cum eo agerem de multis rebus Societatem nostram  
 spectantibus ad divinum cultum in istis Regnis promo-  
 vendum. Est ille sanè acceptissimus Domui nostræ, at-  
 que ita porrò futurum speramus. Super hæc magno so-  
 latio mihi fuit in Domino nostro, quod vestra Celsi-  
 tudo ad me referre dignata est de obsequio istic divi-  
 næ Majestati præstito per humilia minimæ hujus Socie-  
 tatis instrumenta; cum tam grave tanti viri testimo-  
 nium, quem Deus Dominus noster tanto splendore, ac  
 virtute adornarit, magni profectò ponderis esse debeat:  
 quanquam singularis amor, quo res quisque suas prose-  
 quitur, ad faventem his sententiam soleat, ac proinde  
 vestram etiam Celsitudinem posset aliquantum inclinare  
 ad benè de Societate sentiendum, quòd ipsa tota ve-  
 stra sit, ut planè est omnino in Domino nostro.

2. Ante has fortè literas istuc appulerit P. Hiero-  
 nymus Natalis. Hunc, quia est quidem in Societate  
 nostra insignis a bonis suis dotibus universis, calletque  
 in primis, & expertus novit Collegiorum nostrorum  
 Sicularum, & Italarum rationem seu conditionem; cu-  
 jusmodi virum istuc ut mitterem, rogabar, ad Regnum  
 istud allegavi. Puto equidem posse vestram Celsitudi-  
 nem ex animi sententia illo uti & in isto Eborènsi Col-  
 legio vestro, & in aliis quibuscunque rebus ejusdem o-  
 perà uti volet. Restat, ut studium vestræ Celsitudini  
 meum, Societatisque hujus universæ pollicitus, a Deo  
 Domino nostro gratiam exorem, qua sentiamus semper  
 sanctissimam ejus voluntatem, eandemque integrè exe-  
 quamur.

Romà 6. Jul. 1553.

Celsitudinis vestræ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPI.



25.  
Jul.  
1553.

## EPISTOLA XXXV.

Ignatius Lojola Societati Jesu.

*Menstruo quoque tempore singulis Sacerdotibus Missæ sacrificium, ceteris alias preces indicit ad Germaniæ ac Septentrionalium regionum hæresi laborantium subventionem.*

Jesus.

Ignatius de Loyola Præpositus Societatis Jesu Generalis dilectis in Christo fratribus, tam aliorum Præpositis, quàm subditis de Societate Jesu salutem in Domino sempiternam.

Cum ratio charitatis, qua totum Ecclesiæ corpus in ejus capite Christo Jesu, diligere debemus, exigat, ut ei maximè parti remedium adhibeatur, quæ graviori morbo, ac periculosiori laborat, visum est nobis pro virium nostrarum tenuitate ad Germaniæ, ac Septentrionalium regionum gravissimo hæresum morbo periclitantium subventionem, operam Societatis nostræ peculiari quodam affectu impendendam esse: & quamvis aliis etiam modis hoc ipsum sollicitè curemus, & orationum, ac Missarum applicatione jam a multis annis plurimi ex nobis earum regionum necessitati subvenire studuerimus; tamen ut hoc charitatis officium latius pateat, diutiusque præstetur, omnibus fratribus nostris, tam iis, qui nobis immediatè subditi sunt, quàm aliis Rectoribus, vel Præpositis, qui curam aliorum gerunt, injungimus, ut ipsi, & reliqui ipsorum fidei commissi singulis mensibus, si Sacerdotes sint, offerant Deo Missæ sacrificium, si verò ad Sacerdotium non sunt promoti, orent pro Germaniæ spirituali necessitate, ut tandem Dominus ejus & aliarum provinciæ ab ipsa infectarum, misereatur; & ad Christianæ fidei, ac religionis puritatem reducere dignetur. Eaque tan-



tandiu durare volumus, quandiu earumdem regionum necessitas ipsa vigebit. Nec ullam provinciam etiam in extremis Indiarum finibus constitutam ab hoc officio charitatis excludi (ubi quidem Societas nostra fuerit) volumus.

25.  
Jul.  
1553.

Romæ VIII. Cal. Augusti 1553.

Ignatius.

EPISTOLA XXXVI.

Ignatius Lojola Aloysiæ Borgiæ.

20.  
Aug.  
1553.

*Pia etiam colloquia non nisi ad majorem Dei gloriam, & animarum salutem expetenda: P. Franciscum Sorori suæ concedit: & frequentem laudat Sacramentorum usum.*

Jesus.

Domina mea in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri Dominationem vestram salutet, ac visitet sanctissimis suis donis, & gratis spiritalibus.

**D**ominationis vestræ, ac Dñi etiam Comitum dedit mihi literas Rñus Cardinalis a Cueva, suumque sibi a te commendatum officium persolvit de P. Francisco Borgia obedientiæ vi Cæsaraugustam mittendo. Nec dubito, quin ejus conspectum percupere faciat spiritalis potius, quàm naturalis amor; quanquam Dominationis vestra, verita ne id ego suspicarer, videtur apud me initio epistolæ idem præcavere: quin imò in Divina Majestate mihi persuadeo, Dominationem vestram, ut sanguine P. Francisci soror est, ita esse, ac multo etiam magis, spiritu, ac divinæ gloriæ desiderio, a quo non proprium suum spectatur solatium, seu voluptas, sed quod maximè expedierit animabus juvandis, & in ipsis Deo Creatori nostro, ac Domino colendo, atque laudando. Scribam ipse Patri Francisco, ut Dominationis vestræ mandatum exequatur; ac licet

R r r

obe-



20. obedientiæ virtute id ei non præcipiatur, vestra tamen  
*Aug.* Dominatio non dubitet, quin sit illud facturus: puto  
 1553. autem (1) abiisse jam, iturumve antea Lusitaniam, a  
 Rege petitum; sed erit brevis commoratio. Per hunc  
 eidem scribo tabellarium, literasque misissem ante men-  
 ses aliquot, si quibus eas traderem, habuissem. De re-  
 liquo, quod Dominatio vestra scribit de istius religione  
 urbis, Sanctorumque usu Sacramentorum frequenti, ma-  
 ximæ sunt agenda gratiæ Deo Domino nostro, a quo  
 & istud, & universa bona proveniunt. In precatatione,  
 quam mihi Dominatio vestra præscribit, aliisque rebus  
 omnibus, quas mihi ad Dei Domini nostri gloriam man-  
 daverit, magnà equidem, ut par est, obediam volun-  
 tate: ac finem facio, divinam rogans bonitatem, ut  
 uberem suam gratiam omnibus largiatur, ut sentiamus  
 semper sanctissimam ejus voluntatem, & (2) integrè  
 exequamur.

Romà 20. Augusti 1553.

Dominationis vestræ Illustrissimæ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

*His adde duas Ferdinandi Romanorum Regis ad Ignatium  
 epistolas an. 1550. & 1551. datas, a p. 104. 112.: Al-  
 berti Bavaricæ Ducis ad eundem an. 1551. n. 111. a p. 114.  
 Oppidi Vergaræ an. 1551. a p. 117.: Didaci Lainez ad  
 Ignatium an. 1552. p. 127.: Ignatii ad P. Meronem 22.  
 Dec. 1552. p. 129.: Ignatii ad P. Borgiam p. 130.: An-  
 tonii Cordubensis ad Ignatium 31. Mart. 1552. n. 129.  
 p. 136.: Ignatii ad Araozium an. 1553. n. 142. a p.  
 150.: Gulielmi Episcopi Claromontensis ad Ignatium 29.  
 Sept. 1553. n. 175. p. 191. Ex quibus sex integræ ad I-  
 gnatium literæ possent suis quæque locis adjungi.*

LIBER

(1) Vide n. 141. a pag. 148.

(2) In apographo ad me misso eternamente, pro enteramente,  
 ut ex constanti Ignatiano stilo correxi.



L I B E R Q U A R T U S  
 E P I S T O L A R U M  
 S. I G N A T I I L O Y O L Æ

Ab An. 1554. ad 1556.

E P I S T O L A P R I M A .

Ignatius Lojola Hieronymo Natali .

7.  
 Jan.  
 1554.

*Præter Lusitanam, tres alias provincias cum singulis  
 cujusque Præsidibus in Hispania præscribit, om-  
 niumque Commissarium Franciscum Bor-  
 giam. Vide p. 156. n. 146.*

Jesus .

Fratri meo in Domino nostro Magistro Natali *Foris .*  
 Commissario Societatis Jesu in Hispania,  
 & Lusitania .

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini *Intus .*  
 nostri adsit nobis semper favore & auxilio .

**C**ogitanti mihi quam sit necessarium, Collegia,  
 & Domos Societatis nostræ a Præposito Pro-  
 vinciali visitari, ac procurari; divinà verò,  
 summâque bonitate in istis regnis illarum numerum au-  
 gente, potis non fore, unus ut huic muneri satisfacere-  
 ret, deliberatum est in Domino nostro mandare tibi,  
 ut antequam ex istis regnis discedas, tres in eis pro-  
 vincias præter Lusitanam designes, atque constituas.  
 Quarum una regni erit Aragoniæ, Valentia, & Catalo-  
 niæ; altera Castellæ veteris, & Toletani regni; ter-  
 tia Bœticæ, cui, si tibi videbitur, adjungetur Salman-  
 tica,



7. tica, & quæ in Extremadura fient, regnoque Grana-  
 Jan. tensi. Ne autem bonum desit, in eo situm, quod ali-  
 1554 quis in istis regnis curam gerat amplissimam rerum ad  
 Societatem spectantium, universis Provincialibus tam  
 Lusitaniæ, quàm tribus aliis superius dictis, Commis-  
 sarium præficies, qui meas in quatuor istis provinciis vi-  
 ces gerat; quoniam recursus inde Romam tardior non-  
 nunquam foret, quàm præsentibus ibidem necessitates po-  
 stularent. Provincialis Lusitaniæ idemmet erit, qui nunc  
 est; Bæticæ Doctor Torres (sive Turrianus); Arago-  
 niæ Magister Strada; Castellæ Doctor Araoz, siquidem  
 regni Sedes, ut videtur, plerumque ibi potius erit,  
 quàm alibi; credo autem ejus in aula commorationem  
 in magnum Dei obsequium profuturam, ut quidem sum  
 edoctus; eoque magis illi expedit, gravi, quod nunc  
 fert, onere levari. Si Magister Miron Æthiopiam adie-  
 rit, Doctor Turrianus erit Lusitaniæ Provincialis, Ma-  
 gister Strada Bæticæ, Magister autem Baptista, Gan-  
 diæ Rector, in illis (Aragonæ) regnis. Commissarius  
 denique omnibus quatuor provinciis præerit P. Fran-  
 ciscus: atque hæc omnia in triennium secundum con-  
 stitutiones. Porro singulis Provincialibus, & Commis-  
 sario pariter Assessorem designabis: quibus omnibus  
 Dei gratiâ constitutis in proximum Septembrem cura,  
 ut Romam revertaris. Quoniam aliis de rebus M. Po-  
 lancus; tantum addo, me rogare Deum Dominum no-  
 strum, cumulatam ut gratiam suam omnibus largia-  
 tur, qua sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus,  
 & integrè exequamur.

Romæ 7. Januarii 1554.

*Tuus in Domino nostro*

*Ignatius.*



## EPISTOLA II.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ .

15.  
Jan.  
1554.

*Petit fieri a viris Societatis Compendium Theologicum pro  
Germania contra hæreses: apud Bolland. t. 7. Jul.  
p. 497. a n. 464.*

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum,  
Bohemiæ &c. Rex .

Honorabilis , religiose , devote , nobis dilecte .

I. **P**osteaquam reipsa hactenus comperimus , hæreses & reprobata multorum dogmata & opiniones , quæ hoc seculo per universam penè Christianam rempublicam serpentes grassantur , inde potissimum in Germania increvisse , animisque hominum altiùs impressas esse , quòd falsi doctores & hæretici in id maximè intenderint , ut errores & dogmata sua in brevia quædam capita & articulos redacta & comprehensa , in vulgus spargerent , & hinc quoque evenisse , quòd dormitantibus nonnumquam Pastoribus nostris in Germania , non solùm multæ ejusmodi postillæ partim prolixæ , partim verò compendiosæ & succinctæ , verùm etiam catechismi , loci communes , & alia id genus breves libelli tam Germanicà , quàm Latinà linguà ab hæreticis conscripti , cum magno Christiani , & Orthodoxi gregis exitio in lucem prodierint , qui sanè , quia propter brevitatem levi pretio comparari , & facilè memoriæ tradi potuerint ; ideo etiam populo gratiores & plausibiliores esse consueverunt .

2. Cogitantibus itaque nobis , quibus potissimùm rationibus atque remediis tam periculosæ contagioni occurrì posset , alia equidem via commodior aut efficacior fore visa non est , atque si pastores & theologi nostri orthodoxi eamdem quodammodo in evellendis eradicandisque reprobatis opinionibus , & hæresibus artem adhiben-



15. bentes, quâ schismatici in spargendis illis uti videntur,  
*Jan.* compendium aliquod theologiæ compilarent, quod tam  
 1554. ecclesiasticis, quàm secularibus instar regulæ, & nor-  
 mæ esset, levique pretio ab omnibus coëmi posset.  
 Inde namque nostro judicio tum catholici, tam clerici,  
 quàm laici verum sacrarum literarum ac orthodoxæ re-  
 ligionis nostræ sensum & intellectum haurire animoque  
 alte infigere poterunt, tum illi etiam qui jam seducti  
 sunt, in viam rectam, & ad sinum sanctæ matris Ro-  
 manæ Ecclesiæ reducentur.

3. Proinde deliberatum nobis erat, hanc compila-  
 tionem nonnullis Doctoribus, tui Ordinis fratribus in  
 hac Academia nostra Viennensi existentibus, deman-  
 dare & perficiendam imponere. Sed cognovimus, eos  
 in vinea Domini tantâ sedulitate aliàs prælegendo, &  
 docendo, tam in scholis, quam in suggestu laborare,  
 quòd tanto operi absque dispendio & discipulorum suo-  
 rum & Christiani gregis, vacare nequaquam possint.  
 Quoniam autem nobis non est dubium, te istic Romæ  
 abundare doctissimis Ordinis tui viris, quibus tam pium,  
 & necessarium opus rectè demandari possit, & quibus  
 etiam plus temporis ad suscipiendum, perficiendumque  
 illud suppetit, adeoque nobis persuasum est, te nobis  
 hoc petentibus minimè denegaturum; idcirco abs te  
 clementer etiam atque etiam petimus, ut non tam no-  
 strâ causâ, quàm etiam pro commodo, & salute Chri-  
 stianitatis, doctis aliquibus viris Ordinis tui, tecum Ro-  
 mæ existentibus, tale compendium theologiæ edendum  
 committas, idque absolutum ad nos transmittas.

4. Curabimus enim illud statim hic typis excudi,  
 & non modò in hac Viennensi Academia nostra publicè  
 legi ac doceri; verùm etiam per regna, & ceteras pro-  
 vincias nostras publicari, doceri, &, quatenus, divina  
 gratia largiente, efficere poterimus, diligenter obser-  
 vari; præsertim verò operam dabimus, ut illo parochi,  
 aliarumque Ecclesiarum Rectores in provinciis nostris  
 utantur. Ceterùm tu, & illi, qui hoc operis suscepe-  
 rint, non modo nobis ipsis rem gratam facietis, verùm  
 etiam de provinciis nostris, immò universa republica  
 Chri-



Christiana optimè meriti eritis ; Deusque optimus maximus , de cujus gloria hîc potissimum agitur , per immensam bonitatem suam pro hoc , quicquid futurum est , laboris , condignam mercedem , immarcessibilem scilicet coronam in futuro seculo tibi , & illis retribuat ; ac nos ipsi tanti beneficii memores erimus , illudque erga te , & sacram illam tuam Societatem gratia , & liberalitate nostra regiâ clementer recognoscemus .

15.  
Jan.  
1554.

Datum in Civitate nostra Vienna die 15. mensis Januarii , anni Domini 1554. , regnorum nostrorum , Romani 24. , aliorum verò 28.

*Ferdinandus .*

## EPISTOLA III.

16.  
Jan.  
1554.

Margarita Austriaca Ignatio Lojolæ .

*Singularis humanitatis , gratiæ , & benevolentiae responsum :  
de quo pag. 158. n. 147.*

Reverendo M. Ignatio nostro carissimo . Romam . *Foris .*

Reverende M. Ignati .

**M**agno nobis solatio fuit epistola tua , qua certiores factæ sumus de tua valetudine , & ex illa intelleximus , affectum , quo nos prosecutus fuisti , adeo longâ absentia diminutum non esse , neque tibi excidisse , in multis nostris laboribus precari Deum benedictum pro nobis . Pro qua re infinitis tibi nominibus obstringimur , ac precamur te , ut in orationibus tuis idem porrò continuare velis . Et si hinc pro te , vel Societate tua quidquam possumus , semper nos invenies promptissimas , ut in omnibus tibi gratificemur . Et sic nos tibi offerimus . Deus Dominus noster contentum te faciat .

Parmâ die 16. Januarii 1554.

*Margarita Austriaca .*  
EPI-



20.  
Jan.  
1554.

## EPISTOLA IV.

Ignatius Lojola Mariæ Frassoniæ a Gesso .

*Solatur ægram, & mentis angoribus afflictam .*  
*Videsis p. 158. n. 149.*

Jesus .

*Foris .* Amplissimæ Dominae meæ in Domino nostro Dominae  
Mariæ a Gesso . Ferrariam .

Jesus .

Amplissima Domina mea in Domino nostro .

Cum ex Sociorum epistolis cognoverim, ægrâ tum corporis valetudine, mentis tum etiam angoribus exerceri a Deo Dominationem vestram; ad eam me oportere per litteras, quod unum suppetit, invisendam adire, arbitratus sum, atque in memoriam ei revocare, non alia lege cum iis, quos in primis amat, agere solere Parentis optimi maximi, ac sapientissimi medici providentiam. Quæ quidem, quo citius statuit eos post præsentis usuram lucis ad æternæ suæ felicitatis communionem adjungere, eò quoque acrioribus in hac vita consuevit ærumnis ejusmodi, laboribusque expiare: mundi namque hujus illecebris, nequaquam vult, amore nos implicari, securosque conquiescere. Quam ob rem quos præcipua Deus benignitate prosequitur, immissis non solum supernæ patriæ desideriis, a fluxis curat voluptatibus abducere, verum terrenis etiam, quibus utitur, acerbitatibus & incommodis: quæ tamen ipsa ad sublimioris accessionem gloriæ majorem in modum juvant, si modo patienter ea, & qua par est, paternæ caritatis accipi beneficia, cum gratiarum actione suscipiantur; quando ab ejus erga nos benevolentia fastidia cuncta non minus, quam blandimenta proveniunt.

Ac



Ac si qua est certe in hac rerum universitate mentis 20.  
 angustias effugiendi ratio, & laboribus obsistendi via; Jan.  
 ea est profectò, qua voluntatem nostram ad divinum 1554.  
 contitatur arbitrium penitus conformare: nam ubi no-  
 stram omnino mentem occupaverit Deus, eo nos, cum  
 inviti, ac repugnantes orbari a nemine, atque spoliari  
 possimus, nihil est plane, quidquid acciderit, de quo  
 magnopere angere, commoverique debeamus: quoniam  
 omnis, quæ de re aliqua suscipitur afflictio, aut de  
 ea, quæ diligitur, amissa re proficiscitur, aut ex ti-  
 more amittendæ.

Socio nostro Magistro Joanni per litteras significo,  
 nè nisi nova quapiam occupatione prohibeatur, Domi-  
 nationem vestram, quemadmodum solebat, officii causa  
 convenire, ullo pacto prætermittat: etenim quod Fer-  
 rariæ versetur ipse, vestræ porro Dominationi referen-  
 dum est acceptum. Quo circa si vita, Deo donante,  
 continget, isthic ego, quantum in me fuerit, conti-  
 nenter eum ad vestræ Dominationis obsequium, &  
 consolationem retinere constitui. Quod reliquum est;  
 valde me Dominationis vestræ precibus commendo,  
 Deumque Dominum nostrum obsecro, uti suam omni-  
 bus gratiam præbeat, per quam sanctissimam ejus vo-  
 luntatem semper intelligant, atque perfecte eam exse-  
 quantur.

Romà XIII. Kal. Febr. an. 1554.

*Dominationis vestræ*

*totus in Domino nostro*

*Ignatius.*



27.

Jan.

1554.

Ignatius Lojola Procuratoribus Morbeniensibus.

*Stabilis animarum cura a Societatis instituto aliena.*

Jesus.

*Foris.* Amplissimis Dominis meis in Domino nostro Dominis  
Procuratoribus Communis Morbeniensis.

Jesus.

Summa gratia & amor Christi Domini nostri Domi-  
nationes vestras salutet ac visitet sanctissimis  
suis donis & gratis spiritalibus.

**E**x litteris, quas ad me ante diem III. Kal. Decem-  
bris dederunt Dominationes vestrae, & ex incluso  
pariter illarum exemplo, quas Cardinalibus scripsere  
sacrae fidei Quæstoribus, intellexi; justam quidem exti-  
tisse causam, quæ in id adduxit Dominationes vestras,  
ut Socium (1) nostrum apud se aliquandiu retinerent  
Domnum Andream Galvanellum (2). Qua etiam opera  
illud ego, de quo tantisper a vestris Dominationibus  
requirebar, dum videlicet qui Galvanello succederet,  
presbyter alius provideretur, libenter sane exsequutus  
sum: is tamen, oportet utique, ut probabiliter nunc  
jam provisus sit. Itaque Andreae nostro per litteras  
injungo, ut intra quindecim dies ab accepta epistola  
Venetias proficiscatur: vestras quippe Dominationes  
nosse puto, quod animarum curam interposita religione  
subire, Instituti nostri legibus adversetur (3); tametsi

CO-

(1) Ignatii verba: nostro fratello Don Andrea, idonea sunt  
eis confirmandis, quæ in M. Mamachium dicta sunt p. 8. n. 8.

(2) Malè apographum Italicum, Galvarello; pejùs Latinus in-  
terpres, Oanarellium: historia duce correxi, Galvanellum. Videsis  
num. 136. & 147.

(3) Ipsa en verba: perchè l' instituto nostro, come credo sia-  
no informate le SS. VV., non patisce tener cura d' anime per  
obbligo. Pluribus hac de re idem S. Ignatius Constit. Parte 4. c. 2.,  
& Parte 6. c. 3.: ut autem visum est a p. 46. n. 50., non abhor-  
ruit idem ab admittenda cura animarum, Episcopali etiam & Pa-



cogente alioqui necessitate, ad breve aliquod tempus 27.  
eam interdum administrationem suscipere, nostris non Jan.  
est hominibus interdictum. Permissuras proinde, nequa- 1554.  
quam dubito, Dominationes vestras, ut nostri potius  
Instituti normam ac disciplinam sectemur: ex cujus  
præsripto nos paratos semper in Christo Domino futu-  
ros pollicemur, ut omnem nostram, quantumvis mo-  
dicam, facultatem & industriam vestris Dominationi-  
bus afferamus. Jesu Christi gratia semper sit & au-  
geatur in omnibus nobis, quò nimirum sanctissimam  
ejus voluntatem jugiter cognoscamus, atque perfectè  
exsequamur.

Romà VI. Kal. Februar. 1554.

Dominationum vestrarum

*Humillimus in Domino nostro servus  
Ignatius.*

EPISTOLA VI.

Albertus Bavarix Dux Ignatio Lojolæ.

20.  
Maji  
1554.

*Laudatis Societatis moribus & officiis, ad condendum  
Ingolstadii Collegium ardenti religionis studio  
socios postulat.*

Reverendo in Christo Patri sincere nobis dilecto, Ignatio *Foris*.  
Lojola Societatis Jesu in Urbe Præposito.

Reverende Pater sincerè nobis dilecte.

Vestri Ordinis Societatis Jesu Theologos omnes ab  
Ingolstadiensi Acadèmia nostra avocatos, permo-  
lestè tulimus. Nam & doctrinæ, & vitæ sinceritate

S s s 2

non

*triarchali, qua non tam honoris esse, quàm multi oneris videretur;  
nec tam dignitatis & copia, quàm humilitatis & inopia, ad Apo-  
stolicam vivendi formam: qua ratione Societas, cogente alioqui ne-  
cessitate, in America & ultimo in Oriente pauperes, & arumnosas  
administrabat parochias, barbarorum sapius incursionibus obnoxias.*



20. non solum lectorum munere inter Scholares, sed & con-  
*Maji* cionatorum ad populum, magno cum fructu feliciter  
 1554. functi sunt. Eapropter ipsos libenter nostris gratiâ, &  
 favore complexi sumus, nec de nobis justâ de causâ  
 conqueri in aliquo posse, persuasum habemus. Verùm  
 quod Collegii illius erigendi cura hactenus est inter-  
 missa, non nobis, qui paratissimi semper fuimus ad id  
 præstandum, quod fidei, & religionis catholicæ, or-  
 thodoxæque Ecclesiæ, ac Jesu Christi op. max. causam  
 provehere valeat, est imputandum; sed præsentì turba-  
 tissimo, afflictissimoque omnium rerum in Germania  
 statui, de quo vos certiores factos, ac miserrimam,  
 calamitosissimamque istam sortem unâ condolere, nihil  
 dubitamus. Nè tamèn istâ perpetuâ temporum injuriâ  
 Collegii Theologici causa apud nos diutius suspendatur,  
 jussimus apud dictam scholam nostram Ingolstadianam  
 fundum comparari, & novum extrui Collegium, quod  
 etiam annuis redditibus dotari curabimus, quemadmodum  
 ea de re ad vos Magister Petrus Canisius perscriberet.  
 Petimus igitur a vobis, uti & Sanctissimo D. N. ea de  
 causa perscribimus, ut curetis tam dictum Canisium,  
 quam alios duos Theologos etiam aliarum facultatum  
 professores, ad nos mittere, qui obsequium suum, &  
 ministerium legendi, & concionandi impendant. Qui-  
 bus vero ad hoc conficiendum opus habueritis, vel quæ  
 per nos fieri ulterius volueritis, cum Secretario nostro  
 Henrico, quem etiam ea de causa ad Urbem ablega-  
 vimus, conferetis: is mentem nostram fusius exponet.  
 Reliquum est, quod vobis universa libentissimè offeri-  
 mus, quibus tam Ordini vestro uberrimus accedat fru-  
 ctus, quàm orthodoxa religio & libertas Ecclesiastica,  
 fere ex Germania profligatæ, aliquando restituantur.

Monachii die 20. mensis Maji anno Domini 1554.

*Albertus Dux Bavariæ &c.*

*per manum propriam.*

EPI.



## EPISTOLA VII.

1554.

Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez  
de Vergara.

*De sincera Deo placendi, serviendique voluntate: de aliis  
breviùs. A pag. 159. n. 149 dictum est de his, sequen-  
tibusque duabus literis; quas Alcazar e Complu-  
tensi Societatis Jesu tabulario produxit eodem  
planè ordine, quo hîc proferuntur.*

Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
adsit nobis semper favore, & continenti auxilio.

1. **L**iteris tuis die 4. Februarii datis, aliisque Patris  
Villanovæ intellexi, quæ te, susceptumque a te  
consilium contingunt; & onus quidem rem totam per  
me ipsum, ac per alios Deo commendandi, prona vo-  
luntate suscipio: cupio enim tibi, ut debeo, non om-  
nem modò perfectionem, sed omnigenam etiam conso-  
lationem. Rationem autem voluntate gustandi, & sua-  
viter id exequendi, quod mentis lumen ostendit ad  
majus Dei obsequium, & gloriam pertinere, Spiritus  
Sanctus meliùs, quàm ullus alius, te docebit. Verum  
quidem est, ad meliora, perfectioraque persequenda  
sufficere \* rationis motum: motio autem voluntatis,  
tametsi decretum & executionem non præcedat, facile  
tamen posset subsequi, Deo Domino nostro fiduciam  
remunerante, qua in ipsius nititur providentia, perfe-  
ctamque suæ voluntatis conformationem, & consola-  
tionum suarum abnegationem, voluntate magna & vo-  
luptate; & quidem eò majori spiritalis consolationis  
CO-

\* *Hisp.*: Aunque es verdad, que para seguir las cosas me-  
jores y mas perfectas suficiente mocion es la de la razon.



1554. copiâ, quod minus quæritur, divinum autem obsequium & voluntas purius exquiritur. Infinita ejusdem velit summaque bonitas res tuas omnes ita dirigere, ut ad illum finem magis expedire pernoscit.

2. Tuum de negotiis illis mandatum omni cura conficiendum suscipio. Et quoniam de hac re M. Polancus plura perscribit, in eodem acquiesco. Alia, de quibus Compluti egisti cum P. Francisco, quæque secum P. Natalis detulit in mandatis, ipsi equidem commendo; & spero, quoad poterit, officio suo non defuturum in obsequium & consolationem tuam. Dominus cumulatam suam gratiam nobis omnibus largiatur, ut sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus, & integrè exequamur.

14.  
Jun.  
1554.

### EPISTOLA VIII.

Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez.

*De spirituali ejus negotio majorem in modum Deo commendato, & in Villanovam rejecto.*

Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri adsit nobis semper auxilio & favore.

1. **A**ccepi tuas literas prima die Martii Conchæ datas; aliasque fratris Villanovæ, quas ipse appellas. De spiritali negotio, quod mihi commendas, præscripsi Sacerdotibus septem professis Societatis, ut tribus a quoque Missis hac de re celebratis, suam quisque de eadem sententiam proferret. Ipse etiam pro mea parte illam adhibui diligentiam, quæ coram Deo Domino nostro videbatur. Et quod omnibus octo communi sensu videtur, ad fratrem nostrum Villanovam scribitur; qui rem tibi narrabit, vel literas ipsas ostendet.



det. Dei gratia, summaque sapientia nos omnes dirigat, ut majus semper ejus obsequium attingamus.

14.  
Jun.

2. De fratre nostro Villanovâ Compluti retinendo id plane fiet, quod in majorem tuam futurum sit consolationem: & Commissario scribetur, ne a tua discedat voluntate; nihil autem superest dicendum, nisi & illum & nos omnes fore paratissimos, ut tibi, quoad ejus fieri possit, morem geramus ad Dei Domini nostri gloriam, cujus velit infinita bonitas in animo tuo sancta sua munera semper adaugere, cumulatamque suam gratiam omnibus largiri, ut sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus, & integrè perficiamus.

1554.

Româ 14. Junii 1554.

## EPISTOLA IX.

14.  
Jun.

Ignatius Lojola Francisco Villanovæ.

1554.

*De Doctore Alfonso Ramirez de Vergara in Societatem Jesu-  
ita cooptando, ut proximè soli Generali Præposito sub-  
jaceat, eidem verò subsint Collegia Complutense,  
& Conchense; communibus denique Societatis  
legibus moderatiùs cum eo agendum.*

Summa gratia, & amor æternus adsit nobis semper  
auxilio & favore.

**H**isce literis unī respondebo tuarum capiti, quas  
15. Martii ad me dedisti; aliorum autem curam  
in M. Polancum rejicio. Captum a Domino Doctore  
Vergara consilium, ut scribis eundem velle, ita per-  
pensum, ac Deo Domino nostro commendatum est:  
mihi verò, ut & aliis omnibus, qui peculiari rem stu-  
dio ponderarunt, id sanè videtur, Societatem ut Do-  
ctor ineat, ad omnia, quoad poterit, a voluntate sua  
paratissimus, in divina confidens providentia, ipsam vi-  
delicet eum, qui Superior ipsius fuerit, loco Christi  
Domini nostri, motu suo acturam, ut eundem ita mo-  
dere-



14. deretur ac verset, ut magis ad ipsius perfectionem, &  
*Jun.* commune bonum expediet. Mihi etiam visum est in Do-  
 1554. mino nostro, eundem, Societatem ingressum, omnibus  
 aliis Superioribus eximere; ut proximè Generali Præpo-  
 sito subjaceat. Mihi præterea videtur, debere ipsum  
 esse istius Complutensis Collegii, ac Domus etiam seu  
 Collegii Conchensis curatorem; atque ita quidem, ut  
 cujuslibet ex istis Collegii Rector, quæ Doctori vide-  
 buntur, exequatur: æquum est enim in Deo Domino  
 nostro sperare, ut ipsum afflavet spiritu Collegia ista  
 inchoandi, daturum ei pariter cœpta in ipsis opera per-  
 ficiendi. Ratio cum ipso agendi ea in summa debet  
 esse, qua nunc secum utitur; licet enim is non esset,  
 qui est, usu tamen in nostra receptum est Societa-  
 te, ut (quoad secundum nostra instituta fieri poterit)  
 ita quisque tractetur, ut corporis ejus sanitati magis  
 proderit: quandoquidem nobis in Domino nostro per-  
 suasum est, servos ejus quo meliori utentur valetu-  
 dine, eò etiam meliorem divini obsequii rebus ope-  
 ram duros. Difficultatis in concionando aliquem ob  
 memoriæ defectum nulla est habenda ratio; concio-  
 nabitur enim cum poterit, vel quando commodè sibi  
 posse videbitur, nec aliter: exemplo certè, & collo-  
 quiis semper concionabitur. Professio etiam piæ ipsius  
 voluntati permittetur, ut eam, cum volet, perficiat;  
 eritque curandum, ut cum eo dispensetur in consueto  
 tempore prævertendo, juxta Constitutiones planè con-  
 cedentes, ut possit hac in re dispensari, cum ita ex-  
 pedierit; videtur autem id totum inesse posse Domi-  
 no Doctori ejusque meritis sine incommodo exempli;  
 cum quovis enim dotibus id genus ornato poterit fieri  
 pariter dispensatio. Reliquum est, ut valde me vestris  
 commendem precationibus, Deum Dominum nostrum  
 rogans, ut suam det omnibus gratiam ad sanctam ejus  
 voluntatem sentiendam & exequendam.

Romà &c.



## EPISTOLA X.

21.

Ignatius Lojola Gerardo Hammontano.

Aug.

1554.

*Officiosum grati animi testimonium. Vide num. 150. & pag. 160.*

Venerabili in Christo Patri, ac nobis in eodem plurimum observando, Domino Priori Carthusiæ Coloniensis &c. Coloniam.

Foris.

Summa gratia & æternus amor Dei, & Domini nostri Jesu Christi Paternitatem vestram cum sancta sua Congregatione continuis donorum spiritualium exornet, & promoveat incrementis.

1. **Q**uamvis rara nobis cum Paternitate vestra fuerit his annis litterarum communicatio, crebra fuit orationum; sicut & mutuæ charitatis affectum ipso temporis decursu augeri potius, quam minui utriusque sensimus. Quod ex parte nostra viva memoria vestrum, & in dies magis propensus in vos animus, & ex parte vestra non solum litteræ nostrorum, qui continuis se beneficiis affici a Paternitate vestra, scribunt, sed & experientia ipsa vestræ beneficentiæ, Romam usque ad nos se extendentis, nos docet, de qua agimus gratias Deo bonorum omnium auctori, & Paternitati vestræ quam maximas.

2. Admodum enim opportunè necessitatibus hujus Collegii liberalitas vestra subvenit, & nobis mutuæ dilectionis vinculum tantæ charitatis vestræ significatio valdè strinxit. Dignetur Dominus Jesus, secundum divitias summæ bonitatis suæ, hoc beneficium cum ceteris omnibus pro suis pauperibus rependere. Romæ valent fratres, qui in Collegio & Domo nostra sunt. Me Dominus adversa valetudine sex mensibus exercuit; sed jam mediocriter valere incepti. Reliqua ex fratribus nostris, ad quos fusiùs scribuntur, Paternitas vestra intelliget. Omnes nos orationibus & sacrificiis Paternitatis vestræ, & venerabilium Fratrum suorum, & nostrorum, humiliter commendari cupimus. Vale in Do-



21. mino Jesu Christo, qui salus omnibus & vita est sem-  
*Aug.* piterna. Amen.

1554. Romæ XII. Kal. Septembris anno MDLIV.

*Paternitatis vestræ servus in Domino  
 nostro Jesu Christo*

*Ignatius.*

21.

*Sept.*

1554.

EPISTOLA XI.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

*De quibusdam conscientia suæ negotiis cum Pontifice  
 agendis: apud Bolland. t. 7. Jul. p. 497. n. 462.\**

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum,  
 Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte.

**C**ommiseramus honorabili, religioso, devoto, nobis  
 dilecto, Petro Canisio de Societate nominis Jesu,  
 sacræ theologiæ doctori, perscribenda ad te negotia  
 quædam nostra privata, quæ conscientiam nostram at-  
 tingere videntur, ut de illis coram ad partem cum San-  
 ctissimo D. N. ageres. Itaque non dubitamus te illa  
 jam accepisse. Quoniam verò dictus Canisius nobis  
 nunc iterum significavit, suo judicio non abs re futu-  
 rum, quod literas etiam fidei (quas credentiales vo-  
 cant) in personam tuam ad Sanctitatem ejus demus,  
 illicò easdem expediri jussimus, in hanc sententiam,  
 quam ex adjuncto illarum exemplo cognosces. Proinde  
 cum Sanctitatem ejus in illis ipsis negotiis volueris al-  
 loqui, poteris hujusmodi literas nostras Sanctitati ejus  
 reverenter reddere, ac postea tanto liberiùs & com-  
 modiùs illa cum Sanctitate ejus, secundùm voluntatem  
 & desiderium nostrum, quod a dicto Doctore Canisio  
 proculdubio abundè percepisti, agere atque tractare;  
 prout de te confidimus. Ita namque facies rem nobis  
 gra-

\* *Subdunt Bollandiani literas illas, quas vocant credentiales: sed nostrum illa argumentum non spectant.*



gratissimam, benignitate nostra regià erga te recogno- 21.  
scendam. Sept.

Datum in Oppido Pardowicza die 21. mensis Sep- 1554.  
tembris anno Domini 1554., regnorum nostro-  
rum, Romani 24., aliorum vero 28.

Ferdinandus.

EPISTOLA XII.

Gerardus Hammontanus Ignatio Lojolæ.

27.  
Sept.  
1554.

*Eximium religiosæ caritatis & liberalitatis exemplum.*

Reverendo in Christo Patri D. Ignatio, Præposito Foris.  
Societatis nominis Jesu, suo Patri percharissimo.

**B**onum certamen certare per arma justitiæ a dextris  
& a sinistris, reverende & in brachiis charitatis  
mihi jugiter amplectende Pater. Recepi literas R. P. V.  
Recuperatam utcumque sanitatem intelligo: & quod  
eadem me indignum peccatorem in sanctæ Societatis  
sux precum, & sacrificiorum communionem admittere  
dignata est; in quam me & fratres meos iterum atque  
iterum commendatos humiliter percipio. Ego vestri nun-  
quam obliviscar pro affectu, quem mihi Dominus jam  
diu per M. Petrum Fabri sanctæ memoriæ erga vos de-  
dit. Munusculum, quod misi, non est dignum gratia;  
utinam turbulenta tempora sinerent me succurrere jux-  
ta affectum: cum jam sciam modum disponendi satis  
securum, & videam crescentiam & perseverantiam So-  
cietatis in bono inchoato. Ne tamen habita occasione  
nihil faciam, mitto 500. florenos aureos, nec literas;  
nec gratitudinem requirens, sed preces & silentium;  
quia non ignoro clericos vivere ex eleemosynis fidelium,  
& superflua teneri ad dandum piis usibus, sicut ad mor-  
tem usque intendo facere, Deo juvante, ad quietan-  
dum conscientiam meam, quamdiu dispensatio mihi in-  
vito commendata est. Utinam possem Coloniae videre  
Collegium fratrum vestrorum fundatum, antequam mo-  
riar! Multa dixi Prælati & Rectoribus Civitatis; sed



27. Rectores ipsi se reddunt difficiles... Deus misereatur  
 Sept. omnium nostrorum, qui & custodiat P. V. cum sua  
 1554. Sancta Societate diutissimè in divino opere suo, quod  
 cœpistis, ad desolatæ Ecclesiæ salutem.

Ex Cella nostra 27. Septembris an. 1554.

V. R. P. humile mancipium

*Fr. Gerardus servus Carthusiæ in Colonia.*

EPISTOLA XIII.

20.  
 Oct.  
 1554.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

*Dilaudatis Societatis fructibus, instituendo Collegio Pragensi  
 duodecim petit Socios, in quibus duos ut minimum  
 Theologiæ Magistros: apud Bolland. t. 7.  
 Jul. p. 498. a n. 469.*

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum,  
 Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte.

1. **C**um satis superque perspectum atque comper-  
 tum habeamus, fratres Societatis tuæ in hac  
 Civitate nostra Viennensi, & aliis finitimis locis, ver-  
 bo, & vitæ suæ exemplo subditis nostris honestè, re-  
 ctè ac salubriter præfuisse, tam e suggestu populum  
 verbum Dei docendo, quàm in scholis juventutem se-  
 dulò erudiendo, plurimùm profecisse; nec dubitandum  
 sit, quin, Deo coadjuvante, etiam in futurum opera  
 illorum in dies magis ac magis sit profutura; utpote  
 qui numquam otiosi, sed dies noctesque in excolenda  
 vinea Domini occupati esse videntur; nosque sanè  
 tantam ipsorum diligentiam, tantumque profectum cer-  
 nentes, atque reipsa experientes, sacrum istum Ordi-  
 nem in aliis quoque regnis & provinciis nostris fovere,  
 & propagare animo proposuerimus, in magnam scilicet  
 spem



spem erecti, pios istos, & catholicos viros alibi etiam centuplum fructum in Domino producturos: 20. Oct.

2. Itaque in primis nobis deliberatum est, in regni nostri Bohemiæ metropoli Praga quoddam etiam pro eis Collegium instituere. Ne autem in ordinando ad hujusmodi Collegium loco commodo ac necessariis proventibus annuis designandis frustra laboraremus, visum fuit, nos operæ pretium facturos, si tibi ante omnia hoc propositum nostrum benignè aperiremus, & intelligeremus, num in hunc casum nobis duodecim fratres, inter quos ad minimum duo sacræ theologiæ professores existant, mittere valeas. Nam si hoc abs te fieri posse cognoverimus, de habitatione quoque, seu loco Collegii, & sustentatione fratrum, quàm primum fieri posset, provisuri sumus; paratisque omnibus, duodecim illos fratres, deputato ipsis necessario viatico, vocabimus, & ipsos in prædicto loco, uti regem Christianum & pium decet, omni benignitate nostra regia complexuri sumus.

3. Eaque propter a te clementer petimus, ut tua etiam ex parte hoc propositum nostrum, quod ad gloriam omnipotentis Dei, & multarum animarum salutem spectat, juves & promoveas, consentiendo nimirum & deputando peritos duodecim Societatis tuæ fratres, inter quos ad minimum duo sint, qui sacram theologiam profiteantur, ut hoc modo operâ & diligentia hujus sacri Ordinis, ex illo etiam regno nostro hæreses, cum quibus jam multos annos dictum regnum gravissimè conflictatur, evelli, ac exterminari possint, & eorum loco sana doctrina, orthodoxa nimirum & catholica nostra religio, foveatur & propagetur, prout nobis de tua pietate planè pollicemur. Quàm primum enim te hisce postulatis nostris satisfacere velle cognoverimus, nulla in nobis erit mora, quin locus ad habitationem illorum commodus, & impensæ annuæ pro eorum sustentatione præparentur. In eo autem facies rem Deo O. M. cum primis acceptam, dicto verò regno nostro valdè salutarem, tuaque pietate vehementer dignam, & nobis denique majorem in modum gratam, omni gra-

tiâ



20. tià nostra regià erga te, & dictam sacram Societatem  
Oct. tuam, recognoscendam.

1554. Datum in Civitate nostra Vienna die 20. \* mensis  
Oct., anno Domini 1554, regnorum nostro-  
rum, Romani 24., aliorum verò 28.

*Ferdinandus.*

*Inscriptio est:* Honorabili, religioso, devoto, nobis di-  
lecto Magistro Ignatio de Lojola, Societatis nomi-  
nis Jesu Præposito Generali. Romam.

14.  
Dec.  
1554.

### EPISTOLA XIV.

Ignatius Lojola Consulibus Ariminensibus.

*Causatur impotentiam, quominus, ut quidem vellet,  
Ariminensium votis satisfaciat.*

*Foris.* Amplissimis Dominis meis in Domino nostro colendissi-  
mis, Dominis Consulibus Arimini.

Jesus.

Amplissimi Domini mei colendissimi.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostræ  
Dominationes vestras salutet, ac visitet donis  
suis, & gratiis spiritalibus.

Qui litteras mihi reddidit a Dominationibus vestris  
amplissimus Dominus Alexander Tingolius, vestris  
quoque verbis de iis omnibus, quæ mandata ha-  
bebat, mecum collocutus est. Sed quod ipsi coram, id  
ego per epistolam vestris etiam Dominationibus con-  
firmo; me videlicet, omnesque meos, quotquot hic  
ver-

\* Quatriduo ante aliam ejusdem argumenti epistolam Ignatio miserat Ferdinandus; si tam in hac, quàm in alia eidem ab eodem Februarii consequentis 28. perscripta, rectè dies indicatur, septem ipsius Ferdinandi ad Ignatium epistolas, hoc, & sequenti anno 1555. conscriptas Bollandiani, cum Ignatianis edendas suppeditarunt; quibus lectores censui non defraudandos, licet plerasque in commentariis prævio non recensuerim.



versantur, desiderio quidem, ac voluntate esse paratissimos, ut præclaro satisfaciamus Dominationum vestrarum erga nos studio, civitatisque vestræ commodis obsequium nostrum & diligentiam, cum divini honoris laude conjunctam, minimè deesse patiamur; dummodo copia nobis esset, id ipsum pro nostra tenuitate peragendi: at ea vero in præsentī nobis non est facultas, quemadmodum ex me cognovit amplissimus Dominus Alexander, quocum pluribus ea de re sermocinatus sum. Ubi tempus aderit, pro quo fidem nostram vestris Dominationibus obstrinximus, ope omni, atque opere enitemur, ut promissa servare studeamus: quod nos, confido, Deo bene juvante, præstituros. Cuncti verò divinam interim, summamque bonitatem deprecabimur, ut quod nobis ab egestate nostra non suppetit, de gratiæ suæ copia affatim ipsa, & cumulate suppleat, auxiliumque suppeditet, quo sanctissimam omnes voluntatem ejus intelligant, atque perfectè eam exequantur.

Roma postridie Id. Decemb. 1554.

*Dominationum vestrarum in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XV.

Ignatius Lojola Reginaldo Polo Cardinali.

24.  
Jan.  
1555.

*De Angliæ regno Sedi Apostolicæ reconciliato gratulatur: de Domo professa, & de Collegio Romano, & Germanico non pauca. Vide n. 166. a p. 180.*

Gratia, & charitas Christi Domini nostri cum suis sanctis donis, & charismatibus sit cum Revmā Dominatione vestra. Amen.

Ex litteris Rmæ Dominationis vestræ undecimo Novembr. Bruxellis datis (quo tempore iter parabat in Angliam), intellexi bonam spem, quam Dominus Deus



24. Deus Rmæ Dominationi vestræ jam tum faciebat re-  
*Jan.* ducendi ejus regni ad sanctæ Ecclesiæ Catholicæ unita-  
 1555. tem. Atque non ita multo post Civitate tota percre-  
 buit spem istam in rem conversam esse, tam brevi tem-  
 poris mora, ut manifestum profectò omnibus esse de-  
 beat, illius fuisse id omne opus, qui sine tempore per-  
 ficit quidquid divinæ suæ perfectissimæque voluntati pla-  
 cuerit. Equidem pridem ad Rmæ Dominationem ve-  
 stram perlata fuerit universalis consolatio, atque læti-  
 tia spiritualis, quam Sancta Sedes a Patre misericordia-  
 rum, & Deo totius consolationis intimis percepit visce-  
 ribus ex hoc singulari dono; quantum vero hæc singu-  
 lari dono minima Societas hauserit in diesque hauriat,  
 qua tandem oratione explicari possit, ignoro. Sine fine  
 laudetur ab omnibus creaturis suis Dominus noster Jesus  
 Christus, qui tam aperte nobis commonstravit thesau-  
 rum gratiæ suæ, & charitatis, tamque suavem detexit,  
 tamque potentem Providentiæ suæ dispositionem in hac  
 Angliæ reconciliatione; & quando ejus perfecta sunt  
 opera, dignetur corroborare, atque amplificare tam ma-  
 gnum beneficium universæ præstitum Ecclesiæ, ut magis  
 ac magis in dies cognitis, & gloria ejus sanctissimi no-  
 minis propagetur, & pretiosissimus ille Sanguis, quem  
 una cum vita obtulit æterno Patri, cum effectu appli-  
 cetur saluti animarum. Hoc possum affirmare, nobis uti  
 Rmæ Dominationi vestræ addictissimis, atque omni of-  
 feriorum genere adstrictis, ingenti solatio fuisse, quòd  
 divina Sapiencia Rmæ Dominationis vestræ in primis stu-  
 dio, atque diligentia hoc tam magnum opus perficien-  
 dum tradiderit, Serenissimam Reginam intra regnum,  
 una cum Serenissimo Rege, foris vero Rmæ Domina-  
 tionem vestram protegendo, ut huic tantæ gratiæ, quan-  
 ta in tali regno reducendo necessaria fuit, impedimentis  
 omnibus superatis, cooperaremini.

2. Et quoniam perspecta mihi est charitas, qua mi-  
 nimam hanc Societatem nostram Rmæ Dominatio ve-  
 stra complectitur, & qua inter summi momenti nego-  
 tia etiam nostri memoriam fovet, avetque de rebus  
 nostris, quemadmodum constitutæ sunt, scire, cogno-  
 scere



scere poterit, quod in Domo Professa, & in Collegio Romano, atque Germanico in melius omnia proficiunt. Nam præter sexaginta personas Domum Professam incolentes, in Collegio sunt plures septuaginta: scientiæ vero (legum, & medicinæ disciplinis exclusis) traduntur omnes, multo cum fructu nostrorum, & externorum auditorum, qui multi sunt & superant quingentos. Ii qui in Collegio Germanico commorantur, progressum in virtute, & litteris faciunt optimum, speramusque divinam bonitatem inter illos parare sibi instrumenta insignia ad suum obsequium, earumque nationum spirituale auxilium. Est apud illos unus Anglus indolis & ingenii boni, & in Collegio nostro Hibernus magnæ spei unus: si in rem futurum existimaverit Dominatio V. Rm̃a mittere isthinc aliquos ingenio & naturâ factos ad litteras ad utrumvis Collegium, in spem venio brevi tempore regredi eos posse ingenti cum fructu vitæ & doctrinæ, & hujus Sanctæ Sedis summa cum veneratione. Id enim omni accuratione agitur, ut quod in ista Civitate sanctum est, eo his in domibus imbuantur, & quod contrarium reperitur, damno non sit. Dominatio V. Rm̃a accuratius rem universam perpendet; nostrum esse duximus id offerre, quod animo nostro injicit illa, quam ~~ma~~ a, supremaque charitas nobis impertitur. cup. ~~o~~ serviendi animabus istorum regnorum juxta minimam vitæ nostræ rationem. Commendo me humillimè sanctis precibus Rm̃æ Dominationis V., finioque rogando Deum Dominum nostrum, ut omnibus det gratiam cognoscendi semper, & perfectissime adimplendi ejus sanctissimam voluntatem.

Roma 24. Januarii anni 1555.



8.  
Maji  
1555.

## EPISTOLA XVI.

Reginaldus Polus Ignatio Lojolæ.

*Ad præcedentem humanissimè respondet; ac Marcellum II. laudat eximium Societatis Jesu fautorem.*

Reverende in Christo frater charissime.

**R**everentiæ vestræ literas accepi de felici eventu, quem Dei clementia hoc in regno per Serenissimorum horum Principum pietatem negotio, rebusque religionis præbere dignata est; ac magnopere sum delectatus iis rebus intellectis, quas mihi de sua scribit Societate, cui Deus Dominus noster dignetur constanter in obsequio suo favere; id quod se facturum multo magis nunc sperari debet, cum infinita ejus clementia dignata est Ecclesiæ suæ caput ejusmodi providere, ut a bona ejus mente meritò bona omnia possint sperari vel maxima, certumque habeo, Sanctitatem suam singulari patrocínio & favore Sanctam Societatem vestram complexurum. De reliquo divinam rogemus bonitatem, ut quemadmodum dignata est, quantam habeat Ecclesiæ suæ curam, demonstrare, hoc ei Pastore tantæ necessitatis tempore providendo; sic etiam velit universam Christi consolari pace rempublicam, de qua nunc apud hos duos potentissimos Principes agitatur; quietem etiam bonumque hujusce regni ordinem firmare, atque stabilire felici Serenissimæ hujus Reginæ partu, qui expectatur: qua in re certum mihi est assiduè exerceri charitatem V. P., suorumque fratrum, quorum piis precationibus valde me commendo, nominatim verò saluto charissimum nostrum Bobadillam.

Rigoduno die 8. Maji 1555.



## EPISTOLA XVII.

23.  
Febr.

Ignatius Lojola Claudio Abassiæ Regi.

1555.

*De Patriarcha & Sociis ejus ad Regem missis cum ampla Romani Pontificis vicaria potestate, a Jesu Christo per Apostolum Petrum derivata; ubi præclarè de potestate, atque unitate Catholicæ Ecclesiæ. Vide n. 167. a p. 181., & n. 161. a p. 175.*

Domine mi in Domino nostro Jesu Christo.

Gratia tuæ Celsitudini & salus, & affluentia donorum spiritualium, a Domino nostro Jesu Christo.

I. **S**erenissimus Portugalliæ Rex, pro ea sollicitudine ac zelo, quem illi Deus Creator noster, ac Dominus dedit gloriæ sancti sui nominis, & salutis animarum, quæ unigeniti ejus filii pretioso sanguine, & vita redemptæ sunt; non semel ostendit mihi per literas, pergratum sibi fore, si e Religiosis nostræ minimæ Societatis, quam \* vocant Jesu, duodecim viros designarem, e quibus ille Patriarcham unum, duos coadjutores pariter, & successores eligeret, iisdemque a Summo Christi Domini nostri Vicario suppliciter peteret auctoritatem, & jus, quo jure ad suas quisque partes rite obeundas ipsi cum Sacerdotibus aliis in tuæ Celsitudinis regna transmitti possent. Ego, pro eximiis inter cæteros Christianos principes, ejusdem Serenissimi Regis Portugalliæ meritis erga Societatem nostram universam, nostræque vicissim omnium in illum observan-

V u u 2 tia

\* Notat hic Cl. Laguna, S. Ignatium non absolutè, ut fere aliàs, hoc loco dicere Societatem Jesu, sed moderatius Societatem, quam vocant Jesu, ob concitatos paulo ante a Sorbona tumultus de nomine in primis Societatis Jesu; de quibus supra n. 169. a p. 183.; de nomine autem Societatis Jesu, n. 159. a p. 170. Jam vero B. Pater, ni fallor, communem fidelium cum Romana Sede loquendi usum Abassinis gentibus tradendum putavit, nulla obtrestantium habitàtione, qui obliquo Societatem oculo limarent.



23. *Febr.* 1555. tia & pietate, feci quod jusserat: consultoque sequutus numerum qui Christi Domini nostri, Apostolorumque ejus collegium referret; præter ipsum Patriarcham, Sacerdotes duodecim supplementi, ac velut Seminarii causa, e corpore nostro cunctos excepsi: qui ad sublevandas juvandasque animas, tuæ Celsitudinis imperio ac ditioni subjectas, sese vitamque suam in omnem laborem atque discrimen offerrent. Atque hoc libentius parui, quod præcipua quadam alacritate sentio me sociosque meos omnes ferri ad obsequium & cultum Celsitudinis tuæ, haud immerito, quippe quæ inter tot circumfusas undique nationes infidelium, & hostium nominis Christiani, vestigiis majorum (1) suorum insistentis, ad conservandam ac promovendam Christi Domini ac Dei nostri religionem & gloriam diligenter incumbit.

2. Quam ipsam ob causam optandum fuerat, uti ad hæc tam recta tuæ Celsitudinis studia conatusque, subsidium accederet spiritualium Patrum, quibus & legitima potestas ab hoc Sanctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivata, & fidei Christianæ pura & sincera doctrina suppeteret, quæ nimirum duæ sunt claves illæ regni cœlorum, quas Christus Dominus noster Sancto Petro, & omnibus qui deinceps in ejus erant solio sessuri, promisit prius, dein ipsa re tradidit. Promisit tantummodo, cum ad eum dixit (ut legimus apud Divum Matthæum Evangelistam (2):) *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves regni cœlorum; & quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quidquid solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Tradidit, ac promissa patravit; cum post resurrectionem, antequam in cœlum ascenderet, sciscitatus ex eo ter  
(quem-

(1) Hos majores recensuit Alphonsus Mendez Patriarcha in conatione habita 11. Februarii 1626. coram Abassia Rege, Magnatibus, Cœnobiarchis, & immenso Populo, ut videre licet in ejusdem Alphonsi *Vitæ Theologia catechetica præfixa* a p. 113.

(2) *Matth. cap. 16. v. 18. & 19.*: multæ hic *Lagua* cum *Policis* de vero hujus testimonii sensu.



(quemadmodum affirmat Divus Joannes Evangelista (1):) 23.  
*Simon Bar - Jona diligis me plus his?* Subjunxit in singu- Febr.  
 la responsa: *Pasce oves meas*: committens illi non par- 1555.  
 tem aliquam ovium suarum, sed totum prorsus gre-  
 gem, universa cum plenitudine potestatis, ad alendos  
 vitali Christianæ religionis pabulo cunctos ubique fide-  
 les, eosdemque ad cœlestia sempiternæ beatitudinis pas-  
 cua perducendi: Ac cæteris quidem Apostolis aucto-  
 ritatem Christus Dominus noster impertit delegatam,  
 ac veluti extra ordinem: at Sancto Petro ejusque Suc-  
 cessoribus ordinariam dedit ac plenam; ut ab hoc Sum-  
 mo Pastore, tamquam a fonte, reliqui animarum pa-  
 stores peterent, eidemque acceptum ferrent, quidquid  
 omnino juris ad suum quisque munus ac regimen obti-  
 nerent: quod olim adumbrasse per Isaiam (2) videtur  
 Do-

(1) Joan. 21. v. 15. 17.: quod in singula Petri responsa Chri-  
 stus subjunxisse dicitur: *pasce oves meas*, ad Æthiopum Impera-  
 torem ex sacris idolorum Bibliis opportune scribitur; præsertim cum  
 idem plane videatur vulgata sensus, licet versu 15. & 16. *agnos*,  
 solo autem v. 17. *oves* e Græco verterit: nam Græce v. 16. eadem  
 omnino voce *oves* commendantur, qua v. 17. & quin & v. 15. ce-  
 lebris Codex Græcus Cantabrigiensis *oves* habere dicitur, non *agnos*  
 ut alii & Græci & Latini. Qua de re August. tract. 123. in c. 21.  
 Joan. legit primo ex Evang. *pasce agnos meos*, iterum *agnas meas*,  
 tertio *oves meas*, ut est in Vulgata; sed mox in commentario tam  
*agnos pro ovibus*, quam *pro agnis oves usurpat*, dicens: interro-  
 gat nec semel sed iterum ac tertio, utrum Petrus eum diligat,  
 nec aliud toties audit a Petro, quam se diligi: nec aliud toties  
 commendat Petro, quam suas oves pasci.... Merito dicitur Pe-  
 tro, *diligis me?* & respondet: *amo te*, eique refertur, *pasce a-*  
*gnos meos*, & hoc iterum, hoc tertio. Adde quod in ipsa etiam  
 Vulgata unum & idem est *agnus* & *ovis*: nam teste Matthæo c. 10.  
 v. 16. dixit Dominus: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio lu-*  
*porum*; teste vero Luca c. 10. v. 3.: *Ecce ego mitto vos sicut a-*  
*gnos inter lupos*, ubi Codex Græcus Oxoniensis *oves* habet, non *a-*  
*gnos*. Non satis hac perpendisse videtur eximius Joannis interpret Fran-  
 ciscus Toletus Annot. 7. in cap. 21. his verbis: *Nostris temporibus*  
*aliqui pro eodem sumunt agnos, & oves, nempe fideles omnes;*  
*tamen cum tanta sit inter agnos, & oves differentia, probabile*  
*non est pro eodem esse accepta in ea sententia, quæ tanti me-*  
*menti est. Videtur Cornelium a Lapide.*

(2) Cap. 22. v. 22.



23. Dominus, cum de Eliacim loquens Pontifice Maximo :  
*Febr. & dabo, inquit, clavem domus David super humerum ejus ;*  
 1555. *& aperiet, & non erit qui claudat ; & claudet, & non*  
*erit qui aperiat : quo videlicet typo figuratus est Pe-*  
*trus, ejusque Successores, quibus datam integram po-*  
*testatem declarant claves, consuetum utique symbolum,*  
*& insigne pleni atque absoluti dominii.*

3. Quæ cum ita sint ; Celsitudo tua gratias debet in-  
 gentes Domino Deo nostro, quod ipsa regnante potissi-  
 mum, dignatus fuerit istis nationibus mittere veros ani-  
 marum pastores, qui a Summo pendeant Pastore ac Vi-  
 cario quem reliquit in terris Jesus Christus Dominus no-  
 ster ; & quantamcumque habent potestatem, quæ sane  
 perampla est, hanc ab eodem illo Vicario totam accepe-  
 rint. Nec sine causa, patri avoque tuæ Celsitudinis dis-  
 plicebat sumi ab Urbe Alexandria Patriarcham, quippe,  
 sicuti divulsum a corpore membrum, neque motum, ne-  
 que sensum, neque omnino vitam a corpore accipit suo ;  
 ita Ægyptius Patriarcha, sive ille Alexandria, seu Mem-  
 phi degat, cum schismaticus sit ac disjunctus ab hac sa-  
 crosancta Sede Apostolica, & ab Ecclesiæ totius capi-  
 te Pontifice summo ; videlicet vitam gratiæ, & pasto-  
 ralem auctoritatem, nec sibi recipit ipse, nec alteri  
 cuiquam valet legitimam impertire. Ecclesia namque Ca-  
 tholica, una tantum est in orbe terrarum : neque fieri  
 potest, ut alia Romano Pontifici, alia pareat Alexan-  
 drino. Uti sponsus ejus Christus unus est, sic sponsa il-  
 lius unica, de qua Salomon ait in Canticis (1) ex per-  
 sona Christi Domini nostri : *Una est Columba mea : &*  
*Oseas (2) Propheta : Congregabuntur filii Israel, & filii*  
*Juda pariter, & ponent sibi met caput unum : & in ean-*  
*dem sententiam multo deinde post Sanctus Joannes (3) :*  
*Fiet, inquit, unum Ovile, & unus Pastor. Una erat,*  
 quemadmodum in Genesi legimus, Arca Noe ; extra  
 quam nulla omnino salus, unum tabernaculum, quod  
 fabricatus est Moyses. Unum Hierosolymæ templum a  
 Salo-

(1) *Cap. 6. v. 8.*

(2) *Cap. 1. v. 11.*

(3) *Cap. 10. v. 16.*



Salomone conditum, quo in templo sacrificare, & ad- 23.  
 rare oportebat: una cujus staretur iudicio Synagoga. Febr.  
 Hæc nimirum omnia Ecclesiam denotabant, quæ una 1555.  
 est item; extra quam nihil boni. Etenim qui cum ejus  
 corpore conjunctus non fuerit, nempe nullum a Chri-  
 sto capite recipiet influxum gratiæ vivificantis animam,  
 ac præparantis ad felicitatem æternam. Hujusce unita-  
 tis declarandæ causa, contra quosdam hæreticos in Sym-  
 bolo canitur: *Credo unam Sanctam Catholicam, & Apo-  
 stolicam Ecclesiam*: damnatusque a Sacris Conciliis error  
 est, privatas Ecclesias, ceu Alexandrinam, Constanti-  
 nopolitanam, aut similes dari, quæ communi omnium  
 capiti subjunctæ non sint Pontifici Romano, ex quo  
 perpetua serie a Sancto usque Petro (qui Christi Do-  
 mini jussu, uti a Divo Marcello Martyre (1) traditum  
 est, Romanam elegit Sedem, eamque suo cruore san-  
 civit) perducti Romani Pontifices, Vicarii Christi ci-  
 tra controversiam a tot ac tanta sanctitate Doctoribus  
 Lati-

(1) *S. Marcelli ad Antiochenos epistola, in qua id legitur, a  
 Catholici S. Ignatii coavis legitima censebatur, & passim a viris  
 quibusque doctis mis laudabatur; ac licet fuerit mox in dubium re-  
 vocata, non ita illud tamen ejus enuntiatum, de quo S. Ignatius,  
 ut Laguna hic fusiùs disputat: Sed præstat Melchiorem Canum lib. 6.  
 c. 8. audire hac de re Marcello cum alio producto, disserentem his  
 verbis: Nec verisimile fit, ut rem tam necessariam ad Ecclesiæ  
 unitatem continendam Christus Dominus Apostolis suis non re-  
 velarit. Si enim Moysi locus ille revelatus est, quem Dominus  
 elegerat, ut inde a Judæis divina oracula peterentur, quanto ma-  
 gis credendus est Christus Petro manifestasse, quisnam esset il-  
 le locus, ubi constituerat regni sui, & principatum, & sedem  
 collocare? Atque si, ut transferretur Ecclesia Hierosolymitana  
 in Civitatem Pellam, voce Domini sunt Apostoli admoniti, ut  
 Eusebius, & Epiphanius referunt, multò magis credemus, ut e  
 Civitate Antiochena Romam emigraret Petrus, Cathedramque in-  
 de transferret, Dominicis oraculis fuisse commonitum. Quod si  
 ita est, ut revera est, nec aliud nisi absurdissimè credi potest;  
 jam hinc fideles intelligant, . . . . Id quod non obscure significatur  
 a S. Leone M. sermone 1. cap. 5. de SS. Apostolis Petro, & Pau-  
 lo, sic Petrum alloquente: Trophæum Crucis Christi Romanis ar-  
 cibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant & ho-  
 nor potestatis, & gloria passionis.*



23. Latinis, Græcis, omniumque nationum habiti; a Sanctis  
 Febr. Anachoretis, Episcopis, & aliis Confessoribus adorati,  
 1555. tot signis atque miraculis, tot denique martyrum, qui  
 in hac fide, & unione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vitam  
 profudere, testimonio comprobati sunt.

4. Merito igitur, consentienti Episcoporum omnium  
 voce qui ad Calcedonensem convenerant Synodum, Pa-  
 pæ Leoni pariter acclamatum (1) *Sanctissimus, Apostoli-  
 cus, Universalis*. Et in Constantiensi (2) damnata est  
 hæresis negantium super omnes, & singulas omnium ter-  
 rarum Ecclesias, Primatum Romani Pontificis eminere.  
 Ad quas tam disertas firmasque Patrum sanctiones atque  
 decreta, Concilii quoque (3) Florentini, quod sub Eu-  
 genio IV. præter alias nationes, a Græcis etiam, Ar-  
 meniis, & Jacobitis tanto studio celebratum est, in  
 hæc verba accessit auctoritas: *Definimus Sanctam Apo-  
 stolicam Sedem, & Pontificem Romanum, in universum or-  
 bem tenere primatum, ac successorem esse Petri, & verum  
 Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Chri-  
 stianorum patrem, & doctorem existere: & ipsi in Beato  
 Petro, pascendi, regendi, gubernandi universalem Eccle-  
 siam, a Domino Jesu Christo potestatem plenam esse tradi-  
 tam. Jure igitur Serenissimus Rex David, tuæ Celsitu-  
 dinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici  
 deferendum Legato, Sanctam hanc Sedem omnium ma-  
 trem, ac principem agnovit: Cumque alia multa & præ-  
 clara ipsius, pariter & tuæ Celsitudinis acta numeren-  
 tur; tum duo hæc ejusmodi sunt, ut eorum præstan-  
 tiam nulla unquam obscuratura videatur oblivio: ac  
 proinde ab omnibus qui sub isto vivunt imperio, im-  
 mortales Auctori honorum omnium Deo debentur gra-  
 tiæ pro tam singulari in eos beneficio, vestra duorum  
 opera, industria, virtute collato: cum alter omnium  
 primus se in illius potestate qui Christi vices gerit in  
 terris, perpetuo fore professus sit; alter item primus  
 dictum ab eodem Christi Vicario Patriarcham, verum ac  
 legi-*

(1) *Act. 3.*

(2) *Sess. 8. & 15.*

(3) *Sess. 25.*



legitimum Sacrosanctæ Sedis hujusce filium in sua re-  
gna perduxerit.

23.  
Febr.

5. Etenim si in magni cujusdam beneficii loco ha-  
bendum est, ut profecto est, insitos esse corpori my-  
stico Ecclesiæ Catholicæ, quod a Spiritu Sancto vivifi-  
catur ac regitur, quam, teste Evangelio (1), idem Spi-  
ritus docet omnem veritatem; si eximium est munus,  
lucem sanæ doctrinæ intueri, & Ecclesiæ fundamentis  
insistere, quam Apostolus Paulus ad Timotheum (2)  
scribens, domum Dei columnam, & firmamentum veri-  
tatis appellat; cui se promisit in æternum affore Chri-  
stus Dominus, inquiens, *Ecce ego vobiscum sum usque  
ad consummationem sæculi*, ut legimus apud Matthæum  
Evangelistam (3); est sane cur sine fine gratulentur  
istæ nationes Deo Domino, & conditori nostro, cujus  
providentia, per tuam parentisque tui Celsitudinem  
tanto illos bono dignata est, præsertim cum jure speran-  
dum sit, ex hac ipsa conciliatione consensuque, fore,  
Christo Domino moderante, ut cum spiritualibus tem-  
poraria quoque incrementa, non sine amplificatione im-  
perii tui, & hostium abjectione proveniant.

1555.

6. Sacerdotes qui mittuntur isthuc, omnes quidem,  
sed præcipue Patriarcha, coadjutoresque, & successo-  
res ejus duo, spectata admodum virtute sunt, & no-  
stra in Societate probati per omnia: ac propter illu-  
strem caritatem, & exquisitam rectamque doctrinam  
ad hoc tanti momenti opus adsciti. Neque vero illis  
animus in idipsum aut alacritas deest, haud levi con-  
cepta fiducia, labores suos, ad Christi Domini gloriam,  
tuæ Celsitudinis rem, animarum auxilium, pari cum  
operæ pretio collocandi. Humanæ quippe salutis amor,  
illos, & Christi Domini aliqua saltem ex parte imi-  
tandi exstimulat studium; qui cruciatus ac necem subiit

X x x

vo-

(1) Joan. 16. v. 11.

(2) Epist. 1. c. 3. v. 15.: *ut scias, quomodo oporteat te in do-  
mo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firma-  
mentum veritatis.*

(3) Cap. 28. v. 20.: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus  
usque ad consummationem sæculi.*



23. volens ac libens, uti mortales ab æterna calamitate re-  
*Febr.* dimeret: aitque per Evangelistam (1): *Ego sum pastor*  
 1555. *bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*  
 Hoc exemplo incitati Patriarcha, & cæteri parati ve-  
 niunt, non verbo dumtaxat, consilioque, & spirituali-  
 bus adjumentis; sed ipsa morte, si res ferat, pericli-  
 tantibus animis opitulari. Tua Celsitudo quo interiorum  
 illos ad consuetudinem ac familiaritatem admiserit; eo  
 majorem, ut spero, capiet in Domino voluptatem.  
 Jam vero, quod pertinet ad fidem ac pondus eorum  
 quæ ab ipsis vel publice vel privatim exponentur, non  
 ignorat Celsitudo tua, omnium (quatenus rite Legati  
 sunt) sed Patriarchæ præcipue dictis, Apostolicæ fidei  
 pondus, & auctoritatem inesse: ac perinde illis & Ec-  
 clesiæ credi oportere; cujus ab ipsis interpretanda sunt  
 verba, & sententiæ.

7. Et quoniam Christi fideles cunctos Ecclesiæ fir-  
 miter assentiri, ejusque decretis obtemperare, & si  
 quid existat ambiguum, aut obscurum, eandem consu-  
 lere necesse est; non dubito quin tua excellens pietas,  
 probitasque publico edicto curatura sit in suis regnis,  
 uti omnes omnium ordinum homines tum Patriarchæ ip-  
 sius, tum eorum, quos ille sibi substituet, dicta, præ-  
 cepta, responsa citra ullam dubitationem sequantur.  
 Constat ex Deuteronomio (2), de controversiis omni-  
 bus, ac nodis ad Synagogam Ecclesiæ prænuntiam re-  
 ferri

(1) *Joan. cap. 10. v. 11.*

(2) *Cap. 17. v. 8.*: Si difficile, & ambiguum apud te judi-  
 cium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam &  
 causam, lepram & lepram: & judicium intra portas tuas videris  
 verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Do-  
 minus Deus tuus. 9. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis,  
 & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui  
 indicabunt tibi iudicii veritatem. 10. Et facies quodcumque dixe-  
 rint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.  
 11. Juxta legem eius; sequerisque sententiam eorum: nec decli-  
 nabis ad dexteram, neque ad sinistram, 12. Qui autem super-  
 bierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore mi-  
 nistrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo il-  
 le, & auferes malum de Israel. 13. Cunctusque populus audiens  
 timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ.



ferri solitum: hinc illa quoque Christi Domini ver-  
 ba (1): *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pha-*  
*risæi.* Idipsum in Proverbiis (2) docet sapientia Salo-  
 monis, cum ait: *Ne dimittas præcepta matris tuæ* (ea  
 est Ecclesia); & alibi (3): *Ne transgrediaris terminos an-*  
*tiquos, quos posuerunt patres tui.* Ii sunt ejusdem antisti-  
 tes. Denique tantum Ecclesiæ suæ tribui, ac deferri  
 vult Christus Dominus; ut per Sanctum Evangelistam  
 Lucam (4) aperte denuntiet: *Qui vos audit, me audit:*  
*qui vos spernit, me spernit.* Et per Sanctum Matthæum (5):  
*Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & pu-*  
*blicanus.* Ex quo apparet, ne aures quidem præben-  
 das iis, qui alienum quippiam à sensu & interpreta-  
 tione Catholicæ Ecclesiæ attulerint; Sancto quoque Pau-  
 lo in epistola ad Galatas (6) idipsum præmonente, cum  
 ait: *Si aliud vobis Angelus de cælo evangelizaverit, præ-*  
*ter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ad sum-  
 mam, hoc idem Sancti Doctores, Conciliorum Cano-  
 nes, fidelium omnium consensus, & consuetudo plane  
 demonstrant.

8. Ac vicissim Patriarchæ ac sociis pariter omnibus  
 certum est fixumque, tuam Celsitudinem assiduo cul-  
 tu, submissione, atque etiam quoad fas, piæque fe-  
 rat, indulgentia prosequi. Nos vero quotquot in hi-  
 sce terris è minima nostra Societate retinemur, tua  
 Celsitudo ad omne obsequium in Domino paratissimos  
 habeat. Nostris quidem certe precibus, & sacrificiis,  
 ut jam instituimus, Deo supplicare pergemus, uti Re-  
 giam Celsitudinem tuam, regnumque istud amplissimum  
 in sancto Christi famulatu conservet: detque illi ita

X x x 2

tran-

(1) *Matth. 23. v. 2.*(2) *Prov. cap. 1. v. 8.:* Audi, fili mi, disciplinam patris tui,  
& ne dimittas legem matris tuæ.(3) *Ib. c. 22. v. 28.*(4) *C. 10. v. 16.*(5) *Cap. 18. v. 17.*(6) *Cap. 1. v. 8.:* Sed licet nos, aut Angelus de cælo evan-  
 gelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathe-  
 ma sit. 9. Sicut prædiximus vobis, & nunc iterum dico: Si quis  
 vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.



23. transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.  
 Febr. Idem ipse Deus ac Dominus noster, omnibus nobis ad  
 1555. sanctissimam ipsius voluntatem, & clare cernendam,  
 & rite exsequendam, perpetuum lumen, ac vires pro  
 sua infinita bonitate suppeditet.

Romæ VII. Kalen. Martias MDLV.

23.  
 Febr.  
 1555.

EPISTOLA XVIII.

Ignatius Lojola Joanni Nuñez Barreto.

*De laboriosa Patriarchæ dignitate non repudianda: de Sociis  
 cum eo mittendis, & ab ipso regendis; quorum sibi  
 quatuor Consiliarios, & alium Correctorem deli-  
 gat. De vivæ vocis oraculo, gratiisque am-  
 plissimis. Vide n. 168. a p. 152.*

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 adsit nobis semper auxilio, & favore.

1. **A**ccepi, frater carissime, tuas literas die 12. Sept.,  
 22. Oct., & 2. Nov. subscriptas, quibus, ubi  
 responsionem requirunt, his unis satisfaciam, primùm  
 gratiis amplissimis actis Deo Domino nostro, qui vera  
 est salus, ob eam quam tibi donavit: faxit idem, ut  
 ipsam in obsequium suum impendas, ejusdemque glo-  
 riam apud illas gentes promovendam; quod equidem  
 ita te facturum spero ingenti animarum illarum fructu,  
 quibus juvandis tuam in terris peregrinationem proten-  
 derit: maximis semper laudibus sanctum ejus nomen  
 ornetur, & efferatur.

2. Patriarchæ munus, & officium quod attinet, a  
 Rege tibi sua sponte & voluntate delatum, atque a  
 Sanctissimo Patre nostro, Christique Domini nostri Vi-  
 ca-



cario, sacro ejus Collegio universo approbante confirmatum, ut alias tibi scripsi, ego quidem non puto posse te illud non admittere, idemque de adjutoribus tuis arbitror: ac licet humilitati vestrae, atque abjectionis amoris, quem pro nostrae vitae instituto fovere debetis, gravis sane crux videatur sitque reipsa, quamlibet subire dignitatem; haec tamen vestrae, cum propter conjunctos sibi labores, & pericula longe ab illis differant, quae ambitioni, & cupiditati alendae materiam praebent; sintque necessariae, ut tam late patens illarum gentium bonum procuretur, & quidem cum maximo divini cultus incremento; non est contra obnitendum, sed illius bonitati fidendum, cujus uno amore id oneris suscipitur, eidem ferendo opem & auxilium vobis laturum: qui etiam discrimen, in quod pro ipso vos obicitis, in coronam vertet eximia, ac aeternae remunerationis: me autem studiosam ista voluntate meam sequendi sententiam in re etiam tam gravi, vestraeque propensione repugnante, maxime devinxeritis. Quare in meis totiusque Societatis precationibus apud Deum singularissimam tibi polliceor memoriam, qua certe oportet, ut te tuosque Socios pro tam praeclearis conatibus complectamur. Spero autem fore, ut divina clementia vota tua fortunet, quae foves, ut a Deo in virum alterum muteris, bono scilicet in melius commutato, perfectoque in perfectius, humanae fragilitati vitiosae per se atque imperfectae vires eadem suggerente.

3. Sociorum numerus, quos praeter te duodecim alios petis Sacerdotes, probatur mihi quam maxime: quapropter extra illos octo, qui & hinc, & e Castella moverint, quatuor praeterea Sacerdotes oportebit e Lusitania sumere, ac tres etiam vel quatuor fratres; si quidem id e Regis sententia fuerit: quorum delectus hinc fieri non potest, censeo autem oportere, ut in unum cum Provinciali, ordinariisque ejusdem Consiliariis convenientes (aliis praeterea, qui vobis videbuntur, accitis), de Sacerdotibus, ac ceteris decernatis. Quamvis enim vestrum omne solatium percipiam, tamen providere cum debeam, ne istud de-

sti-

23.  
Febr.  
1555.



23. stituatur regnum aliaque loca, quibus inde Societatis  
 Febr. suppetiæ deferuntur, fierique posset, ut nonnulli planè  
 1555. hîc necessarii, non ita forent in Æthiopiam utiles; hæc  
 melius istic omnia cominus perpendentur: eorum itaque  
 iudicio stabo, quos nuper designavi. Quod si vobis cum  
 illis non convenerit, rationes utriusque partis ad Regem  
 deferantur, & quod fuerit ab eo definitum, efficiatur.

4. Ad Socium quod attinet, cui secretò obedias, uti a me ad hoc expresse delegato; quanquam mihi probatur maximè tuum istud obediendi studium, & animus Societati adeo conjunctus, sentio tamen a te non nisi Deo Domino nostro, ejusdemque in terris Vicario esse obediendum. Quatenus verò integrum mihi est Superiorem eis constituere, qui nunc illò mittuntur, nullum planè habeo, cui magis fidam, quàm te, tuosque adjutores, qui te comitantur. Quamobrem ipse omnium, qui e Societate illuc venerint, curam geres, non ut Patriarcha solùm, verùm etiam ut Superior, qui vices meas gerat; & in illos, & in alios etiam omnes, qui eòdem e Societate appulerint: quod idem de Sociis constituo, qui Successores tui sunt designati, ut te a Deo Domino nostro e vivis evocato, in locum tuum sufficiantur.

5. Commissarium, cui Patriarcha subsit, constituere, quod nunc quidem attinet, non mihi videtur expedire\*; nec Visitatorem Brevis Apostolico: igitur & hoc, & obediendi præceptum, quo istud onus ipse, tuique adjutores suscipiatis, *vivæ vocis oraculo* vobis mandatur; quod poterit fidem in iudicio facere, & ejusdem, ac Brevis, momenti erit. Adhibita est cura, ut gratiæ mittantur amplissimæ, sicut delatas perspicies; quod si quid deerit, petitioni huc missæ diligentia nostra non deerit. Præterjanni singulare Breve non est scriptum, quoniam Bullæ mittuntur ad eundem; quanquam & illud juxta ea quæ sunt institutioni adjuncta, petitum fuerat.

6. Ali-

\* *Qua p. 177. n. 162. ex Orlandino descripsi de Commissario ampla cum potestate a S. Ignatio nominato in aliud fortasse tempus referuntur.*



6. Aliqua tibi rerum gerendarum institutio mittitur, 23.  
 quoad ex his, quæ de Præteianne regnisque suis huc Febr.  
 afferuntur, assequi potuimus: eâ utêris cum tibi vide- 1555.  
 bitur, quin religioni ducas eâdem non uti, cum alia  
 tibi sententia placuerit. Jam vero istic quatuorviratus  
 apud vos ipsos mittendos instituatur, e duobus nimirum  
 tuis adiutoribus, aliisque duobus porrò designandis; his  
 autem quatuor delator, seu Syndicus adjungatur (quem  
 ut voles nuncupabis), qui, ubi opus erit, ad Provin-  
 cialem Indiæ referat, & huc etiam Romam. Deligen-  
 di autem videntur ex iis esse debere, qui sunt profec-  
 turi, & quidem doctiores.

7. Atque ut vicinas etiam illas Prætejanni gentes,  
 aliasque similes rebus divinis in animis juvare possis,  
 vides profectò amplam tibi concedi facultatem: faxit  
 Deus Dominus noster, ut infundatur vobis virtus Spi-  
 ritus Sancti, ac benedictione sua sanctâ fideles vos fa-  
 ciat operarios, & efficacissima providentiæ divinæ in-  
 strumenta regnis illis ad veram suam viam adducendis.  
 Vos autem aliorum animabus tuendis ita incumbetis,  
 ut vestras non negligatis, congruenti nimirum adhibi-  
 tâ curâ, ut virtutis omne genus ad Dei Domini no-  
 stri gloriam conservetis, qui pro sua infinita bonitate  
 gratiam omnibus largiatur, qua ejusdem semper volun-  
 tati adhaereamus, atque integrè satisfaciamus.

Româ 23. Februarii 1555.

*Totus tuus in Domino nostro*

*Ignatius.*



28.  
Febr.  
1555.

## EPISTOLA XIX.

Ferdinandus Romanorum Rex Ignatio Lojolæ.

*Præmissis laudibus Societatis, gaudet de Sociis mittendis ad Pragense Collegium inchoandum: addicit reditus sufficientes: benevolentiam, & favorem pollicetur.*

*Foris.* Honorabili, religioso, devoto, nobis dilecto Magistro Ignatio de Loyola, Societatis nominis Jesu Præposito Generali. Romam.

*Intus.*

Jesus.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte.

Gratissimæ fuerunt nobis literæ tuæ ex alma Urbe ad diem 22. præteriti mensis Nôvembris datæ, per quas ad nostras de 16. \* Octobris respondisti. Magna enim voluptate nos affecit, quòd pios, & catholicos istos viros, fratres Societatis tuæ sacri nominis Jesu in dies multiplicari, spirituque, & gratia divina magis ac magis crescentes, uberrimos ubique locorum in Christiano populo fructus edere audiamus: siquidem non exiguam spem concipimus, Deum Opt. M., hunc Ordinem tuum laudatissimum & inculpatissimum delegisse, per quem in hisce postremis nostris seculis multum boni operari, suamque benignitatem Orbi Christiano conferre

\* Bollandiani t. 7. Julii a p. 498., & n. 468. quatuor Ferdinandi primi ad S. Ignatium ediderunt epistolas; quarum prima, quæ in secunda hic descripta est de 16. Octobris, data laudate loco dicitur die 20. Octobris: alterutro exemplo mendosè. Primâ itaque solum indicatâ, tres alias hoc anno datas eadem fere de re; suamque loco recudendas putavi.



ferre velit. Ad hæc, haud vulgarem lætitiã nobis at- 28.  
tulit, quòd postulata nostra de mittendis aliquot fra- Febr.  
tribus tuis in regnum nostrum Bohemiã, eum, quem 1555.  
debuerunt, locum apud te habuerint; adeo quod, licet  
magnus numerus ad alia mundi loca nuper emandatus  
sit, teque modo non parum exhaustum esse oporteat,  
intra annum tamen temporis intervallum, petitos duo-  
decim fratres, inter quos futuri sunt duo sacræ theo-  
logiæ Doctores, in dicti regni nostri metropolim Pra-  
gam, ubi nimirum pro salute fidelium subditorum no-  
strorum Collegium instituere constituerimus, juxta vo-  
luntatem nostram missurus sis. Eos itaque suo tem-  
pore expectabimus, ad cujus sanè Collegii erectionem,  
& necessariam sustentationem, quantos & quales re-  
ditus, quæve bona assignare, & deputare decreverim-  
us, fratribus tuis honorabilibus, religiosis, devotis,  
nobis dilectis, Nicolao de Lano, Collegii Viennensis  
Rectori, ac Petro Canisio, sacræ theologiæ Doctori-  
bus significavimus. Sunt autem talia, quod Collegium  
commodè inde interteneri posse putemus. Si quid au-  
tem præterea in te, & sacram Societatem tuam dein-  
ceps quoque benignitatis, & favoris conferre poterim-  
us, nullo tempore voluntatem & propensionem no-  
stram ad id, tibi & illi deesse patiemur. Id quod tibi  
ad præmemoratas literas tuas benignè respondere vo-  
luimus.

Datum in nostra & Imperii Civitate Augusta Vin-  
delicorum, die 28. Febr. anno Domini 1555.,  
Regnorum nostrorum, Romani 25., aliorum ve-  
rò 29.

*Ferdinandus.*



9.  
Mart.  
1555.

## EPISTOLA XX.

Ignatius Lojola Herculi Ferrariæ Duci.

*Religiôsâ grati animi demissione opem & auxilium Ducis implorat, ut quod olim Romæ fecerat, nunc Lutetiæ turbatis Societatis rebus opituletur. Hac de re multa dedi a p. 183. n. 169.*

Jesus.

Illm̄e, & Excellm̄e mi Dñe in Dño nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri Excellentiam vestram salutet, ac visitet sanctissimis suis donis, & gratiis spiritalibus.

Cum Excellentia vestra jam inde ab initiis minimæ nostræ Societatis patronus ejusdem universæ, defensorque prodierit studiosissimus, novum tibi non accidet, quod ubi de rebus nostris agitur divinum obsequium spectantibus, ac de amovendis ejusdem impedimentis, ad eandem confugiamus: cujus profectò rerum id genus sollicitudo, vero Principe christiano digna, nobis, tametsi non essemus Excellentiæ vestræ in nos benevolentiam experti, animos afferret; ut ad majorem divinæ ac summæ majestatis gloriam auxilium a te, favoremque peteremus. Magister Joannes Pelletarius frater noster Excellentiam vestram aliqua docebit de impedimento Lutetiæ illato, vitæ rationibus Societatis nostræ, cum alibi, tum etiam ibidem institutis, & hactenus ad divinum cultum, atque animorum auxilium observatis. Itaque vestram Excellentiam demissè rogo, ut, si quidem ad propositum nobis divinæ gloriæ scopum id expedire censebit, ad Regem Christianissimum scribere ne gravetur; ejus etenim studiosum rerum nostrarum animum conantur nonnulli sinistris narrationibus alienare: quanquam divina bonitate plane confido, il-  
lius



ius urbis oppositiones in causa fore, ut magis veritas  
 illustretur hujusce operis, per infirma hæc instrumenta  
 a Domino Deo nostro inchoati; quod aliàs Romæ no-  
 bis contigit, vestræ Excellentiæ favore cum divina pro-  
 videntia operam suam conferente. Submissè denique So-  
 cietatem hanc universam, vestram potiùs quàm no-  
 stram, ac meipsum vestræ Excellentiæ fidei commendo;  
 atque infinitam rogo, summamque bonitatem, ut te per-  
 petuò ad sanctum ipsius obsequium, & universale bo-  
 num fortunet, suamque gratiam omnibus largiatur ad  
 sanctissimam ejus voluntatem & clarè semper intelli-  
 gendam, & rite exequendam.

Romæ 9. Martii 1555.

*Excellentiæ vestræ humillimus  
 in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

EPISTOLA XXI.

Ignatius Lojola Joanni Polanco, Ludovico Gonzalez,  
 Gaspari Loarte, & Jacobo de Guzman,  
 Societatis Jesu.

4.  
 Maji  
 1555.

*De hac epistola, quæ paternam prodit Ignatii erga infirmos  
 absentes curam, dictum est p. 191. n. 176.*

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
 sit semper in auxilium, & favorem nostrum.

**E** vestris, Reate die xxvii., & Spoletto die xxix.  
 Aprilis datis intelleximus, progressum vestræ pere-  
 grinationis, & invaletudinem magistri Polanci, & do-  
 ctoris Loarte: & considerantes, si non adhiberetur dis-  
 cretio aliqua, habere posse pejùs; visum nobis est, ut  
 si vos omnes quatuor, aut nonnulli ex vobis, dum ha-  
 sce accipietis, Laureti sitis, vestra valetudine id feren-



4. te, statim redeatis Romam; & onero vestram con-  
*Maji* scientiam, ut veniendum vobis sit, adhibita omni com-  
 1555. moditate necessaria, sive equites sitis omnes, sive e-  
 quites partim, partim pedites; ego id relinquo discre-  
 tionī vestræ. Atque ut de omnibus necessariis prospe-  
 ctum vobis sit, scribo ad Dominum Governatorem vo-  
 bis ut prospiciat, & reditus vester rectā dirigatur Ro-  
 mam, aliò non eundo, aut hærendo in aliis locis: quia  
 jam incipiunt ingruere calores. Et me orationibus ve-  
 stris commendans, non dicam aliud, nisi quod precer  
 Deum Dominum nostrum, ut vobis omnibus det gra-  
 tiam cognoscendi, & exsequendi suam sanctissimam  
 voluntatem.

Romæ die iv. Maji MDLV. Si aliqui e quatuor  
 antea fortasse discesserint, illi, qui ibidem re-  
 manserint, aliis significabunt illud, quod hîc  
 scribitur &c.

*Vester in Domino nostro*

*Ignatius.*

EPISTOLA XXII.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

*De Jesuitis Pragam mittendis, & viatico eisdem  
 tribuendo.*

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum,  
 Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte.

1. **A**d ultimum diem superioris mensis Februarii, cum  
 intellexissemus benigna postulata nostra de mit-  
 tendis in regnum nostrum Bohemiæ aliquot Societatis  
 tuæ fratribus, cum, quem debuerunt, apud te locum  
 ha-



habuisse, scripseramus tibi, nos jam significasse fratribus tuis honorabilibus, religiosis, devotis, nobis dilectis, Nicolao de Lanoi, Collegii Viennensis rectori, & Petro Canisio, sacræ theologiæ doctoribus, quod ex bonis, & redditibus Monasterii vacantis Ordinis Cœlestinorum, erigendo Pragæ Collegio vestræ Societatis, necessariam sustentationem assignare, & deputare decreverimus.

30.  
Jul.  
1555.

2. Cum itaque nuper Canisius in regno illo nostro Bohemiæ fuerit, & præsens rationem, ac modum erigendi, & sustentandi hujusmodi Collegii viderit (sicuti haud dubiè ipse etiam per literas suas tibi declaraturus est); nosque propterea cupiamus, fratres illos duodecim, quos eò deputasti vel deputaturus es, primo quoque tempore Pragam advenire; ideo iterum abs te benignè petimus, ut de mittendis illis eam curam habeas, quo etiam ante hyemis initium itineri sese committere queant. Nam quod ad viaticum venturis necessarium spectat, Agenti nostro in urbe committimus, ne iisdem ex parte victûs deesse quidquam patiatur; ut eò commodiùs, ac citiùs Viennam, & inde Pragam iter ingrediantur, sicuti D. Canisius ad te ea de re latiùs perscribet. Et quo citiùs illos missurus es, eo plus etiam lucri in grege Domini facturos speramus, Deusque O. M. hanc diligentiam tibi, & illis cumulatiùs rependet, nos verò hoc ipsum erga te, & dictum Ordinem, seu Societatem tuam quoquo tempore benignè recognoscere admodum propensi erimus.

Datum in nostra, & Imperii Civitate Augusta Vindellicorum, die 30. mensis Julii anno Domini 1555., regnorum nostrorum, Romani 25., aliorum verò 29.

*Ferdinandus.*

EPI-



## EPISTOLA XXIII.

2.  
Aug.  
1555.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

*De duplici dispensatione Pontificia cum Cardinalibus Morono, & Augustano impetranda, Pragensi, & Viennensi Collegiis sancendis: Bolland. t. 7. Jul. p. 499. a n. 476.*

Ferdinandus divinâ favente clementiâ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte:

¶ **H**oc proximè præterito triduo dedimus ad te literas, clementer petentes, ut de mittendis Pragam duodecim illis fratribus Societatis tuæ nominis Jesu, quos te missurum pollicitus es, eam curam haberes, quò etiam ante initium hyemis itineri sese committerent, ideoque te pro tua erga nos observantia, & pietate, & saluti fidelium populorum nostrorum consulendi studio, hoc diligenter curaturum esse, minimè ambigimus. Nunc autem scribimus Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Cardinalibus Morono, regnorum, & provinciarum nostrarum protectori, atque Augustensi, ut nobis primo quoque tempore, & si fieri queat, priusquam fratres illi venturi itineri sese committant, vel ad minimum, ad tempus, quo illi discedent, a S. D. N. duplicem dispensationem obtinere studeant; unam, ut iidem Societatis tuæ fratres Pragam venturi commodum locum habeant, non sibi modò, sed etiam aliis, quos ex populo, & juventute Pragensi piè instituere & juvare poterunt; qui locus est in Monasterio S. Clementis, Ordinis Prædicatorum, diœcesis, & civitatis Pragensis; & propter rationes dictis Reverendissimis Car-  
dina-



dinalibus, in separato quodam & speciali scripto explicatas, petendum erit, quòd commutari valeat in aliud Monasterium Sanctæ Agnetis, Ordinis Sanctæ Claræ, jam desolatum, ut ibidem vivant posthac fratres Ordinis Prædicatorum, e Monasterio Sancti Clementis emigrantes, & cedentes voluntariè venturis fratribus prædictæ tuæ Societatis. 2.  
Aug.  
1555.

2. Alteram verò dispensationem pro Monasterio Divæ Virginis, Ordinis Carmelitarum, diœcesis, & civitatis Viennensis, ut hoc ipsum integrè, ac liberè quoque transeat in usum, & jus perpetuum eorum, qui de Societate Jesu illic magnò cum fructu inhabitant. Porro Agenti nostro in urbe commisimus, ut tecum etiam hac de re conferat; & dictis Reverendissimis Cardinalibus negotium unà tecum commendet. Quapropter te denuò benignè requirimus, tum ut expeditionem fratrum, quos missurus es, maturare velis, tum etiam ut tuam quoque operam in obtinendis dispensationibus unà cum dictis Reverendissimis Dominis Cardinalibus nobis præstes, & rem tam apud Dominiones eorum Reverendissimas, quàm alias ubicumque opportunum fuerit, omni studio, & diligentia promoveas, facturus in eo opus pium, ac salutare, & pro commodiore sustentatione sæpe dictæ Societatis tuæ fratrum valde utile, nobisque maximopere gratum, benignè erga te & Ordinem tuum recognoscendum.

Datum in nostra, & Imperii Civitate Augusta Vindelicorum die 2. mensis Augusti anno Domini 1555., Regnorum nostrorum, Romani 25., aliorum verò 29.

*Ferdinandus.*

EPI-



## EPISTOLA XXIV.

4.  
Aug.  
1555.

Ignatius Lojola Joanni de Vega.

*De Lainez, Salmerone, Ximenez, Domenech, & aliis officiosissima responsio. Vide p. 192. n. 176.*

Jesus.

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri Dominationem vestram salutet, ac visitet sanctissimis suis donis, & gratiis spiritalibus.

1. **D**uas præteriti mensis die 18., & 23. datas a Dominatione vestra literas accepí; quibus gratum sibi fore significat, si Messanæ ad Quadragesimæ conciones habendas Magister Lainez adesse posset, cunctis videlicet a Dominatione vestra id flagitantibus. Ac licet ipsorum literis hac de re mihi perscriptis responderim, ostendens quæ tunc rei subesset difficultas, tum quòd summus Pontifex & eundem, & Magistrum Salmeronem in comitia Germaniæ, atque inde in Poloniam designaverat, tum Ducis Florentiæ conjugis respectu, cui bonæ memoriæ Papa Julius illum miserat, eademque benignè permittente Romam ad breve tempus advenerat; hoc tamen facilè Dominationis vestræ voluntati permitti posset, ut suo arbitratu, quod nostræ quidem sit facultatis, constitueret.

2. Deinceps verò Magistro Salmeroni Germania, Poloniaque destinata, cum Magister Lainez Pontificem convenisset, ut de piis quibusdàm ageret magni momenti rebus, quas sibi Florentiæ Dux commendarat, ratus se simul a Sanctitate sua regrediendi licentiam, & benedictionem habiturum; contra evenit, ut Papa, gravioribus cum eo collatis negotiis, quibusdamque ab ipso monitis acceptis, quæ sibi arriderent, eidem in

vir-



*virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ne Româ discederet, ac donec illa, de quibus agebatur, negotia conficerentur, sæpius coram adesset. Quare nisi alia occurrerit via, seu ratio, qua Pontifex dimoveatur, integrum mihi non erit, hinc ipsum quoquam dimittere. Vestra igitur Dominatio viderit, quid hac in re faciendum sibi videatur, cum nos vetræ simus Dominationis omnes, non in Sicilia modò, sed alibi etiam degentes; ego autem ita sim animo comparatus, ut quidquid mea voluntas feret, ex tua id semper faciam ad Dei Domini nostri gloriam.*

3. Monasterii Ascensionis mandatum accepi; & quoniam Messanensis civitas, ut ex literarum ejus exemplo constat, Pontifici scribit, ad Abbatem Ximenez causam rejiciens, cujus gratiâ Magister etiam adest Hieronymus Domenech; integrum illi mandatum dedi, omnem meam operam planè offerens, quibuscunque demum in rebus eadem uti vellet. Cum autem de ratione negotium hoc tractandi, ac promovendi nos inter ageremus, visum est epistolam ad Cardinalem Moronum desiderari: interim alia est inita via, quæ forsân brevior esse posset, nempe Cardinalis Messanensis. Ceterùm Dominationem vestram de omnibus certiozem fecerit Abbas Ximenez, cui præcipua rei cura commissa est, quam ille plane scite, ac bene promovebit, ut & cetera negotia eidem a Dominatione vestra commendata. Ubi autem ipsi monita, vel consilia nostra usui esse possunt, magna, ut par est, voluntate damus in Domino nostro: qui pro sua infinita, summaque bonitate omnibus velit cumulatum suam impertiri gratiam, ut sanctissimam ejus voluntatem semper sentiamus, & integrè exequamur.

Româ 4. Augusti 1555.

Illustrissimæ Dominationis vestræ

*Humillimus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*

Z z z

E P I.



23.

Oct.

1555.

Ignatius Lojola Philippo II. Regi.

*Modeste, ac religiose precatur, ut Societatem in ditionibus suis Belgicis, uti in aliis jam fecerat, suscipiat, ac tueatur. Vide p. 192. n. 177.*

Gratia, & amor Domini nostri Jesu Christi cœlestibus suis donis Majestatem tuam cumulare dignetur.

Posteaquam intelleximus Cæsaream Majestatem sese abdicasse regnis, ac ditionibus inferioris Germaniæ, inque Regiam Majestatem tuam transtulisse; magnam in Christo Domino voluptatem percepimus, tum propter exemplum singulare eo facto exhibitum a Majestate Cæsarea, tum quia confidimus cum divini obsequii incremento ditiones illas a Majestate tua gubernatum iri. Quod ut eveniat, humillimis a Deo precibus, ac sacrificiis postulare non cessamus. Quoniam tamen non una hac re, sed quibuscumque pro nostra tenuitate possumus modis Majestati tuæ obsequium, uti par est, præstare cupimus, persuasumque habemus ex divino & Majestatis tuæ obsequio fore, si qui istius gentis, ac sermonis ex hac minima Societate nostra datam sibi a Deo gratiam impenderent provinciis Germaniæ inferioris, quæ ob viciniam, & commercium cum superiore magis obnoxia sunt accipiendo damno, in Dei Domini nostri, & Majestatis tuæ injuriam; idcirco visum mihi in Domino, mittere Magistrum Ribadeneiram hasce traditurum Majestati tuæ, & causas explicaturum, quæ nos in eam sententiam induxerunt: ut, postquam Majestas tua judicaverit id esse ex Dei Domini nostri obsequio & suo, dignetur hanc minimam Societatem in tutelam suam suscipere in illis provinciis, quemadmodum alibi suscipere dignata est, \* & Collegio-

\* Singulare hujus rei exemplum suppeditant Bollandiani t. 7. Jul. p. 494. n. 445. ex ejusdem Philippi ad Ignatium literis datis Vallisoleti die 22. mensis Aprilis 1554., & inscriptis: Venerabili,



giorum istic extruendorum facultatem dare: ut, sicut  
 in aliis regnis, & ditioribus Majestatis tuæ navat pro  
 viribus operam, Deo secundante in salutem animarum,  
 ita in istis provinciis, quæ magis indigent, obsequium  
 Majestati tuæ debitum præstare possit, ad Dei Creato-  
 ris & Domini nostri gloriam, & emolumentum eorum,  
 quos Majestati tuæ regendos dedit, uti plenius intelli-  
 get tua Majestas ex ipsomet Ribadeneira, cui eandem  
 quam mihi fidem habere dignabitur. Finio, Deum Do-  
 minum nostrum precatus, ut gratiam nobis uberem con-  
 ferat, quò percipere possimus, & implere sanctissimam  
 ejus voluntatem.

Romæ 23. \* Oct. 1555.

EPISTOLA XXVI.

Ignatius Lojola Francisco Borgiæ. Vide p. 192. n. 177. 13. Nov. 1555.

*Hispaniarum & Indiarum Commissarium constituit.*

Ignatius de Loyola, Societatis Jesu Præpositus Generalis,  
 charissimo in Christo fratri nostro D. Francisco Borja,  
 Commissario in Regnis Hispaniarum, & Indiarum  
 ejusdem Societatis, salutem in Domino  
 sempiternam.

Cum diu, multumque probatæ nobis, & perspectæ  
 vitæ tuæ integritati, doctrinæ, & in rebus geren-  
 dis prudentiæ, quæ est in Christo Jesu, ac ceteris ip-  
 sius

Z z z 2

ac devoto religioso Patri Magistro Ygnatio, Generali Societatis  
 Jesu: quibus eidem Collegium Gandiense his inter alia verbis com-  
 mendat: Te rogo, & obnixe tibi committo, ut peculiarem dicti  
 Collegii curam geras, ejusdemque Religiosorum, ac rerum, ne-  
 gotiorumque ad ipsos spectantium. Tantum utique inde Reipu-  
 blicæ in spiritualibus redundabit beneficium, & Deus Dominus  
 noster hoc adeo gratum habebit, ut tibi sit retributurus curæ,  
 ac diligentæ mercedem, quas in hoc negotio susceperis. Et in hi  
 hoc gratissimum erit. Memorant ibidem Bollandiani alias ejusdem  
 Principis ad Summum Pontificem, & plures Cardinales commendati-  
 vas epistolas pro Collegio Gandia, & Societate.

\* Hac epistola data Roma 23. Oct. de ditioribus agit Belgicis,



13. sius in te donis, plurimum confidamus; cumque in qua-  
 Nov. tuor nostris provinciis Hispaniarum, & aliis Indiarum,  
 1555. serenissimo Portugalliæ Regi, & etiam Cæsareæ maje-  
 stati subditarum multa sint circa personas, loca, resque  
 alias Societatis nostræ sive admissas, sive admittendas,  
 quæ præsentî alicujus, qui nostra autoritate plena fun-  
 gatur, indigeant; visum est nobis expedire ad Dei glo-  
 riam, & bonam nostri officii administrationem, & spi-  
 ritualem prædictarum provinciarum profectum, ut tibi  
 hoc oneris committeremus.

Nos igitur omnia a te gesta, & ordinata postquam  
 a Doctore Hieronymo Natali, tunc Commissario nostro  
 in dictis regnis, auctoritatem accepisti, approbando,  
 confirmando, rata, & grata nobis esse declarando, te  
 in Commissarium generalem, tum in quatuor provinciis  
 dictis, Aragoniæ, Castellæ, Portugalliæ, & Bœticæ  
 sive Vandalæ; tum etiam in Indiarum regionibus ad ju-  
 risdictionem prædictorum regnorum pertinentibus, cum  
 omni nostra autoritate, ad personas, domos, & col-  
 legia admissa gubernanda, & nova etiam admittenda,  
 & alia omnia, quam per Sedis Apostolicæ concessio-  
 nem

*a Carolo V. pridem filio suo Philippo abdicatis; sequens verò proximi  
 Nov. die 13. subscripta de Hispanicis ditionibus, quas eidem postmo-  
 dum concessit. De utraque cessione Thuanus Hist. lib. 16. sub finem:  
 Cæsar, cum se imperio ac regnis omnibus abdicare decrevisset,  
 diploma eid. Oct. confici jubet, manu sua subscriptum, & Si-  
 gillo firmatum, quo Philippo filio, jam Neapolis & Sicilia regi a  
 se declarato, omnibus regni ditionibus ac possessionibus cedit:  
 conventuque Bruxellas indicto ad 8. Kal. Novembr. ubi diu ad-  
 venit, . . . post meridiem in amplissima Palatii aula . . . Philippum  
 Belgii principem pronunciat . . . ac mense post interjecto, in eo-  
 dem loco . . . Hispania, Sardinia, Gymnasiis, Americæ ac novi  
 Orbis dominatu filio cedit. Ceterum Gonzalus Illescas, auctor Phi-  
 lippo coævus ac patrius, lib. 6. Hist. Pontific. c. 30. §. 1., primam  
 illam Belgii cessionem publicam adscribit solemnî Apostolorum Simo-  
 nis & Juda festo diei 28. Oct. 1555.; alteram verò reliquarum di-  
 tionum diei 17. Januarii 1556. Ferreolus Locrius in Chronico Belgico,  
 Atrebatî edito anno 1616., ad an. 1555. Philippo filio, inquit, Bel-  
 gicam quum anno 1549. resignasset, ditiones omnes cedit. Ubi  
 & incerti mihi sunt calculi omnes Thuanî; & Ignatiani, qui a Chro-  
 nico Ferreoli non abhorrent, certissimi: quamquam liquidam illorum  
 temporum rationem me latere confiteor.*



nem communicare possumus, constituentes, ut tibi omnes, qui sub nostra obedientia sunt in prædictis provinciis, perinde ut nobis, obediant, & tu, ut in Domino convenire senties, in rebus omnibus, quæ ad nostrum officium pertinent, liberè auctoritate nostra procedas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti committimus, injungimus, & ordinamus; & ut ipsa æterna Sapientia te in omnibus illustrare, & regere dignetur, precamur.

Datum Romæ in ædibus Societatis Jesu Idibus Novembris MDLV.

EPISTOLA XXVII.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

29.  
Nov.  
1555.

*De duodecim Pragæ mittendis, ac de pecuniis a Didaco Lasso in Collegium Germanicum persolvendis. Vide p. 193. n. 178., & p. 197. n. 182.*

Jesus.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex.

Honorabilis, religiose, devote, nobis dilecte.

**A**ccepimus literas tuas pridie Calendas præteriti mensis Oct. datas, & inde cognovimus, quas ob causas visum sit Sanctissimo Domino nostro, expeditionem duodecim illorum fratrum Societatis Jesu, quos ad instituendum Collegium in regia nostra Civitate Pragæ mittere promisisti, sub finem futuri mensis Januarii differri debere: de qua re cum etiam Sanctitas ejus nobis copiosè cum magna paternæ suæ erga nos benevolentia significatione scripserit, decet equidem nos Sanctitatis ejus voluntati morem gerere & acquiescere, prout Sanctitati ejus in adjunctis ipsimet rescribimus, abs te benigne



29. nigne petentes, quod ejusmodi literas nostras Sancti-  
 Nov. tati ejus reddere velis, quin etiam consilii Sanctitatis  
 1555. ejus de retinendo interim Pragæ, donec ceteri 12. ad-  
 veniant, Doctore Canisio, non obliviscemur. Quantum  
 verò ad Scholasticorum Bohemorum, quos præterito  
 anno Romam, ut sub tua disciplina degerent, transmisi-  
 mus, intertentionem attinet; jam dudum jussimus pecu-  
 nias a Consiliario & Agente nostro, reverendo ac no-  
 bili, fideli, nobis dilecto Don Didaco Lasso, in susten-  
 tationem eorum mutuò acceptas persolvi, quorum in  
 futurum quoque benignam curam & rationem non ne-  
 gligemus. Ceterùm quoad negotium hospitalium, & con-  
 sensus seu Indulti Apostolici, quem per te a Sanctis-  
 simo D. N. requisivimus, per alias literas te propediem  
 informabimus de omnibus, quæ te scire necesse est. Id  
 quod tibi ad prædictas literas tuas benignè respondere  
 volumus, teque a nobis omnem benignitatem expectare  
 jubemus.

Datum in nostra Civitate Vienna, die 29. Nov.  
 anno 1555.

*Ferdinandus.*

12.  
 Dec.  
 1555.

EPISTOLA XXVIII.

Albertus Baviaræ Dux Ignatio Lojolæ.

*Rogat nonnulla circa Ingolstadiense Collegium approbari,  
 ac submitti Theologos. Vide p. 193. n. 178.*

*Inscri- ptio.* Reverendo in Christo Patri sincerè nobis dilecto, Igna-  
 tio Loyola Societatis Jesu in Urbe Præposito.

Reverende Pater, amice charissime.

Qui per consiliarios nostros de Collegio Societati ve-  
 stræ in oppido nostro Ingolstadio erigendo & in-  
 choando, cum venerabili nobis dilecto Magistro  
 Petro Canisio, ejusdem Societatis theologo, hisce die-  
 bus



bus tractaverimus, de his omnibus ac tota voluntate nostra ipse Canisius Paternitati tuæ latissimè significabit; ac ex articulis nonnullis, inter dictos nostros consiliarios, & Canisium conscriptis, & subsignatis super erectione hujusmodi, quos unà transmittet, copiosius cognosces. Cum verò hoc opus non solum ad Domini (forte, *domini*) nostri, imò communem Germaniæ utilitatem spectet: nihil ambigimus, obsequium & ministerium, quod toties tuo & fratrum tuorum nomine obtulisti, jam, cum res postulet, libentissimè impensurum; ut quod modo inchoatur, suum debitum sortiatur effectum. Cæterum Summo Pontifici Domino N. clementissimo hoc institutum nostrum pro gloria Dei, ac salute animarum probatum iri speramus: quod & Paternitas tua nostro nomine, pro perpetuo charitatis, & observantiæ erga nos affectu, suæ Sanctitati referet, humillimeque commendabit. Cupimus igitur a Paternitate tua quanto citius de supradictorum articulorum approbatione confirmationeque certiores fieri: nam quæ in his ad nos spectant, grata, rataque habemus ea omnia, quæ in ipsis continentur: Patribusque Societatis præsentibus universa a nobis promissa paratissimi præstabimus, & libenter, & sine mora. Petimus etiam, ut mittantur theologi (si fieri potest) ad præscriptum in dictis articulis tempus: qui non solum lectorum munere inter eruditos, sed & vel unus eorum concionatoris ad populum officio feliciter cum Dei gratia fungi possint: ita enim præsens sacrosanctæ Religionis nostræ afflictissimus status, & populorum istorum, proh! dolor, miserrimè errantium salus postulant, exigunt, & efflagitant. Accelérate igitur pro vestris officio, votoque oves perditas quærere, & ad gregem dominicum reducere; operarios bonos (qui in præsentis sæculo paucissimi sunt, & ubique locorum desiderantur) educare, atque in messem tam copiosam mittere. Ad hoc sanctum, Deoque gratissimum opus vos pro nostris viribus, re, & operâ benignissimè fovebimus & tuebimur: ac brevi futurum speramus, ut hoc vestrum apud nos Collegium (si jam bona principia jaciantur) in immensum crescat,



12. cat, augeatur, splendideque a multis adhuc bonis vi-  
 Dec. ris dotetur &c.

1555. Mönachii 12. Dec. 1555.

*Albertus Dux Bavariæ &c.*

15.  
 Dec.

EPISTOLA XXIX.

1555.

Reginaldus Polus Ignatio Lojolæ.

*Respondet, se pro viribus Societati fauturum; & pro fausto  
 Antistitum concilio preces ejus implorat. Vide  
 a p. 193. n. 178. \**

Admodum Reverende Pater, & carissime in  
 Christo frater.

**R**everendæ vestræ Paternitatis literas accepi, quas mihi attulit Episcopus noster Assaphensis, a quo magna cum voluptate audivi singularia vestræ Paternitatis, suæque Sanctæ Societatis nova: cum autem fiet, ut perveniat huc ille vester, quem vestra Paternitas ait, Regis nostri curiam adisse, videbo equidem illum perlibenter; paratusque semper ero, ac promptus, ut quæcunque poterò, faciam pro vestra, quam dixi, Societate in obsequium Dei Domini nostri. Nunc quidem hîc distinemur in quadam Præsulum convocatione, qua perturbationibus, & Ecclesiasticis hujus regni necessitatibus occurratur; certumque habeo, pro ejusdem salute auxilium mihi a vobis & fuisse allatum, & continenter afferri piis vestris precibus, quibus me valde commendo, Deum Dominum nostrum rogans, ut vobis semper ad honorem ipsius, & gloriam magis magisque faveat.

Londino 15. Decembris 1555.

EPI-

\* Reginaldi gesta post Cardinalem Quirinum, Lagomarsinius tomo præsertim primo in Julium Pagianum, & Moranius in Monumentis Beccadellianis editis Bononiæ an. 1799. Vol. II. præclaris anecdotis illustrarunt.



## EPISTOLA XXX.

Callienses Ignatio Lojolæ.

17.  
Maji  
1556.*Collegio ad liberorum institutionem inchoando  
Socios postulant.*

Admodum Reverende Pater.

**I**nvitata hæc civitas famâ præclarâ bonæ vitæ, sancto-  
rumque Societatis vestræ institutorum, vel potius  
divino numine incitata, in maximum venit desiderium  
unâ simul fruendi commodis, & fructu, quibus uti,  
fruique dicuntur alia vicina nobis oppida: quare publi-  
co decretum est consilio, ut apud Reverentiam vestram  
omnis adhibeatur opera, quò hic ab ipsa favor impe-  
tetur ad filios nostros erudiendos in honorem, & lau-  
dem Divinæ Majestatis; scripsimus etiam ad amplissi-  
mum Dominum Joannem Simonettam Urbis nostræ pa-  
tricium, nunc Romæ Illustrissimi, & Excellentissimi  
Domini Ducis nostri Legatum, ut Reverentiæ vestræ  
hujus Urbis nomine ardens ejus exponat desiderium,  
enixèque roget, ut votis ejusdem satisfaciat. Vestram  
itaque Reverentiam ita rogamus, ut majore studio ro-  
gare non possimus, plenam ut fidem habeat Domino  
isti Legato in omnibus, quæ ipsi hac de re nostro no-  
mine dixerit, eidemque benignè satisfaciat, uti cupi-  
mus, & a Reverentiæ vestræ bonitate speramus. Quod  
& agnoscemus singulare beneficium, & gratiam Divinæ  
Majestatis, ac Reverentiæ vestræ, cujus piis precibus  
nos semper commendamus; nos autem, quoad possu-  
mus, ad parendum, & obsequendum paratos offerimus.

Callio 17. Maji 1556.

Reverentiæ vestræ addictissimi

*Vexillifer, & Priores Callienses.*

A a a a

EPI-



4.  
Jun.  
1556.

## E P I S T O L A   X X X I .

Ignatius Lojola Calliensibus .

*Respondet non sibi deesse voluntatem, sed facultatem, ut  
piis illorum votis continuò satisfaciat. Vide  
p. 202. n. 186.*

Amplissimi Domini mei in Domino nostro  
colendissimi .

Summa gratia & amor æternus Christi Domini nostri  
Dominationes vestras salutet ac visitet sanctissimis  
suis donis & gratiis spiritalibus .

**E**x Dominationum vestrarum literis die 17. Maji da-  
tis, & relatione amplissimi Domini Joannis a Si-  
monetta Oratoris intellexi studium, piisque desiderium  
vestrum in Civitate vestra Collegium nostræ Societatis  
habendi; pari autem & nos tenemur desiderio quibus-  
cunque in rebus Dominationibus vestris obsequendi, eâ-  
dem nimirum caritate permoti, ac desiderio spiritalis  
animarum auxiliî, studioque vestræ in me Christianæ  
benevolentia, humanitatisque respondendi. Nunc verò  
Collegium ad nostræ formam disciplinae mittere non pos-  
sumus; huic etenim rite constituendo duodecim saltem  
præter duos alios, vel etiam tres adjutores requirun-  
tur; cum nostrarum observatio Constitutionum minore  
Sociorum numero vigere non possit, nec divini obse-  
quii fructus a paucis diutiùs promoveri. Accedit, quod  
in præsentia non est nobis ulla facultas aliquot mitten-  
di Socios (Collegio licet impares) ad istam Christi Do-  
mini nostri vineam excolendam: tot enim hoc anno,  
alii aliò, sunt missi, vix ut Romæ supersint, qui ob-  
eundis receptis jam muneribus officiisque satisfaciant:  
tantà nunc premimur Sociorum penuriâ. Cum nobis Deus  
Dominus noster commodum suppedietur Dominationi-  
bus vestris morem gerendi & obsequendi, faciemus sa-  
nè



nè libenter quod cupimus ad Divinæ Majestatis gloriam ;  
 quam rogamus , ut suam omnibus dignetur uberem do-  
 nare gratiam ad sanctissimam ejus voluntatem semper  
 sentiendam & perfectè exequendam.

4.  
 Jun.  
 1556.

Romà 4. Junii 1556.

*Dominationum vestrarum in Domino*

*nostro servus*

*Ignatius .*

EPISTOLA XXXII.

Ignatius Lojola Henrico Schwikero .

8.  
 Jun.  
 1556.

*Negotia Bavariæ Ducis apud Summum Pontificem procurata ;  
 & Socii ad novum Collegium illo flagitante , & hoc  
 applaudente Ingolstadium celerrimè destinati .*

*Vide n. 186. a p. 202.*

Magnifice Domine , in Christo mihi  
 observandissime .

Summa gratia & æternus amor Domini nostri Jesu  
 Christi perpetuo omnes auxilio & favore  
 nos prosequatur . Amen .

Quamvis literis vestræ Dominationis decimo Martii  
 ad nos datis nihil tunc respondere potui , propter  
 adversam valetudinem meam , & quòd parum id  
 videbatur necessarium , cùm illæ nostris responderent ,  
 curavi tamen , ut literæ Illustrissimi Principis Summo  
 Pontifici per unum ex nostris fratribus ( quem libentè  
 videre solet ) redderentur : sed quia eas non legit co-  
 ram eo , nihil præterea fuit , quod ea de re scribere-  
 mus , quamvis suo loco & tempore , ut par erat , de  
 tam religioso Principe , & Catholicæ Religionis tam  
 forti propugnatore , quòd sentiebamus , locuti fuerimus .



8. Inter alias autem causas cur properavimus Collegium  
*Jun.* Ingolstadium mittere ante fervorem æstatis, illa etiam  
 1556. fuit, ut sinister quidem rumor, qui post Augustanam  
 Diœtam in Urbe cœpit increbescere, ac suspiciones  
 non vulgarium hominum, contrario veritatis experimen-  
 to statim sopirentur: qui enim nostræ Congregationis  
 homines evocari, Collegiumque eis ab Illustrissimo Prin-  
 cipe Ingolstadii constitui audiunt, quantum ab scopo  
 aberraverint, cum nescio quæ prius suspicarentur, ac  
 dictitarent, facile intelligunt. Curavi ergo Collegium  
 ipsum ad Summum Pontificem deduci, & dum ejus  
 Sanctitati pedes osculantur, & benedictionem Aposto-  
 licam accipiunt, duo ex nostris, Jacobus Lainez & Jo-  
 annes Polancus, qui eos deducebant, multa ejus Beati-  
 tudini dixerunt de sanctis desideriis Illustrissimi Princi-  
 pis Bavarix in propugnanda Catholica Religione, unde  
 & Seminarium perpetuum Ministrorum, qui Sedi Apo-  
 stolicæ fideles essent, Ingolstadii constituere decreve-  
 rit, quæ omnia pergrata fuisse Summo Pontifici visa  
 sunt, & multa de his, qui mittebantur, percontatus,  
 & multis eosdem adhortationibus dimittens, viaticum  
 eis dari jussit; sed cum respondissent Nostri, nullo alio  
 viatico, quam benedictione suæ Sanctitatis, opus esse,  
 eò quòd Dux Illustrissimus de Viatico pecuniario tam  
 liberaliter providisset, multum lætitiæ & ædificationis  
 accepisse simul cum circumstantibus est visus. Deducti  
 sunt exinde ad aliquos ex primoribus Cardinales salu-  
 tandos, & pervulgata est satis Ingolstadiensis Collegii  
 deductio cum suavi audientium odore ad gloriam Dei.  
 Non est præterea quod addam, nisi quod novum Colle-  
 gium Charitati vestræ, humanitatisque commendo, ac  
 precor divinam & summam bonitatem, ut omnibus gra-  
 tiam suam affluenter communicet, ut sanctissimam il-  
 lius voluntatem intelligere, & perfectè eandem exe-  
 qui valeamus.

Roma 8. Junii anno 1556.



## EPISTOLA XXXIII.

9.  
Jun.  
1556.

Ignatius Lojola Alberto Bavariae Duci.

*De novo Sociorum Collegio, Urbe gaudente, celerius Ingol-  
stadium adlegato; & de Canisio Provinciali constituto.**Vide p. 202. 204. n. 186. 187.*Illustrissime Princeps, & Domine mihi  
in Christo observandissime.Summa gratia, & æternus amor Domini nostri Jesu  
Christi Clementiam vestram uberrimis donorum  
suorum spiritualium exornet augmentis.

Simul atque redditæ nobis fuerunt, Illustrissime Prin-  
ceps, vestræ Clementiæ literæ, quibus pro sua be-  
nignitate in nostro-ponit arbitrio, ut vel ante ferven-  
tiores hujus æstatis calores, vel elapsis canicularibus,  
ante hyemis initium, promissum Collegium Ingolstadium  
ablegem, inito cum fratribus meis consilio, statim eos  
eò mittendos censui, gratius Dominationi vestræ cle-  
mentissimæ, & ad majorem Dei gloriam fore, multis  
rationibus colligentes, postponendamque æstus jam sa-  
tis infesti incommoditatem duximus. Et ut statim ad  
profectionem se accingerent, & Summi Pontificis bene-  
dictionem, post pedum oscula, acciperent, & iter in-  
grederentur, curavi. Bonus valde odor ex hac profe-  
ctione in alma urbe sparsus est, ut referet D. Henri-  
cus Schweickart Secretarius vestræ Clementiæ, cui pau-  
lo latius ea in re scribo, & (quod majoris momenti  
est) fructum non minorem ad Dei honorem, & vestræ  
Clementiæ coronam perpetuam ex novo hoc Collegio  
velut



9. *Jun.* 1556. velut ex semine proventurum spero. Quamvis enim Ministri debiles sint, & eorum satis tenues vires, divina tamen potentia, & virtus (unde nostra quantulacunque sufficientia est) ut eis desiderium dat industriam, laborem, & vitam ipsam impendendi pro sua gloria, & animarum salute, ita & gratiâ suâ imbecillitatem eorum corroborabit, & supplebit. Præter Rectorem M. Thomam Theologum duo alii S. Theologiæ Doctores, & ejusdem Professores futuri sunt, & alii, qui emenso Artium curriculo, & Magisterii gradum in eis consecuti, Theologiæ dare operam cœperant, alii humaniores literas, & græcas, &, si opus fuerit, etiam hebraicas profitebuntur, alii Scholastici sunt, qui, cum progressum in literis majorem fecerint, communi bono se utiles præstabit, magnâ ex parte ex superiori & inferiori Germania, & omnes in Fidei Catholicæ zelo, & religiosis virtutibus nobis probati sunt. Eos ergo offero vestræ Clementiæ obsequiis ad Dei gloriam, eo animo, quo meipsum, si liceret per valetudinem, & officii mei necessarias occupationes, offerrem. Eis injunxi, ut, quæ in articulis continentur, & multo plura pro virili parte (licet sine obligatione) præstare curent: & mihi persuadeo, quod vestra Clementia & ipsius Illustrissimi Successores Collegium suum omni benignitate, gratia, & favore (ut scribit) tuebuntur, ac fovebunt, quandiù illi Reipublicæ se utiles exhibebunt. Quam utilitatem non solum non cessaturam esse, sed, pro more nostræ Societatis in dies magis magisque augendam spero. Quod Pater Canisius initiis Collegii Ingolstadiensis intersit, bona cum venia Serenissimi Romanorum Regis, pergratum nobis fuit, & eidem jam scripsi, ut primo quoque tempore Ingolstadium se conferat, &, ut sollicitiùs de his cogitet, quæ ad promovendum novum Collegium pertinent, Præpositum Provinciam nostræ Societatis in Germania superiori, Bohemia, & Austria eum constituo. Aliud non addam, nisi quod me & Societatem nostram universam ut deditissimam vestræ Clementiæ offero in Domino Jesu Christo, ac precor summam ejus bonitatem, ut omnibus gratiam suam  
ube-



uberem ad cognoscendam & explendam voluntatem  
suam sanctissimam dignetur largiri.

9.  
Jun.  
1556.

Vestræ Clementiæ

*Humilis servus in Christo*

*Ignatius de Loyola.*

EPISTOLA XXXIV.

14.  
Jul.  
1556.

Ignatius Lojola Ludovico a Calatayud.

*Laudat studium Ocaniensis Collegii construendi; constan-  
tiam in adversis egregiè commendat; atque initiis feli-  
ciores fines portendit. Vide p. 203. n. 186.*

Mi Domine in Domino nostro.

Summa gratia, & amor æternus Christi Domini nostri  
adsit nobis semper continuo favore,  
& auxilio.

Plures tuas literas accepi Decembri, & Januario da-  
tas, quæ seriùs huc pervenere; quanquam alià jam  
vià pervenerant facultates, seu mandata tua, nostro-  
rumque prænuntiæ literæ, quibus equidem sancta re-  
scieram desideria, quæ tibi Deus Dominus noster in-  
gessit ad opus quoddam in perpetuum ejus obsequium,  
& plurium animarum auxilium Ocaniæ perficiendum.  
Ex iis, quas nuper dixi, deinceps intellexi, quantos  
præterea labores, & ærumnas, etiam carcerarias, sub-  
ieris; videtur autem mihi divina summaque bonitas velle  
tibi in regno suo integerrimam, cumulatissimamque ser-  
vitii tui mercedem rependere; siquidem ubi alii solent  
beneficiis suis solatium, & favorem ab hominibus etiam  
colligere, tu contra molestias, & adversa quàm ma-  
xima



14. xima comparasti. Oportet enim vero, amorem, quo  
*Jul.* moveris in Deum Dominum nostrum, & proximos, esse  
 1556. valdè purum, & animosum, cum te ille unus perseve-  
 rare faciat, ubi potentes adeo adversarii contra obni-  
 tuntur. Hac equidem ratione spero in Domino Deo  
 nostro, accedente aliorum exemplo, meliores hujusce  
 rei exitus fore, quàm initia, quæ se se hactenus de-  
 dère. Jam verò sive præcipuum opus efficiatur, sive  
 secus, nos tamen omnes summo tuo studio, & volun-  
 tate adè tibi devinctos agnoscimus, ut semper sis eos-  
 dem uti rem tuam habiturus in Domino nostro: qui  
 sanè velit pro sua infinita, summaque bonitate uberem  
 suam gratiam nobis impertire, ut sanctissimam ejus vo-  
 luntatem sentiamus, & integrè impleamus.

Romà 14. Julii 1556.

*Tuus in Domino nostro servus*

*Ignatius.*





*L I B E R*  
 SENTENTIARUM  
 S. IGNATII LOYOLÆ.

D E F I D E .

1. **Q**ui sincero oculo cœlum aspicit, caliginem terrenorum meliùs videt: licet enim hæc speciem aliquam fulgoris affundant, lucem illis omnem cœli splendor adimit.
2. Ecclesiæ Catholicæ ita conformes esse debemus, ut siquid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definiverit, debemus itidem quod nigrum sit, pronunciare.

D E S P E .

3. **H**æc prima sit agendorum regula: Sic Deo fide, quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet; ita tamen iis operam omnem admove, quasi tu nihil, Deus omnia solus sit factururus.
4. Liberalis est Deus: e manibus ipsius accipio, quæ non invenio in manibus hominum: si nihil hi dederint, accepturus sum a Deo omnia.
5. Proprium divinæ bonitatis est ea vehementius defendere, quæ a diabolo acrius oppugnantur, & firmiter communi- re, quæ hostis demoliri conatus est, laborisque, quem repugnando ceperis, magnitudinem, consequentis consolationis magnitudine compensare.
6. Curas in mensem, vel annum imminentem mittis. Heu me! unde tibi tam diuturnæ vitæ fiducia?
7. Tanto magis sperandum in Deo, quanto res magis videntur



- tur desperatæ: ubi deficiunt humana, ibi præstò sunt auxilia divina.
8. Tantum valet res, quantum illam Deus fecit valere.
9. Heu! quam sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!
10. Tanta in Deum niti oportet fiducia, ut mare ipsum, si navis deesset, nuda se in tabula superaturum, credat.
11. Dum pusillanimes dæmon animo cogitationes affundit, hic receptorum jam a Deo beneficiorum memoria est erigendus.
12. Pusillanimitas tua dæmonem audaciorem facit: sicut feminae tunc solum sunt audaces, cum æmulos viderint effeminatos.
13. Attendamus tantum divinis obsequiis: Deus nobis ultrò, quæ opportuna fuerint, providebit.
14. Posuitne te Deus in mundo, ut hic viveres, quasi cœlum, & infernus non esset? vel salvari res est tam facilis, ut eam ne curare quidem sit opus?
15. Jure sperandum est, cum spiritualibus temporalia quoque incrementa non sine amplificatione proventura.
16. Certò miraculum fuerit, si desit Deus sua ope confisis: nequaquam verò, si iis succurrerit. Necdum tu (erat hic P. Ludovicus Gonzalez) hactenus advertisti, quò plures nobis adjuncti sunt, eò nobis annonam copiosius auctam esse? Attendamus tantum divinis obsequiis: Deus, quæ nobis opportuna fuerint, providebit. Ego planè, si opus facto sit, quàm fidenter hos centum admisi, tam facile alios ad mille admiserim; perinde siquidem Deo est mille, ut centum, aut denos alere.
17. Qui multum homines metuit, grande aliquid pro Deo nunquam perficiet. Nihil enim pro Deo suscipi magnum potest, quin suscipienti magnos metus, & vexationes continuò homines concitent, omniaque tumultu compleant.

#### DE AMORE DEI.

18. Omnia ad majorem Dei gloriam.
19. Quanto arctius se quis Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga Summam Majestatem præstiterit, tanto eum in se liberaliorem experietur.



20. O mi Deus! Si te nossent homines.
21. Relinquere Deum propter Deum, magnum lucris spiritua-  
lis compendium est, nullum dispendium.
22. Intolerabilis tunc mihi vita foret, siquid in anima mea hu-  
manum, & non omni ex parte divinum latere compe-  
rarem.
23. Si fieri posset, ut amans Deum, sine sua culpa damnare-  
tur, facilius pœnas omnes inferni toleraret, quam blas-  
phemias, quibus damnati Deum execrantur, audiret.
24. Si vis scire, quid a te velit Deus, omni te primùm affe-  
ctu, & in alterutram partem propensione exuas, ne-  
cesse est.
25. Qui se, suasque rationes Dei obsequio postponit, huic  
Deus multo consulit melius, quam potuisset ipse consu-  
lere sibi, si Dei obsequium suis rationibus postponere  
voluisset.
26. Nihil suavius est, quam amare Deum, sed ita ut ex a-  
more illius multa patiaris.
27. Amorem tui solum, Deus, cum gratia tua mihi dones:  
dives sum satis, nec quidquam ultra posco.
28. Hæc sola ambitio justa est, Deum diligere, & in ejus a-  
moris pretium in amando crescere.
29. Non tantum e cœli, siderumque aspectu, sed etiam tenuis  
herbulæ, rei que cujuslibet tenuissimæ conspectu confe-  
stim in Dei amorem novit evolare, qui Deum novit.
30. Deus perspicax trapezita magis ab operibus, quam a ver-  
bis amorem æstimat.
31. Præter omnia velim, unumquemque vestrum cum zelo  
gloriæ Dei, proximorumque salutis, Jesu Christi Salvato-  
ris nostri puro, & sincero amore lucere.
32. Domine, ecquid ego volo? aut quid velle possum ex-  
tra te?
33. Qui Deum secum fert in corde, circumfert secum Para-  
disum.
34. Tanti Deus rem quamlibet facit, quantum se aliquid tan-  
quam instrumentum ad benè operandum Deo conjungit.
35. Qui sua propter Deum deserere non movetur, cuncta  
tamen ad eum referat; ac licet multa, minoris semper  
sint uno, quod necessarium esse, Christus pronuntiat.



36. Dum illis servio, qui sunt servi Domini mei, censeo, me Domino meo obsequium præstare.
37. Cum objectum amoris infinitum est, semper in amando proficere, & perfici licet.
38. Eligentem convenit se examinare, an affectio, quam erga rem aliquam habet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur.
39. In terris mora violentus labor est, nisi plus in cœlo, & in Deo per amorem quam in terris, & tecum verseris; ut solis radii tandiù extra solem effulgent, quandiù in sole vivunt.
40. Sit laus, & gratia Deo Creatori nostro, ex cujus infinita liberalitate, & munificentia bonorum omnium ratio, gratiaque redundat.
41. Deum possidenti, licet nihil habeat, nihil deest; quia Deus est omne bonum, & venerunt nobis omnia bona pariter cum illo.

## DE AMORE PROXIMI.

42. **O**leum perdit, & operam, qui aliorum mores emendaturus non incipit a se ipso.
43. Nisi caritati & humanitati comes eat veritas, jam nec caritas, nec humanitas fuerit, sed fraus, & vanitas: quare nunquam ita promissis abundes, ut factis verba non æques.
44. Non tantum Dei habenda est ratio, sed etiam hominum propter Deum.
45. Si quid rogeris, quod noxium credis, illud cura, ut & quod postuletur, neges, & eum, qui postulat, amicum serves.
46. Qui aliis utilis esse cupit, sibi prius multum vacare debet: ardeat prior domi caritate, qui amat alios inflammare.
47. Non tantum id respiciendum, quod Dei zelus per se exposcit, sed hunc ipsum zelum ad proximorum utilitates exigendum, & formandum. Quod tunc demum verus Dei zelus, ac secundum scientiam sit, si aliorum fructibus serviat, & ad Dei gloriam Fratrum etiam salutem adjungat,



gat, eamque in Deo ipso intuens, ac perquirens, Deum ipsum in se (ut ita dicam) propter Deum in proximis aliquando relinquat. Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium.

48. Vineæ Domini operarii altero tantum pede terræ insistere, altero ad iter urgendum sublevato esse debent.
49. Dicebat, in rebus gerendis illud imprimis tenendum, ut te rebus, non res tibi submittas: hoc est, ut rei gerendæ non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque utilitati diligenter servias, & tempori. Denique tam congruenter omnibus, ut omnes lucrifaciat, sapientem hominum piscatorem, Christique ministrum se attemperare debere, ut omnia omnibus fiat, & non sibi, sed Fratribus vivat in Christo. Si quid tamen efficere in hominum salutem cupiat, vel si quem ab exitio ad salutem revocare; ubi diligenter suo perfunctus sit munere, quoquo modo cedat, æquissime sibi ferendum statuat. Neque si ille, ad quem juvandum incubuerit, respuat medicinam, demittat idcirco animum; Angelorum Tutelarium exemplo, qui quos a Deo suæ fidei commissos acceperunt, movent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant: sed si voluntatis libertate abutantur illi, & inobsequentes, atque obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nulla afficiuntur molestia. Curavimus, inquit, Babilonem, & non est sanata.
50. Piuris tibi sit cujusvis hominis salus, quam thesauri omnes universi mundi.
51. Bonos benè, malos malè valere gaudeo: illi, ut integris ad Dei gloriam utantur viribus; isti, ut multiplicatis infirmitatibus, ad Deum compellantur.
52. Ad hominum benevolentiam divini obsequii causa colligendam, omnibus fieri est necesse: nulla enim re æquè ac morum, studiorumque similitudine animi capiuntur.
53. Non reputare se debet Christi amicum, qui animas non fovet, quas ille fuso sanguine redemit.
54. Operarius non ad aurum tractandum, sed lutum, venisse se cogitet; acuatque in sui custodia curam, nè in se admittat scabiem, quam ex aliis satagit defricare.
55. Cave cujusquam factum damnes criminis: spectanda mens est



- est proximi, quæ sæpè proba est, & innocens, licet exterior facti species deterior videatur.
56. Nec quantavis in pecuniæ difficultate sumptui ulli parcendum, nè quid decumbentium cura desideret.
57. Ama etiam perditissimos; ama residuam in eis Christi fidem; si & hac carent, ama virtutes, quibus destituuntur: ama sanctam, quam gerunt, imaginem: ama Christi sanguinem, quæ redemptos credis.
58. Præstat beatitudinis incertum vivere, & Deo interim, ac proximorum saluti servire, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori.
59. Non duntaxat invicem vos perpetuò diligere, & amare debetis, sed amorem illum in omnes communicare.
60. Nimium alienorum defectuum odium plus alienationis animi gignit, quàm emendationis, juvatque ad fugandos potius alios, quam juvandos.
61. Nihil agendum, aut scribendum, undè rancor, aut amor aliquis nasci possit.
62. Factus animarum venator multa debet dissimulare, quasi nesciat: factus post dominus voluntatis, flectere virtutis tyronem poterit, quò libuerit.
63. Animarum saluti addictos ita oportet laborare, ut non tantum Deo, sed & hominibus propter Deum se gratos faciant, & divini honoris zelum ex proximi profectu moderentur.
64. Erga sceleratos eo te pacto gere, quo pia mater jacentis filii miseratione se macerat, blanditurque illi sedulitate haud paulò delicatiori, quam sano, & valenti.
65. Parvuli etiam donis, & bellariis tanquam tenera animalcula, iis, quæ arrident, possunt ad officia virtutis animari.
66. Si scelus proximi nimium evidens bonæ mentis excusationem non admittit, non delinquentem, sed violentiam damna, cui aut pejus, aut pariter cessurus fuisses.
67. In curanda proximi salute auctoritas necessaria est, sed ea, quæ de mundana nihil participet.
68. Animarum curatores nulla re magis quam spiritu egent, nè dum aliorum salutem curant, de sua periclitentur.
69. Plus ad animarum curam facit uncia sanctitatis cum præclara sanitate corporis, quam præclara sanctitas uncia sanitatis.



70. Viri eximia virtute, licet tenui ad juvandos proximos doctrina, suis eloquenter concionantur moribus, vel aspectu sui validiùs persuadent probitatem, quàm possent dicendi peritia quam maximè instructi.
71. Dei imaginis, quam pretioso sanguine Unigeniti Filii sui redemit, utilitate, emolumentoque gaudere, communi omnes obligatione tenemur.
72. Rarum est bonorum operariorum genus, qui quærant, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.
73. Sæpè usuvenit, aliorum operas nostri gratia impediri, cum nostras aliis præstare deberemus.
74. Ite, & mundum accendite universum.
75. Dum operam virtuti navatis, simul saluti proximi consulitis.
76. Multa sæpè etiam bona omitti, & quæ agenda non fuissent, modo peccatum non sint, committi possunt ob hominum, quibus prodesse volumus, judicium.
77. Huic quam maximè invigilate, ut alter de altero in bonitate sentiatis, & omnes invicem diligatis.
78. Nullus quidem, minime tamen ii offendendi, qui, si adversarii forent, possent nostrum in divino obsequio, & salutis publicæ studio cursum impedire.
79. Qui aliis utilis esse cupit, in primis, ajebat, sibi vacare debere, & ardere ipsum caritate, si alios velit incendere: nullo teneri metu inani mundi: ambitionem ut pestem fugere: voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aspernari: ac motus omnes libidinosos, vitiososque à corde suo abigere; ut omnibus turbidorum motuum radicibus evulsis, divinos satus & in se aptiùs accipiat, & in alios meliùs effundat.
80. Qui fuerit ita comparatus, & in se constitutus; tum ad alios juvandos tamquam in pulverem, ajebat, & solem posse descendere: sed cogitandum tamen, se non agere cum perfectis hominibus, sed cum gente non sancta, injustà sæpiùs, ac dolosà, & , ut ait Apost., *in mediationis pravæ, & perversæ*. (Philip. 2. v. 15.) Quare ita se animo comparare, ac præmunire debet contra molestias, & probra, quibus inde affici possit, ut neque scelerum ullà, & flagitiorum immanitate turbetur, nec scandili-



dilizetur; neque ulla hominum fiat fatuitate, vel nequitia, quamvis maxima, ut ipse non retineat vel cum prudentia columbæ simplicitatem, vel serpentis cum simplicitate prudentiam. (Matth. 10. v. 16.)

81. Qui ad proximorum opem incumbit, plura conficiet, vincetque perpetuò melius cedendo, ac se demittendo, quam pro auctoritate agendo, atque obnitendo.
82. Ad animarum salutem eodem est utendum artificio, & calliditate, quibus dæmon ad ipsarum perniciem. Quare quemadmodum hostis principio cujusque naturam, & genium explorat, deinde ut escam hamo, id ei proponit, quod ipsius ingenio arridet in primis, ut avaris opes, ambitiosis honores, voluptariis voluptates, ac pietatis simulacra religionem colentibus, ut non continuò vires omnes exerat, sed sensim, ac leniter irrepat, donec obtenta voluntate, animam plene possideat: sic prudens medicus spiritalis, circumspectis propensionibus, & natura eorum, quibuscum agit, plura debet initio dissimulare, ac silentio præterire, quasi ea non videret, ut captata demum benevolentia, propriis quemque armis aggressus, omnes divino imperio tandem adjiciat.
83. Deum pro Deo dimittere, scilicet contemplationem nostram pro aliena salute, impendium est lucrosissimum; nam præter animam recuperandi meritum, cum ad Deum orandum redimus, multò plura invenimus, quàm si nobis solis operam dedissemus. Hoc ipse appellabat circulum alternæ actionis, oratio enim Dei amorem in nobis accendens, nos movet, ut alios ad ejusdem cognitionem, & amorem adducamus: cum autem alios illius cognitione, & amore inflammamus, cariores eidem evadimus; quo & uberiora nobiscum munera in oratione communicat. Addebat autem, ad agendum cum aliis prodire nos posse, quin Deum mente dimittamus; idque ipso usu divinæ præsentia, quo illum & invenimus, & amamus in quavis persona, loco, & actu: docebatque suos in aliorum procuracione salutis, Angelos imitari, qui cœlum, non Dei faciem dimittunt, atque in hominum custodia occupati, conditorem amare non cessant, ejusdemque faciem contemplari.



## DE HUMILITATE.

84. **V**anitatis, & inanis gloriæ vitium ex ignorantia, & cæco sui amore nascitur.
85. Grandia in Dei obsequio præstare qui desiderat, ante omnia caveat, ne nimium sapiat.
86. Etiam si nullo superaddito, laus Deo par foret, ad maiorem tamen Christi imitationem eligenda potius cum eo foret paupertas, contemptus, & insipientiæ titulus, quam opes, honores, & doctrinæ existimatio.
87. Longè ad infima ei est descendendum, quisquis ad sublimia eniti velit.
88. In splendidis, & verè cultis sui contemptus, omnisque excellentiæ, & existimationis conculcatio, corporis maceratione & prior, & potior esse debet.
89. Ad vineam Domini suis laboribus excolendam iturus, humilitate, sui que contemptu viam sibi ad ardua, & excelsa disponat; tum enim reliquum ædificium tutò surget, si humilitatis fundamento sit innixum.
90. Ille beatè vivit, qui, quoad fieri potest, & in Deo mentem, & Deum in mente versat assiduò.
91. Usitatum est dæmoni foris potius, quam domi res gerere; contra Deus interior magis, quam exterius hominem elaborat, & excolit.
92. Quantò quis oculatior est in scrutandis aliorum defectibus, tantò est in suis agnoscendis negligentior.
93. Qui vel nobilitate generis, aut doctrinæ, ingenii que commendatione excellunt, ii præ ceteris in sui abnegatione exercitati esse debent, aliàs graviùs nocituri, quam ignobiles, & ineruditi.
94. Ita agenda sunt omnia, ut quæsita laus ab actione procul absit; eiusmodi tamen sint, quæ jure reprehendi non possint.
95. Nunquam contradicere debes cuiquam, sive cum ratione, sive contra; semper verò complecti, quod aliis probatur.
96. Ab omnibus opta cognosci tam intus, quam foris.
97. Desidera stultus haberi ab omnibus, ut sapiens habearis a Deo.



98. Ut rerum maximarum tractatio e voto fluat, vilissima præmittenda sunt opera, ut sic pro magnis Dei auxilium imploretur, qui humilibus dat gratiam.
99. O mi Deus! o summum bonum! quomodò me tam fœdum peccatorem toleras?
100. Perfectionis amans tantùm humilitate abundare debet, quantùm lampas oleo: illà redundant interiora, luceant exteriora, & quancunque vertatur in partem, se insinuet.
101. Si quas in te Dei gratias vides, cogita gemmas, & aurum esse aurifice Dei bonitate ligno rogam merito clementèr inductas.
102. Modò non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo, non deerit utique Deo benignitas ad vos adjuvandos.
103. Certum omninò sit, Deum semper esse ad liberalitatem paratum, modo altam in nobis, profundamque humilitatem inveniat.
104. Gradum ad excelsa, & ardua molienti, nihil esse antiquius debet, quàm ut ad infima descendat: nam summæ virtutis apex ab imo assurgit, nec potest altioribus spatiis attolli, quam quibus se ad ima depresserit.

## DE PAUPERE.

105. Possidenti Deum, etiãsi nihil habeat, nihil deest.
106. **P**fovendo infirmo quidquid peculii adest, impendatur; nos, qui recte valemus, si alia non suppetant, duro pane facilè vivemus.
107. Miraculum sanè fuerit maximum, si desit Deus sua ope iis, qui sua ejus amore reliquerunt.
108. In eum dives gradum enitatur, ut possessor sit eorum, quæ possidet, nec ab iis possideri se sinat.
109. Quos naturæ bonitas ad amplam fortunam in sæculo erat proventura, hi quoque in Dei gloria strenuè proferenda successus habent uberiores.
110. Ne in rerum propriarum deliberatione nos amor proprius in transversum agat, considerandæ illæ sunt tamquam ad alios, non ad nos spectantes, ut sic veritas, non affectus iudicium ferat.



111. Voluntariæ paupertatis amator statuam induat, ut eodem vultu lacernam sustineat, quo bissum, & purpuram accepisset.
112. Ad unionem ex utraque parte juvabit omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui amor, gravissimus huius unionis, ac boni universalis hostis, errare solet.
113. Magis timendus est Religioso timor paupertatis, quam ipsa paupertas.
114. Qui fuit Ignatii sensus de iis, qui poma, pira, cerasa, ubas in horto, vel cella penuaria sublegissent? Hoc vitium tam fuit ei exosum, ut illius potissimum causa stateret, ut labes confessione detersuri, ante peccata omnia palàm facerent, si quid abstulissent sine venia, si quid dedissent. Porrò legenti pomum, pirum, ficum, vel fructum quemlibet, caducum etiam, de terra auferenti, statuta fuit flagellatio publica tempore sancti Patris: nec multo diversius iudicium, si quis florem carpsisset.
115. Pauperem autem spiritu eum sibi denique, aiebat, videri, qui erga ea, quibus uteretur, sic esset affectus animo, ut instar statuæ cujusdam videretur esse quæ nullo pacto resistit, recusatve, quominus omni quamvis pretioso amictu, & ornatu confestim exuatur.
116. Qui non est a Deo vocatus ad illum perfectionis gradum primum, quo nihil possidetur aliud præter Deum, superest ei secundus, quo res ipse suas possideat, quin teneatur ab ipsis; quas si minus pro Deo repudiet, ad eundem certè referat; ac si multæ fuerint, non eas tanti faciat, quanti unum illud, quod in Evangelio dicitur necessarium.
117. Indignum aiebat, ac propudiosum, si proprios Religiosorum nummos possideant, eorumve sint cupidi, vel etiam si eosdem esse ejusmodi meritò possit existimari.

## DE CASTITATE.

118. **C**um diabolus adoriri quempiam, ac dejicere cupit, nocturnum sæpe tempus illud observat, quo ille, quem aggredi parat, a somno suscitatur, ut experrecto fœda, & impura statim objiciat, antequam sanctis se cogitationi-



nibus, quibus Deus Dominus noster eundem prævenit, præmuniri valeat.

119. Porro in Societate nobilissimam hanc virtutem tanto studio custodiri volebat, ut nihil omninò neque in dictis, neque in factis lascivum, aut petulans appareret, ac, quoad fieri posset, nostri cœlestem vitam in terris agerent ab omni corporis contagione sejuncti. Quæ ad votum, inquit, castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfectè observanda; nempe enitendo angelicam puritatem imitari & corporis, & mentis nostræ munditia.

120. Edixit tota Societate non modo, ut fœminarum quamvis nobilium, aut decumbentium domos incomitatus nemo adiret, sed omninò in alloquendis ea esset observatio, ac provisio, tametsi exciperetur confessio, ut aures quidem comitis; sed oculi nunquam excluderentur. Utque doceret, quantum apud se ea lex haberet ponderis, & custodiam exemplo sanciret, cum unum e Sacerdotibus domesticis, hominem senem, & antiquæ probitatis, contra fecisse cognosset, sed per bonam simplicitatem, ut prorsus culpa vacaret, tamen ad cæterorum commonitionem octo Sacerdotes unum convenire jussit in locum, in eorumque medio reum flagello se cedere, quoad singuli ex iis singulos e psalmis Davidicis pronuntiarent: quorum primus psalmus esset quinquagesimus.

121. Ne quis alium etiam joco tangat, & ut ab amico etiam contactu abstineat, lata lege sancivit; ac ut omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire.

## DE OBEDIENTIA.

122. **S**i vel catulum tibi Deus præfecerit, tu non recusa: libenter illum ducem, vitæque magistrum, Deo auctore, sequere.

123. Cum Superior aliquid tibi præcipit, non vetat te prudentia uti.



124. Qui invitati, ac dissentientes, actu tamen jussa præsidum exequuntur, inter vilissima mancipia sunt numerandi.
125. Qui voluntate solum obediunt, repugnante ratione, uno tantum pede in Religione versantur.
126. Magnum dæmoni gaudium est anima inconsultò procedens sine fræno illius, a quo regi deberet: quantò enim ille altiùs enititur, tantò gravioris ruinæ, ac præcipitii spes affulget.
127. Volo, & nolo non habitant in hac domo.
128. Optimus parendi modus est, ut obediendi alacritate nec imperii summi necessitatem, nec mandati denuntiationem expectes.
129. Si rara vobis, & inventu difficilis discretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, ejus defectum ad securitatem supplete.
130. Nulla debet haberi ratio, num qui præest, maximus sit, an mediocris, an minimus? Hæc enim distinctio vim tollit obedientiæ.
131. Magnus est eorum error, quos amor sui obcœcavit, obediens existimare se, cum Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint.
132. Superiori, nec si prudentia, bonitate, ceterisque quibuslibet divinis donis ornatus, instructusque sit, propterea obtemperandum est, sed ob hoc solùm, quòd vices Dei gerat.

*Quæ multis aliàs docuerat B. Parens de virtute Obedientiæ, breviori quasi postremæ suæ voluntatis Codicillo, morti proximus, Societati reliquit; Patre nimirum Joanne Stephano Viti dictantis verba excipiente, ut est apud Bartolium lib. 3. n. 24. Ultima hæc Ignatii documenta Bartolius italicè, alii ex eo latinè divulgaverunt. Jam verò ubi latina verba italicis non respondent, ad horum sententiam illa commutavi. Sunt autem undecim documenta, quæ sequuntur.*

133. 1. In ipso Religionis ingressu, vel eam ingressus, debeo in Dei Domini nostri manus, & ejus, qui me regit, me totum commendare.
134. 2. Optare debeo, ut is me regat Superior, qui meo deprimendo judicio, intellectuique domando invigilet.



135. 3. Quibuscumque in rebus peccatum non est, Superioris mei voluntatem sequi debeo, non meam.
136. 4. Tres sunt obediendi modi: unus, cum obedientiæ præceptum mihi datur; & hic quidem bonus est: alter, cum mihi non nisi mandato simplici opus est, ut hoc, vel illud faciam; & hic est melior: Tertius autem est ceteris longè perfectior, cum Superiori obedio, tametsi nullum planè mandatum mihi dederit, id unum prospectans animo, quod ipsum velle putavero.
137. 5. Non debeo cogitare de Superiore, qui me gubernat, summus ne, an medius, an infimus sit, sed æquè in omnibus Deum agnoscere, cujus vice funguntur. Nam personarum si distinguas gradus, perit in eisdem obedientiæ vis.
138. 6. Si quando mihi videatur a Superiore meo quid præcipi, quod contra conscientiam meam, & peccatum sit, Superiori verò aliud videatur, ubi ratio mihi evidens non affulserit, illi potiùs debeo, quàm mihi credere. Quod si hoc in animum inducere non possum, meum certè iudicium, sensumque deponam, & ad unius, aut duorum, triumvè iudicium rem totam rejiciam, ut quod ab illis iudicabitur, id sequar. Ac si ne his quidem acquiesco, longissimè ab eis sum perfectionis gradibus, quos religiosi viri status requirit.
139. 7. In summa, non meus esse debeo, sed ejus, qui me creavit, quique illius vice me regit, ac gubernat; cujus etiam manu, quasi cereus essem, flecti me sinam, quidquid tandem facere de me voluerit, sive in scribendis, accipiendisque literis, in loquendo, vel non loquendo cum hoc, vel illo, aliisque id genus; devotionemque meam, & celeritatem in exequendis mandatis debeo totam impendere.
140. 8. Debeo me, ut corpus mortuum reputare, cui nec intellectus inest, nec voluntas; & instar parvi Crucifixi facilè quoquo versum versatilis; atque ut baculum in manu senis, qui eo utitur, ubi magis ipso juvatur, eundemque deponit, ubi plus illum juvat; sic ego in Religionis manu esse debeo, ut me suo commodo quibuslibet in rebus utatur.



141. 9. Neque petere, neque rogare debeo Superiorem, ut me aliquò potissimùm mittat, atque ut in tali me munere utatur. Potero solùm cogitationem meam, meumque desiderium exponere, ita tamen, ut me humi ad ipsius pedes abjiciam, promptus, ut id putem optimum factu, quod illi mandato suo faciendum a me videbitur.
142. 10. Abs re tamen non erit facultatem petere ad res leviores, ac bonas; ut ad Stationes Urbis obeundas, ad gratiam aliquam a Deo petendam, & similia: dum eo semper sim animo, ut quod concessum, negatumve sit, id optimum credam.
143. 11. In his præterea, quæ paupertatem attingunt, a Superiore pariter pendere debeo; nihil ut planè habeam, quod meum esse ducam; sed quacumque re utar, ita me geram, quasi statua essem, quæ ipsam qualibet de causa spoliare volenti nec resistit, nec repugnat.
144. Et sanè, ait *Maff. l. 3. c. 7.*, cum in Societate nostra virtutem hanc ceteris omnibus anteferet, tum nihil hinc laudi tam contrarium dicebat esse, quam in Superiorum jussis, & consiliis, examinando, moram, vel potius arrogantiam: negabatque, obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo Superiori non cum voluntate iudicium quoque submitteret: id enim demùm esse Deo gratissimum holocaustum, cum omnes animi vires, ac præsentim intelligentia, & mens, quæ summum in homine obtinet locum, in obsequium Christi coguntur.
145. Oportet esse hominem interiorem, plurisque ducere compressionem privati arbitrii, quam vitam mortuo restitutam. Tanti verò apud Ignatium fuit virtus interior, & quæ lucent exterius, ac splendent, adeo timuit, ut morem spontaneæ afflictionis, palàm extra ordinem susceptæ, subinde suis abrumperet, tum ut meminissent, præstare victimis obedientiam, tum nè adhuc infirmi indè inaniter se efferrent.
146. Monebat demùm ingressuros ipso in limine, vel confinio Religionis, & seculi, non fore illic perpetuam, & quietam eis sedem, nisi pede conjunctim utroque, voluntate nimirum, & iudicio, limen transilirent, expediti ad omnes illorum nutus, quoscumque illis Deus præficeret.



147. Quamvis, inquebat, oblectare nos soleant omnia, quæ sentimus nos facere ad Dei gloriam, & honorem; juvat tamen ut impensius etiam delectemur, quando ea nobis ab obedientia imperantur; quia tunc certi sumus, quod ea rectissimè tendant ad Dei honorem, & servitium.
148. De obedientia crebrò inculcabat, quod ea, quæ ex sola voluntate profluit, non sit perfecta, nisi adjunctam habeat judicii submissionem, & conformitatem; adeò ut, qui in Societate non conformat judicium suum cum judicio Superioris, altero tantum pede sit in Societate, & hinc valdè pronus ad casum.

## DE PRUDENTIA.

149. **J**uvenum virtuti periculosa negotia perperam creduntur.
150. Vituperabat gubernatores aliorum, & magistros, qui in spiritali vita ceteros omnes ex se metirentur, & ad eandem, quam utilem ipsi sibi experirentur, vivendi, orandivè rationem revocarent. Hoc periculosum valde, dicebat, esse, & hominis multiformis gratiæ Dei dona, variasque Spiritus Sancti distributiones ignorantis, neque satis divisiones gratiarum in eodem Spiritu intelligentis. Unusquisque enim proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius verò sic. Ipse verò quantum in Dei via quisque profecisset, non fronte, ac vultu, sed animo, & fructu metiebatur: neque ex facilitate quadam, & bonitate naturæ, sed ex contentione, & sui cujusque victoria virtutum momenta ponderabat, secernebatque acutissimè naturæ motus, & gratiæ.
151. Nunquam agas, vel loquaris, nisi prius, an id Deo placeat, prosit tibi, ædificationique proximo sit futurum, cogitaveris.
152. Prudentia non parentis esse debet, sed imperantis.
153. In domo ritè ordinata senes juventutem, juvenes vivere debent senectutem, ut ex illis juvenum alacritas, ex his senum maturitas exigatur.
154. Dicebat, innocentiam vitæ, ac sanctimoniam multum quidem per se valere, & ceteris rebus omnibus longè præcel-



cellere; sed nisi cum prudentia, agendique cum hominibus modo sit conjuncta, mancam fore, ac infirmam, nec satis ad alios gubernandos idoneam; plusque sæpe exquisitam prudentiam cum mediocri sanctitate in gubernatione efficere, quàm cum minore prudentia majorem sanctitatem.

155. Quidquid in secreto loqueris, ita profer, ac si toti hominum communitati loquereris.
156. Prudentiæ tuæ statuendum relinquo, præstetne terrenis omnibus nunc illud opponere, *quid prodest homini?*, an verò postea ejulare, *quid profuit?*
157. Non cuique utilius est, quod per se est optimum; sed quid præsentibus rerum circumstantium momentis cuique maximè conducat, observandum.
158. In ferendo de legendis rebus iudicio hærendum non est in furore, quem præferunt, sed prospiciendum, quò desinant.
159. Res plena periculi est, uno omnes calle cogere velle ad perfectionem: quam varia, quamque multiplicia sint Spiritus Sancti dona, talis non intelligit.
160. Nec in affectu, nec in dejectione animi vehementi quidquam statuendum: sed ubi recessit fervor, eligendum quod matura ratio, non quæ impetus suaserit.
161. Agenda prævidere, & acta in censuram vocare, sunt fidissimæ rectè agendi regulæ.
162. Si regula, & moderatio desit, bonum in malum desinit, & virtus in vitium.
163. Verè prudentis est suæ prudentiæ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines, animo perturbato, ferè boni iudices esse non possunt.
164. Discussis, decretisque jam rebus, nox ultimum dare debet consilium.
165. Qui nimis prudentes esse volunt in divinis rebus, rarò, ajebat, magna, & heroica præstare. Nunquam enim se ad ea, quæ pulcherrima sunt, admovebit is, qui eorum difficultates, & ancipites eventus scrupulosè cogitat, & anxie nimis reformidat. Unde & Sapiens, (Prov. 23. v. 4.) *Prudentiæ tuæ*, inquit, *pone modum*: neque enim decet sine modo eam virtutem esse, quæ reliquarum modus, & mensura est.



## DE JUSTITIA.

166. **N**ihil diù præponderat veritati : oppugnari quidem potest, expugnari non potest.
167. Abstinerè à litibus non solùm liberale est, & christiana pace dignum, sed & fructuosum.
168. Si, quæ a Deo creata sunt, bona omnia in una, & in altera lance carceres, catenæ, probra locarentur, illa præ istis momentum habere deberent nullum.
169. In certis causis silere, quàm loqui præstat : nec vindice opus est stilo, ubi sui ipsius vindex est veritas.
170. Quisquis inter homines agere, versarique tutus desiderat, summi planè momenti id esse ducat, ut æquus sit omnibus, obnoxius nemini.
171. Nunquam aures tantis ditandæ sunt promissis, ut facta non valeant ex æquo respondere.
172. Præstat prece, & pretio, quam litibus obtinere, quod intendis.
173. Sua semper veritas luce splendet, ubi mendacium tenebris offunditur : sed his castigandis sola rei præsentia sufficit.

## DE FORTITUDINE.

174. **R**arum aliquod, & eximium facinus sexcentis vulgari-  
bus longissimè antecellit.
175. Ab omni quidem pertinacia procul esto : rei benè gestæ ita insiste, ne turpi fuga, aut quasi desperatione fatiscas.
176. In familiari etiam sermone nihil inculcabat sæpiùs, & urgebat, quam illud : *vince te ipsum*.
177. Iracundo, macte animi, Frater, inquiebat, expugna te ipsum fortiter, & duplò meritis auctior evades, quàm illi, & illi, quibus lentum, & lene ingenium nihil accessit negotii.







qui aliud non quærit, quam Deum, quàm videre lætum, qui omnia quærit alia præter Deum.

191. Tria sunt indubia Religiosæ Domus ritè institutæ indicia: si clausura, si munditia, si lex silentii exactè observetur.
192. Quisquis occultè improbus eos inter versatur, qui probitate delectantur, multo illic tempore durare non potest.
193. Religionem ingressurus sciat, non fore sibi perpetuam, & quietam illic sedem, nisi pede conjunctim utroque, voluntate nimirum, & judicio limen transiliat.
194. Ad quem finem vocati estis, ad eum infractis animis entimini, cum tot ejus causa vobis a Deo auxilia; & instrumenta suppetant.
195. Boni Religiosi munus est, ad Dei, non Principis obsequium homines promovere, ut ostendat se optimè fecisse talem eligendo Dominum.
196. Nulla res mundo magis despicabiles facit Religiosos, quam si varias secti per partes inter se dividantur.
197. Elegit vos Deus, ne vestrum animum humanæ res viles, & labiles irretitum tenerent, & vestrum cor in varias partes distractum occuparent.
198. In conservatione primi spiritus quasi omnis vita est Religiosorum cœtum.
199. Quanto magis se reperit anima solitariam, & segregatam, tantò aptiorem se reddit ad quærendum, attingendumque Creatorem.
200. Religiosi hominis officium est, ab aulica vita homines ad Christum potius abducere, quàm in illam quemquam inducere. Ipse verò operam suam ad Principum gratiam aucupandam, vel in eorum aulas intrandum, petentibus, respondebat: Ego quidem, Frater, præstantiorem, ac meliorem Dominum nullum scio, quàm eum, quem ipse mihi delegi: huic si servire cupis, & domi suæ versari, libentissimè meum omne studium præstabo.
201. Ignatii ad tyronem verba: Ego ridere, Fili mi, te volo, esseque in Domino hilarem: nullam habet Religiosus mœrendi causam, multas verò gaudendi. Proinde iterum hortor, animo sis semper alacri, & læto; ac futurus es profectò, si humilis, & obediens fueris. Hoc autem eò dico,  
quòd



quòd in te videor non vulgare ingenium cernere, dotesque magnis rebus olim gerendis non impares: quæ tibi si fortè non credentur, nisi piè humilis fueris, amarè, dolenterque accipies. Jam si tibi certa vel munera, vel loca designaveris, fiet non rarò, ut alia omnia de te obedientia statuatur: ex quo tibi mœrorem, & molestiam creari necessariò oportebit. Quare ut semper sis lætus, & hilaris, esto humilis semper, & semper obediens.

202. Non alii sunt ordinis dissipandi aditus proniores, quàm si alicundè incipias. Quantum enim tibi arridet illa mutatio, duplò tantum aliæ aliis placebunt, videbunturque necessariae. Sic illam veluti annulatim Instituti catenam dissolvi, necesse fuerit, quæ nisi nexu constare non potest, cum nisi ex mutua partium ratione, & habitudine non coaluerit.
203. Ob hoc admissi probantur, ut perspiciantur: ob hoc perspicui debent, ut, si malæ frugis fuerint comperti, amandentur.
204. De religioso statu non decere ab Aristotele Evangelio præscribi, nec Philosophiam haberi pro sanctimoniam arbitra.
205. Observationem in hominibus ad Societatem adscribendis tanti momenti ducebat esse, ut, cum alioquin e custodia corporis evolare quamprimùm optaret, hanc unam ob causam in aliquot annos propagari sibi vitæ spatia cuperet, quoad nimirum tirocinii formula, ac disciplina ad Societatis usum, & instituta probè constituta foret. Dicebat, si aliquid deberet sese inducere, ad desiderandum vitam (tametsi hac in re sese non determinabat), illud esse, ut foret difficilis in hominibus ad Societatem admittendis. Tirones autem ille non a naturali quadam bonitate, vel potius tarditate, sed à vigore magis ingenii, & rerum gerendarum adjumentis, legebat: negabatque, qui ad populi negotia factus non esset, eundem esse ad ministeria Societatis idoneum. Quod si quis bardum quempiam eo nomine obtruderet, quod ipsum utique e seculi naufragio diceret evasurum; nihilominus recusabat Ignatius, neminem, affirmans, e Societate Jesu dicendum esse, qui ad suam unius, non etiam ad aliorum salutem & acriter, &  
scien-



scienter posset incumbere. Duo sibi antiquissima semper fore; alterum, ne quempiam sine magno delectu in Societatem reciperet: alterum, ne quis in eam jam receptus, ad animarum antè causas adhiberetur, quàm multa, & magna suæ documenta virtutis, atque prudentiæ domi, forisque dedisset. Malebat (quod crebris solebat usurpare sermonibus) Societatem virtute præstare, quàm numero, & re magis ipsa, quàm nomine, cultuque distinguere.

206. Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse crucifixus est, vitæ nostræ ratio nos esse postulat. Homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut justitiæ viverent. Qui, ut ait Divus Paulus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, se Dei Ministros exhibeant, per arma justitiæ a dextris, & a sinistris; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; per prospera denique, & adversa magnis itineribus ad cœlestem patriam & ipsi contendant, & alios etiam quacunque possunt ope, studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes.
207. Ab omni alia cupiditate, vel etiam propensione soluti, ac liberi, ex uno tantum Superiorum nutu, ac voluntate penderent, neque assuescerent abditos eorum sensus exquirere, vel imperia sciscitari; vel quem, quibusve de causis iidem aut supra ceteros tollerent, aut etiam infrà suo arbitratu deprimerent; sed illis omne iudicium, & consilium à Superis datum, sibi simplicitatis, & obsequii gloriam esse relictam, putarent; essentque proindè ad omnia, quamvis ardua, & absurda, & subita paratissimi.
208. Dixit P. Ignatius, nunquam sibi placuisse duos ante annos inducere Novitios, ut vota emitterent. In eos, qui Angelum e cœlo vellent, qui certiores se faceret de suo tuto in Religionem ingressu, agebat, ejusmodi Angeli adventu fore opus, non ut mundo exiret, sed ut suæ salutis certus in ipso remaneret; cum tot in eo sint, ac tanta pe-



ea pericula, præsidia verò, quæ quidem adhibeantur ex usu, perpauca: sit autem adeo facile in Religione observante non modo salvum esse, sed & sanctum; cum gravis in eo culpa vel nunquam admittatur, vel subito deponatur.

## DE ORATIONE.

209. **M**alè ponitur in precum assiduitate studium, quod in domandis affectibus collocandum erat.
210. Experimento didici, ultra modum longis contemplationibus addictos, plus patere dæmonum præstigiis, ac reddi intractabiles.
211. Si quando calumnias ab improbis, vel ignaris in te congeri observaveris, Deum ora, ut avertat, ne quando mala de te dicuntur, & vera dicantur.
212. Plus unâ horâ Manresæ, Deo Magistro, discitur, quam quidquid, ubique Doctorum est, tradere potuissent.
213. Precandi studio deditis par periculum faciunt successus, & ariditas: illo proclive est, ut animus intumescat: hac facilè ad tædium provocatur.
214. Orationi deditus nec ariditate dejiciatur, nec extollatur consolatione: aridus recordetur gratiarum, quibus fruitus est: devotus reputet, hanc esse eleemosynam a Deo gratis datam.
215. Nec discursu, nec rationibus ullis tantum erudimur, quantum humili ad Deum recursum.
216. Qui domitos habet affectus, plus unius quadrantis meditatione fructus consequetur, quam crudus aliquis plurima.
217. Esto & homines, & rationes omnes suadeant, nulli negotio dandum est principium nisi prius Deus per preces consulatur. Nihil nobis agendum alicujus momenti, quin prius per peculiarem recursum ad Deum, & saltem præviam mentis elevationem a Deo consilium imploremus, sicuti a Patre optimo, & sapientissimo, collocando in eo totam nostram fiduciam.
218. Meditatio, & cum Deo communicatio liberæ naturæ vires stringit, & impetus frænât.



219. Ratio juvandi proximos ( quâ longè , ac latè patet ) sanctis desideriis , precibusque continetur .
220. Frequens est dæmoni hoc agere , ut præfixum orationi , vel meditationi temporis spatium decurtetur .
221. Hoc familiare nobis deberet esse , ut Deum in omnibus rebus præsentem cerneremus , & mentes non in oratione solum ad cælum attolleremus .
222. Inconsulto Deo , aggrediendum est nihil .
223. Non existimabat sanctiorem , qui patientius oraret , sed qui debellasset seipsum potentiùs , sensuumque , & animi seditiosos motus generosius calcasset ; id quoque non raro asserens , longo sibi usu exploratum , inter centum , qui sanctimoniam medullam in perpetuandis orationibus quærerent , repertum iri vix novem , aut decem , quos non privati nævus iudicii , obstinatique in suam sententiam , & intractabilis ingenii non inficeret scabies , nulli regulæ cessura , ut qui se putent jura , & regulam aliis dicere . Ex opposito verò plaris æstimabat actum heroicum subactæ fortiter naturæ , & opinionem sui magnam contemptu masculo proterentis , quam piorum suspiriorum lenes auras , & multarum horarum fletus dulcissimos . Sæpenumerò timere se , dixit , ne alia via putaremus eundem ad sanctimoniam , quàm quæ Societatis est propria ; poneremusque in precum assiduitate , quod est in domandis affectibus collocandum . Prolixa quidem meditatione opus esse ad obtinendam suiipsius dominationem , ac de illa cum Deo , secumque sedulò tractandum : ceterùm eam qui semel adeptus sit , intra horæ quadrantem procliviùs Deo inhæsurum , & arctiùs , quam multis horis quemlibet alium affectùs parùm edomiti . Assurgendi enim ad Deum , eique inhærendi impedimentum gravius nullum est , quàm esse sumet tenacem , sibi que inhærerere .

### DE P Æ N I T E N T I A .

224. **M**ultò ardentius insistendum homini interiori domando , quam corpori , & frangendis animi motibus , quàm ossibus .



225. Non sumus nos Domini corporis, sed Deus; ideo ejus afflictiones una singulis mensura dividi non possunt.
226. Sicut viribus corporis, & animi abusi sumus, ut contra Dei legem faceremus, ita, recuperata per pœnitentiam gratia, iisdem viribus ad vitæ emendationem utamur.
227. Mos spontaneæ mortificationis palàm extra ordinem susceptæ utiliter prohibetur: tum ut meminerint, præstare victimis obedientiam, tum ne se inaniter efferant.
228. In afflictionum genere præferendæ sunt illæ, quæ sensum inferunt acriorem, sed damnum levius; his enim corpus & molestius, & durabilius affligitur.
229. Par Deo reddenda est ratio, si deliciis in culpam aliquam emolliatur corpus, & si illud severitate nimia enervetur, licet divini honoris, & meriti causa suscepta videatur.
230. Mortificationi danda quidem utrique est opera, eo tamen discrimine, ut interiori præcipuè, perpetuò, atque ab omnibus; exteriori, quantum & rerum, & personæ, & temporis conditio exigit.
231. Ita vetus homo mortificandus est in virtutis tyrocinio, ut novus non moriatur.
232. Si corpus valetudinis prætextu molestiam queritur, non est audiendum spe liberationis, sed mutatione æqualis molestiæ elidendum.
233. Nec corporis, nec passionum mortificatio differenda est in senium, quod & incertum est, & severitatem non patitur.
234. Difficilius est spiritum comprimere, quam carnem affligere.
235. Ita pœnitendum, ut in corde contritio, in ore confessio, & in opere sit satisfactio.

## DE CRUCE.

236. **U**niversum mel, quod colligi potest a floribus hujus mundi, tantam non habet dulcedinem, quantam habet Domini Jesu fel, & acetum.
237. Eamus alacriter, securi, crucem, quæcumque ferenda sit, sine Christo minimè futuram, ejusque præsidium adfore



- fore semper nobis hostium omnium conjuratione potentius.
238. Quanta illorum paucitas, qui Sanguinis Jesu pretio ad salutem utantur!
239. Hoc inter felicitatem humanam, & Christi Crucem interest, quod illa gustata fastiditur, hæc, quo plus est pota, majorem sitim accendit.
240. Debent nobis corporis excusationes semper esse suspectæ; quippè fugam laboris ficta debilitate virium prætere-  
xere soliti.
241. Magnum agit amor proprius: oculos mentis persæpè fascinat, ut putemus impossibilia, quæ si lucem veram admitterent, facile patéret, facilia fuisse, imò & necessaria.
242. Nullum lignum est aptius flammæ divini amoris excitandæ, quam lignum Crucis, quo Christus est usus ad infinitæ suæ caritatis sacrificium.

## DE ADVERSIS.

243. **M**ira mundo pax mecum est; dum linguæ ignarus patriæ bellum mundo tantisper non moveo: sine, possim in campum instructus armis prodire; videbis Urbem in armis, ac me in certamine.
244. Si contingat te pati, quidquid Deus velle, aut hujus permissu dæmon inferre possit, speranda tamen in Deo victoria.
245. Dum secundo cursu fluunt omnia, suspicio est, an non illic parùm felix sit divini obsequii cursus.
246. Tempestas absque nostra culpa in nos sæviens, est quædam futuri, & secuturi brevi proventus significatio.
247. Persecutio flabellum est, quo virtus nostra excitetur.
248. Maledicorum ora graviorum virorum testimoniis sunt diluenda, & benefactis os loquentium iniqua obstruendum.
249. Qui Deum habet, cum hic sine sua voluntate perdi non possit, nihil ei triste accidere potest; quidquid enim doloris est, oritur ex amisso, vel amittendo bono.
250. Justo etiam adversa inimicæ sortis tela proficua sunt,  
nocen-



nocendo prosunt: non secus ac si gemmea grando vineam foliis privet, & thesauro ditet meliori.

251. Providentia amantissimi Patris nostri, & sapientissimi Medici, quos maximè amat, & quamcitissimè post hanc vitam deducere vult ad æternam, eos tantò magis purgat in hoc seculo.
252. Via evitandi tribulationes, & afflictiones mentis in hoc mundo est, ut conemur conformare penitùs voluntatem nostram voluntati Dei.
253. Experientia docere solet, quòd ubi multæ sunt contradictiones, ibi major speratur fructus.
254. Compendiosissima ad perfectionem via est, si multa adversa, magnaue pro Christi amore patiare. Pete hanc gratiam a Deo; nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit: hoc enim uno beneficio multa, magnaue ejus continentur beneficia.
255. Nulla creatura potest lætitiã talem in anima procreare, quæ æquare possit gaudium illud Spiritus Sancti, & purissimam alacritatem, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa, magnaue pro ejus amore pertulerunt.
256. Tempestatem illam contra societatem sine societatis culpa Toleti coortam, significationem quamdam esse, aiebat, futuri in ea urbe proventus: eò enim uberiores, lætioresque terræ solum fruges effundere, quo major esset hibernæ tempestatis antegressa tristitia: Societatemque in iis semper locis fuisse secundiorem, ubi magis vulgò depressa majoribusque injuriis exagitata fuisset. Nullam tranquillitate ipsa tempestatem timebat Societati sævior, nullum genus adversariorum periculosius, quam adversariis carere.
257. Si tibi Deus uberem præbebit tolerantia segetem, argumentum id erit magnæ sanctitatis, in quam te cupit at tollere; ac si voles ab eo fieri valde sanctus, multam ab eo roga perpessionum materiam. Nam divini amoris luculenta flamma haud alio surgit, quàm ex ligno Crucis ardentior: qua Christus usus est ad sacrificium infinitæ suæ caritatis. Aiebat enim, ex floribus, & deliciis hominum quidquid potest mellis exsugere, nihil esse præ suavitate, quam Christi fel, & acetum affundit; hoc est,



amara, & aspera, quæ Christi amore cum Christo perferuntur.

### DE MUTATIONE MORUM.

258. **N**on mutat mores cœli mutatio: nisi se imperfectus deserat, vix erit alibi, quàm istic melior.
259. Unusquisque persuasum habeat, tantum se in spiritualibus profecturum, quantum ab amore sui, & commodi proprii affectione sese subtraxerit.
260. Si vel ex gradus, in quo stat, auctoritate, vel ex officii, quod gerit, debito, mundum reformare quis velit, is a se incipiat, est necesse.
261. Commodis suis implicitos non convenit statim adoriri; quod foret hamum sine esca, & illiciis jactare.
262. Si parum domiti naturæ impetus verba, factave a nobis frequenter excutiant, ab eo, quod profiteamur, aliena, tandiù sunt durius castigandi, dum nobis obtemperent.
263. Siquis improvidè aliquid elegit, quod non licet retractare, reliquum est, ut ubi eum cæpit pænitere facti, electionis damnum probitate vitæ, operum solertia compenset.

### DE TENTATIONIBUS.

264. **D**icebat a diabolo ita hominem aliquando tentari, atque opprimi quodam modò, ut de mentis exiisse potestate videatur: & interdùm naturæ adscribi, morbo nonnumquàm, quod tentationi esset tribuendum. Dæmonem vero, cùm adoriri quempiam, exagitareque infestius cupit, nocturnum tempus maximè observare, in quo ille, quem aggredi parat, e somno suscitatur; ut expecto fœda, & impura objiciat, antequam a Deo sanctis cogitationibus occupetur. Perutile sentiebat esse, cum quis graviùs impugnatur, si semper aliquem habeat, a quo recta audiens, sustentetur, ac fulciatur; ut ubi oppugnantium dæmonum adest copia, ibi etiam propugnantium non desit multitudo, & conatus conatu, quasi clavus clavo repellatur.



265. Plus plerumquè latet periculi in minimis peccatis commenendis, quam in maximis.
266. Perpetuæ felicitati non fidendum, tumque metuendum maximè, cum ad nutum fluunt omnia.
267. Quibus in domibus suda semper, & immota dominatur tranquillitas, ibi multum sit, nisi vitia nidulentur.
268. Valentior nunquam contra nos evadit hostis tartareus, quàm cum secretò, ac clanculùm operatur.
269. Quidquid aliundè quam a Deo, & ratione instituti sui dictatur, tentatio est, suspecta res esto.
270. Si pulsu pravorum affectuum insolenti animum ad scelus cacodæmon proliciat, remediis quoque insolitis spontaneæ afflictionis præter consuetas occurrendum.
271. Impugnaturus hominem Dæmon, primùm circumspicit, quâ parte debilior, quâvè neglectior sit: eò machinas admovet: illic impressionem facit.
272. Iisdem contra Dæmonem utendum est armis ad salutem, quibus ille abutitur ad nostram perniciem.
273. Nulla est bestia super terram Dæmone efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra malignæ obstinatæque mentis suæ desiderium impleat.
274. Si te Dæmon ad peccandum impellere nequit, gaudet fecisse molestiam, & animi serenitatem minuisse.
275. Ut bonum, quod fit, omittatur, sæpius Dæmon invitat ad majus; quod tamen deinde, novis difficultatibus objectis, impedit, ne fiat.
276. Jami metum omnem tollit Dæmon, ne cadas; nunc auget, ut cedas: utrumque in perniciem tuam.
277. Contra quotidianas Dæmonis insidias, par est, quotidianas statis horis augere vigilias, in se descendere, dicta omnia, facta, & cogitata coram Deo diligentissimè reputare.
278. Quantum salus, & innocentia subit discrimen in mediis procellis, & tempestatibus iis, quas nunc bonorum, & opum, nunc honoris, & gloriæ, nunc voluptatum avidissimus turbo excitat!
279. In tentatione accersenda est spes, & cogitatio adfuturæ brevi consolationis: præsertim si per sanctos conatus desolationis conatus sensim frangatur.



280. Obversante desolatione agitur homo a maligno spiritu, cujus instigatione nihil unquam rectè conficitur.

## D E P E C C A T I S .

281. **A**bsit, vel una nocte sub eodem tecto cum illo commorari, cujus animam gravis noxiam peccati noveris.
282. Vel unicum impedivisse peccatum pro omnibus etiam istius vitæ laboribus & curis satis magnum impensæ operæ pretium est.
283. Servitutis, aut, quæ mihi ante oculos ponitur, mortis timorem, pro minimis pono: unus Dei offendendi timor me coërcet.
284. Contra id vitium capessenda sunt arma, quo te præcipuè urgeri sentis; nec ante canendum receptui, quàm illud Deo duce debellaveris.
285. Conatus conatu, consuetudine consuetudo, quasi clavus clavo retundatur.
286. Quod in principio facilè aboleri potuisset, diuturnitate temporis, & operis iteratione redditur irremediabile.
287. Errores, si, ut humanum est, in aliis occurrunt, speculum tibi sint, e quibus videas, quid in te defformitatis tollere debeas.
288. Rarus foret, qui defectus suos undequaque agnosceret, nisi Deus ei specialiter revelaret.
289. Propter aliquem abusum nihil, quod ex se malum non sit, est abolendum; aliàs magnis Divinæ gloriæ incrementis via præcluderetur.
290. Qui se errasse comperit, non cadat animo: etiam errores prosunt ad sanitatem.
291. Divulsum a corpore membrum neque motum, neque sensum, neque omnino vitam ex corpore suo accipit.
292. Præstat violentâ manu vitâ exturbari, quàm vanitati vivere.
293. Si pax, & tranquillitas animi quæritur, certè hæc non fruetur is, qui habet intra se causam perturbationis, ac tumultus.
294. Quotiescumquè alienum patefacimus defectum, nostrum ipsorum vitium commostramus.



295. Plus Maria dolet Unigenitum peccato ab hominibus offendi, quàm doluerit, eundem crucifigi.
296. Cùm omnia vitia, aiebat, declinanda esse, tùm ea cuique potissimùm, ad quæ proclivior cujusque natura sit; ab his enim certiores, ac funestiores impendere ruinas, nisi diligentèr sibi quisque caveat.

## DE SUSPICIONE.

297. **M**alus ipse facilè alios suspectos habet; ut qui vertigine laborat, credit, omnia commoveri; non horum, sed humorum suo in capite inquietorum vitio.
298. Christianus unusquisque pius esse debet promptiore animo sententiam, seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quàm damnare.

## DE SCRUPULIS.

299. **S**crupulus per tempus aliquod, dum præsertim recens est vitæ melioris institutio, animam rebus spiritualibus vacantem non parum juvat.
300. Si quam dæmon conscientiam invenit delicatam, multò delicatiorè effecere nititur, & in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut sic miserè turbatum a profectu spirituali tandem dejiciat. Si cujus viderit conscientiam piè timidam, & angustiorè, adstringet hunc meticulosiùs, ut ille ex levibus in capitalia devolvatur; hic officiorum minutiis scrupulosiùs pendendis discruciet se se, & perplexa mentis inquietudine ad insaniam agitatatus, denique desperet.

## DE VIRTUTE.

301. **M**inus de scientia, plus de virtute.
302. **M**Expedit nihil differre in crastinum, quod hodiè præstare possis.
303. Longè melius est obtinere unicum granum alicujus boni cum securitate, quàm centum cum periculo salutis.
304. Ut rudis, & informis stipes non suspicatur, fingi se  
pos-



posse in statuam, quæ pro artis miraculo celebretur, sed statuarius videt, quid ex illo fieri valeat: sic multi, qui vix aliquid de Christiano sapere videntur, non intelligunt, se posse Dei manu in sanctos efformari, nisi manui hujus Artificis se opponant.

305. Qui obliviscitur sui, & suorum commodorum propter obsequium Dei, habet vigilem pro se Deum, qui melius ipsi provideat, quam posset ipse sibi ejusdem immemor.
306. Ut in salutem animarum efficaces sint naturæ dotes, interiori virtutis impulsu eas agi oportet, indeque vires ad rem bene gerendam ducere.
307. Nequaquam detractum puta pietatis studio, quod naturæ necessitati conceditur.
308. Cavete, nè Filii hujus seculi majori cura, & sollicitudine in caducarum rerum, quam vos æternarum, assecutionem incumbant.
309. Melius est parum benè fundatum, & durabile, quam multum incertum, & malè securum.
310. Duplici nos via instituit Deus: una per se, quæ, quia occulta, ideo ignota: altera instrui per hominem sinit.
311. In rebus humanis minùs accurate versari, jure forsàn ignoverit quispiam; at immortalis Deo servire negligenter, id verò nullo pacto ferendum est.
312. Malo Dei servos virtute præstare, quam numero; & re magis ipsa, quam nomine, cultuque distingui.
313. Quæ retrò sunt, quæso, in gratiam Jesu Christi obliviscimini, & quasi nunc primò tam longum iter suscipere, virtutis viam indefesso progressu alacritèr metimini.
314. Paucissimi sunt, qui intelligant, quid illis Deus faceret, si totos se ei permitterent.
315. Omni contentione laborandum, ut id, quod sequimur, assequamur; & perfectionis viam ingressi, perveniamus ad id, quod perfectissimum est.
316. Compendiosissima, & ferè sola ad sanctitatem via est abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur.
317. Mensura profectus ex vultu, gestibus, naturæ facilitate, aut amore solitudinis malè sumitur; cum à vi, quam sibi quisque infert, sit desumenda.



318. Magna in proficiendo utilitas est, amicum habuisse, cui defectuum tuorum te monere sit indultum.
319. Virtus, & vitæ sanctitas non tantum apud Deum, sed & apud homines, vel omnia possunt, vel multum.
320. Propter remotam spem multa in obsequium Dei faciendi, inconsultè negligitur præsens occasio: fiet enim, ut hæc amittatur, & illa non obtineatur.
321. Multos famæ, & virtutis commendatio a viro gravi profecta, plùs quam virtus ipsa ad sui amorem trahit.
322. Quisque seipsum prius approbet; tum facilè in aliorum mentibus sui approbationem ingeret.
323. Volenti nihil difficilè, maximè ex iis, quæ fieri debent ex amore.
324. Tantò majorem quisque faciet progressum spiritualis vitæ, quantò magis ab amicis, notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum sollicitudine se se abduxerit.
325. Ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum necesse est, tendat, in quam inimicus tentat pertrahere.

## DE STRENUITATE, ET DILIGENTIA.

326. **C**ertum est pigros, quòd se ipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam virtutis possessionem venire; cum tamen diligentes utrumque paucis diebus facilè consequantur.
327. Si miles in bello generosiùs pugnet, ut futilem gloriam, & exuvias colligat, quam vos, ut de vobis victoria strenuè parta, æternam consecuti gloriam in cœlesti regno triumphetis, Christi militum nec nomen, nec animos impletis.
328. Illos in cœlo pretiosissima corona manet, qui opera sua omni, quà possunt, agunt diligentia: nec enim sufficit opera per se bona facere, sed opus est eadem benè facere.
329. In bonis vestris, sanctisque exercitiis ab omni tepóre, & pigritia tanquam ab hoste omni capitali abhorrete.
330. Ad quem virtutis gradum piger per multos annos non potest pervenire, eò brevi diligens mirabiliter volat.



331. Vince te ipsum : si enim te viceris , splendidior in cœlo , quàm alii , qui mitiori sunt ingenio , coronam adipisceris .
332. Si quid in crastinum per te sponsum est , id hodie potiùs persolvatur , quàm differatur .
333. Ex tepóre pariter , & fervore nimio morbi animi profiscuntur .
334. Unius casus ceteris est terrori , & multorum fervori in via virtutis tepórem aspergit .
335. Dum multa opera supra vires accumuluntur , calcaria sine freno equo aptantur indomito , atque intractabili .
336. Multum sola laboris pro animabus suscipiendi intentione præstatis .
337. Quem tanta , quanta vos serviendi Deo , obligatio devincit , vulgari labore , & famulatu non est contentus .
338. Usu ipso , & experientia docemur , non ignavos , & tepidos , sed ardentis , & gnavos in obsequio divino , animi pace , & tranquillitate potiri .
339. Hostis ille noster nulla re magis caritatem extinguit , quam immodico , & inconsiderato in virtute progressu .
340. Illos quisque sibi ad imitandum proponat , quos diligentia insignes , & magnanimitate viderit .
341. Negligentia , & tepiditas mæstos pariunt semper ignavo labores .
342. Viles , abjectos , imbelles vos , ignavosque putate , si vel unus in aula reperiatur , qui ut terreni Principis favorem aucupetur , ipsius adsit nutibus diligentius , quàm vos , ut gratiosi apud cælestem Regem evadatis .
343. Otium malorum omnium origo , quoad ejus fieri poterit , locum non habeat .
344. Cum quemdam in tradito sibi munere valde remissum , atque oscitantem invenisset , quæsit ex eo , cuinam in tali ministerio daret operam , Deonè , an hominibus ? Cum ille , se Deo utique deservire , dixisset ; plecteris igitur , inquit Ignatius : nam in rebus humanis minùs accuratè versanti , jure forsàn ignoverit quispiam : at immortalis Deo ministrari negligentèr , id verò nullo pacto ferendum est .
345. Nihil in Dei famulatu periculosius esse dessidià .



## DE MUNDITIA.

346. **N**eque sordidum, atque incompositum in te quidquam pátere; sed & affectatam diligentiam, quæ mollius aliquid, & arrogantius sapit, procùl habe.
347. Vestis tua, ut quadret, sit honesta, sit ad usum loci, in quo vivis, accommodata, sit status tui professioni congrua.
348. Mundities, si modesta sit, & gravis, ut compositi, ornatique animi testis est, ita nimia, quæ placendi studio plerumque sumitur, negligenda.
349. Munditias in victu, cultuque dilexit, sed faciles, & nequaquam exquisitas, cujusmodi & viatorem, & Christi famulum decent.

## DE CONSOLATIONE SPIRITUS.

350. **P**ropter nostram in spiritualibus rebus acediam consolatione divina meritò privamur.
351. Nulla res creata potest talem lætitiã in anima creare, quæ possit æquare gaudium Spiritus Sancti.
352. Nec optatum, nec jucundum magis quidquam accidere potest, quam pro Christo, proximique salute mori.
353. Sentio in corde musicam, sed sine voce: audio harmoniam, sed sine sono; tam jucundam tamen sentio, ut nihil ei in mundo comparari possit.
354. Inter pium, & vanum hominem ea est differentia: ille terrenis abstinet, & abundat spiritualibus solatiis; iste delectatur sensualibus, & cruciatur internis.
355. Tanta est divinæ consolationis abundantia, ut ejus dulcedo non animam solùm afficiat, sed in corpus etiam redundet.
356. Proprium est Dei, & Angeli cujusque boni veram infundere spiritualem animæ lætitiã.



## DE DIVINIS GRATIIS.

357. **P**lurimas nobis Deus gratias ultrò largiretur, nisi perversa nostra voluntas liberalitati ejus obicem poneret.
358. Summa Dei bonitas, immensus amor, caritasque paterna ad perfectionem nobis spontè largiendam, quàm nos ad eam vestigandam, paratior est.
359. Tum ad percipienda, tum ad communicanda dona Sancti Spiritus, multis partibus literis bona vita antecellit.
360. Divina liberalitas abundè supplet lucrum, quod videt sua causa contemni.
361. Quò propiùs aliquis Deum accedit, eò meliùs ad suscipienda ejus bonitatis dona disponitur.
362. Omnem ordinem, & eligendi formam spiritus, qui ad electionem movet, facilè supplet.
363. Sicut magnam in cœlo reportat mercedem, qui pravam conatur expellere cogitationem, ita magno se exponit periculo in gravia labendi mala, qui bonis inspirationibus non assentitur.
364. Perpaucos, ac ferè vix ullum esse, dicebat, qui perfectè intelligat, quantum Deo volenti in eo operari, ipse impedimento sit, quantumque Deus in nobis efficeret, nisi a nobis ipsis impediretur.
365. Multi, qui vix Christianos agunt, non intelligunt, se posse Sanctos esse, si divinæ gratiæ se se formandos permitterent, nec obsistendo, eam turbarent formam, quâ ipsos vult perficere.

## DE SS. EUCHARISTIA.

366. **I**ncredibilis est solatii, quotiès divinis epulis accumbimus, toties non Christi tantùm, sed & matris ejus sanctissima carne nos pasci.
367. Non idèò pane Angelorum abstinendum, quòd meliores non experiamur sensus; foret enim perindè, ac si vellem inedia perire, quòd pane mellito caream, & grati saporis insana cupidine vitam destruere.
368. Inter còmoditates, quas multas, ac peregregias devotus



tus augustissimum Corpus Domini Jesu percipiendi, ac frequens usus secum affert, illam esse eximiam, quòd digne communicantem ita virtute Sacramenti confirmat, ut ne in peccatum grave labatur; aut si humana imbecillitate victus cadat, brevi certè a peccato resipiscat.

369. Frequentem Eucharistiæ usum ei suadebat, qui aliquem inde fructum referret, seque juvari animo sentiret, ac divino amore magis inflammari. Atque in hunc finem docebat, Eucharistiam esse sumendam.

## DE FAMILIARI SERMONE.

370. **I**d tibi principium esto, ut sermonis quidem ingressum facile concedas aliis terrena sapientibus; exitum verò tibi reserves, ut acceptum qualecumque sermonis metallum auro tingere coneris.
371. Cum omnibus quidem, sed cum inferioribus præcipuè, oportet esse in loquendo parcos, patientes in audiendo. Patulæ dandæ sunt aures, dum ille sensus animi sui omnes expressisse videatur.
372. Fallendi temporis causa ad te venientibus, de morte, de iudicio, similibusque austeris, quæ istiusmodi hominum, quamvis insorduerint, mordaciter aures radunt, occurre: ita tibi, & illis consules; vel enim redibunt meliores, vel suffurando tibi deinceps tempore abstinebunt.
373. Cum nullo mortalium, licet pessimo, de rebus Dei sermo miscetur, quin plurimum indè lucrum referatur.
374. Quantò utilior est ferventis conversatio cum externis, si bona sit, tantò damnosior est, si dissoluta sit.
375. Magnum, rarum tamen est artificium, agere multa, agere cum multis, & tamen nec a se, nec a Deo unquam recedere.
376. Integra prius personæ habenda est cognitio, ut te in ejus immittas amicitiam.
377. Cum secularibus præstat manè de rebus ad salutem pertinentibus, profana post meridiem tractare.
378. Ne sis communis omnibus, nec familiaris, sed consule spiritum, ad quem te magis impellat.



379. Si vis in amore proficere, loquere de amore: ut enim flammam ventus, sic pia colloquia suscitant caritatem.
380. Exoptanda est sermonis gratia ad agendum cum proximis necessaria.
381. Quò interiore viros spirituales ad consuetudinem, & familiaritatem admiseris, eò majorem capies in Domino voluptatem.
382. Audire facilius est, quàm loqui: oportetque audire multum, & parùm loqui.
383. In omni sermone, maximèque in pacificandis hominum animis, ac reconciliandis, in controversis rebus definiendis, tractandisque divinis rebus, eam moderationem, cautionemque adhibendam, ut nè unum quidem excidat inconsideratè verbum: quoties autem loquimur, cogitemus, uni dictum, a pluribus audiendum, & quæ secretò loquimur, in foris prædicanda: sic enim æqua erit mensura verbis, & christianæ prudentiæ pondus.
384. Pulcherrimum arbitrabatur esse munus, nostræque Societatis maximè proprium versandi familiariter cum hominibus, & agendi. Sed illud, quò plus habet utilitatis, si rectè fiat, eò etiam plus periculi, si ineptè. Nam ut moratus sermo, & modesti, prudentisque hominis assiduus usus alios ad Christum maximè allecat, & invitat, ita præcipitis, atque inconsiderati a sancto plerumque proposito avertit, & offensio contrahitur, ex quo utilitas quærebatur.

#### DE MULIERUM FAMILIARITATE.

385. **O**mnia quidem mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ spiritalis aut sunt, aut videri volunt, vitandam esse, dicebat: sed earum maximè, quæ ætate, vitæ suæ genere, naturaque ipsa periculosiores sunt. Harum etenim consuetudine solent viri aut uri, aut leviter comburi; & si minus flamma, certè fumus exurgit: *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* (Eccli. 42. v. 13.)



## DE REGIMINE.

386. Imperium magis impatiens, quàm disciplinæ cupidum, arguit castigatio justo frequentior.
387. Quos robusto pectore, & virtute mascula solidos comperimus, ut habemus cariores, ita exilibus etiam de nævis severiùs veniunt castigandi.
388. Nolo in iis, qui præsunt, animi motus, iræ potissimùm, extinctos, planeque mortuos, sed probè domitos.
389. Caveant, qui regunt, ne suos asperitate a se faciant alienos: vel suspicio severitatis nocet.
390. Heu! quantum decipiuntur, qui se spiritu plenos rati animarum gubernationem ambiunt!
391. Ita subditos tractet Superior, ut sine gemitibus vivant alacres, & Deo serenà mente serviant.
392. Res potissimum publicæ, ut plurium oculos, & judicia subituræ, non inchoentur, nisi media ad finem deducendi sint prævisa.
393. Errores quam primum tollere debet Superior, ne si semel, iterumve conniveat, mos in legem transeat.
394. Quantò exactiùs Superiores res omnes internas, & externas suorum noverint, tanto majori cum diligentia, amore, & sollicitudine juvare eos poterunt.
395. Qui cum facultate præest, videat, ne caritatis particularis affectus universali noceat.
396. Malè credit iudex accusanti, nisi audito accusato, hunc reum inveniat.
397. Cui inutilis benignitas extitit, utilis ejus exemplo ceteris sit severitas.
398. Oliveri, facias, sicut tu vidisti, & ut unctio docebit te. Accommoda regulas loco, ut poteris. Para, Oliveri vestes secundum pannum, quem habes; sed quomodò egeris, & distribuieris, doce.
399. Sola probitas universim ad regendos alios non sufficit, sed magno simul est opus iudicio, atque prudentia.
400. Quando pro bono pacis aliquid est detrimenti pro Deo subeundum, Dominus temporarium illud detrimentum cumulatissimè compensabit.



401. Valde vituperabat moderatores animarum eos, qui vel una, eâdemque via, ac forma, quam ipsi tenuissent, ceteros etiam ad studium perfectionis conarentur adducere; vel dumtaxat si quis ad pietatem esset sua sponte propensus, formandum, regendumque susciperent. Sed ipse nimirum vel feros, & barbaros homines non dubitabat aggredi; sic, ut in singulis, quod dabatur, acciperet; & quos ad consilia Christi provehere non posset, certè ad præcepta sensim allicere nitebatur. Atque ut bonus agricola non tantum rectas, & fructuosas arbores, sed etiam depravatas, neque ita fertiles, colit, easque vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, vel sub aliena latentibus umbra cælum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; sic ille, rerum difficultate nequaquam exterritus, dispiciebat in primis, quod ingenium, quâ ratione tractandum esset; iisdemque sæpè morbis pro varietate naturæ, non diversas modò, sed contrarias etiam inter se medicinas adhibere consueverat. Quod si quem, omnia expertus, tamen e cæno peccatorum extrahere nequivisset, non ideò contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum, & operam perdidisset; sed conscientiæ, & officii fructu contentus, acquiescebat in alto Providentiæ divinæ consilio.

### DE IRA.

402. **Q**uem iræ vexat intemperies, malè se aliorum consuetudini subtrahit: nec fuga hic hostis, sed pugna vincitur: non sanat iracundiam solitudo, sed dissimulat, & tegit. Plus Deo daturus es, plusque accepturus, asperitatem ingenitam vel interdum, vel crebrius frangendo, domesticæ consuetudinis occasione benè usus, quàm si annum totum spelunca conditus, & mutus lateres.

403. Quibus est refractaria, & vehemens indoles, ac modicæ nescia, ne idcirco virtutem desperent, tanquam supra vires, & ambitus positam; sed ingentes ad domandam naturam spiritus assumant; sciantque, vel unam ejusmodi sui victoriam præstare pluribus aliorum facinoribus præclaris,



ris, obsequentis, & imperturbati ingenii beneficio editis, nitente in oppositum nemine.

404. Iram moderatam, dixit Oliverio Manaréo, esse ad benè gubernandum valdè utilem, si ratione, ac Dei timore temperetur: proindè tantùm curarem (ego Oliverius) illam frænare, ac reprimere, ut non erumperet foras: de cætero non essem multum sollicitus.
405. Quibus corporis constitutio biliosior esset, ac ferventior, magnam sui curam suadebat, seque ut præmunirent, ac meditatione præpararent; præsertim si cum aliis iracundis item hominibus, & naturâ biliosis versarentur. Facile enim dissidium fit, nascunturque offensiones, nisi qui talis est, præparatione illâ se comparet, sibi que ipsi vim inferat, ut naturali suæ propensione resistat. Neque tamen in præfervida solùm, vehementique naturâ refrænanda, ejusmodi provisione animi utendum, ajebat, sed in reliquis etiam vitiis, & naturæ propensionibus cohibendis. Multum enim continet, & quasi vinculis quibusdam rebellem nostram naturam, nascentesque indè vitiosas libidines, constringit continua secum habitatio, & ordinaria, sollicitaque sui cura, quâ quisque circumspicit, atque perpendit & agenda, & dicenda, & quæ sibi tandem possint evenire. Si quis verò eum inveniat socium, amicumque ita fidum, quòcum sine incommodo defectus suos communicet, quin & amicè moneatur, ac vicissim commoneat, magnum id sanè afferre solet emolumentum.

## DE CORRECTIONE.

406. **U**t correctio locum habeat, debet esse vel auctoritas in corrigente, vel amor cognitus in corrigendo.
407. Asperitas in eos, qui imbecillæ virtutis sunt, minimè adhibenda; nè mali multò plus nascitura inde diffidentia pariat, quàm expectari possit de reprehensione acerba boni.
408. Si quis in populari commercio Principes, & Magistratus particulatim reprehendit, plus damni, & scandali generat, quam ponat remedii.
409. Sicut damnosum est Primates coram populo allatrare,  
G g g g
atque



atque proscindere; ita privatim admonere eos, qui, si velint, mederi malo possunt, operæ pretium est.

### DE CONCIONATORIBUS.

410. **C**oncionatoribus, universisque populum docentibus scribendum diligentèr, & multùm ante meditandum, quam dixerint: nihil temerè asserendum: a novis, dubiisque rebus abstinendum: & in concionibus modestè hominum vitia castiganda potiùs, quàm plausibilia, & quæ auribus delectant, persequenda.
411. Ardentioribus morum correctoribus, qui nimis rerum publicarum studio afficiuntur, id consilii dabat, ut in se ipsos, & in res quisque suas eam omnem curam converteret, quam incassùm alienis impenderent: tum perpendere, quarumnam Deus postremo die rationem sit exacturus; ac porrò se præpararent, ut planè de propriis satisfacerent, non autem de alienis, quæ se ratione officii non attingerent.

### DE ELECTIONE.

412. **Q**ui ritè vult eligere, omninò resignatus sit tam ad consilia sequenda, quàm ad præcepta; imò verò, quantum in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si ad majus Dei obsequium fuerit. Nam majora utique signa requiruntur ad statuendum, quòd ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare præcepta, quàm ut viam consiliorum ingrediatur; quia Dominus jam apertè ad consilia exhortatus est: at verò in alio statu magna, ostendit, esse pericula divitiarum inter, atque delicias.
413. Qui facit electionem, colligat se totum intra se, & toto tempore, quo durat hæc deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre, aut audire, quod non de sursùm sit.
414. Qui avèr ex Deo cognoscere, quid ab se velit Deus, sive in optando vitæ instituto, sive in ceteris, quæ animum spectant, omni se primùm affectu privato, ac propen-



pensione, necesse est, exuat. Dehinc totum se Deo credat penitus, æqualitèr animo paratus ad omnia, quæcumque Deus innuerit. Post hæc, nè sibi venturas de cœlo epistolas somniet, quibus sua Deus mandata exponat; sed ex oraculis æternæ, & evangelicæ veritatis utrinque æstimet, quid agendum, vel omittendum sit: quæ consecutura ex utroque prospiciet, ad finem referens, in quem a Deo est conditus. Sub quæ si adhuc hæsitaverit perplexus, & dubius, ex morte demum, & supremo post illam judicio decretoriè statuatur amplecti, quod vellet maximè in eo æternitatis pavendo aditu fecisse.

415. Sedulo, & accuratè excutiendæ sunt cogitationes nostræ circa principium, medium, & finem suum: quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs quærendo sequi decrevisset; vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatà, quæ priùs aderat, pace, & tranquillitate: evidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis ejusmodi spiritum malignum, utpotè utilitati, & saluti nostræ semper adversantem.

## DE NOVISSIMIS.

416. **S**i nunc moriendum foret, quid nobis fieret? Quam rationem opum, gratiarum, tot sociorum per te perditorum dabis?
417. Illud in primis cogitandum, quid a nobis Deus in judicio exiget? quamnam rerum rationem exposcet? ut ad ejus judicium, non ad nostrum sensum vitam componamus.
418. Si qui accedant, ut referant nova, vel ut colloquantur de rebus non utilibus, prudentèringere illis sermonem de morte, de judicio, de examine conscientiæ, & confessione, &c.: & quotiescunque ad te revertentur, de talibus age. Qui juvari volent, redibunt ad te, ut proficiant: si nolint juvari, sinent te in pace, nec redibunt ampliùs, aut molesti erunt.
419. Consueverat eos reprehendere, qui de soluta Ecclesiæ



disciplina, deque emendandis Principum moribus temerè disputarent: quam tentationem se fugasse, dicebat, consideratione extremi judicii, & eorum, quæ tali tempore a semetipso proprie exigenda forent. Quæ si pro se quisque reputaret, haud ita facilè homines in aliorum vitam inquisituros.

### D E LIBRIS NOXIIS.

420. **Q**uod in libris infectum est veneno, longissimè serpit, nisi principiis occurratur. Quare mali auctoris, aut certè dubii, ac suspecti, bonum etiam librum legi in Societate nolebat. Namque ajebat, dum mali auctoris bonus liber legitur, primò quidem placet ipse liber; paulatim deinde, qui librum scripsit; atque hic in auctorem amor sensim molles in animos influit, studiososque lectores, ac benevolos occupat: cujus verò cor semel occupaverit, eidem facillime doctrinam suam persuadet; ut quidquid scriptum ab illo sit, id etiam verum judicetur. Itaque dum principiis cautè non obsistitur, ægrè vitantur extrema. Hoc de Erasmo Roterodamo, hoc de aliis ejusdem farinae sentiebat scriptoribus. Quin etiam in scholis Terentium explicari (nisi purgatus esset), quamquam optimum latinitatis auctorem, & Romanæ comœdiæ principem, vetuit nominatim; quòd eum videlicèt parùm verecundum, ac parùm pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectione puerorum animos imbui, nè plus moribus noceret, quam prodesset ingeniis. Quare P. Andreas Frusius emendavit Terentium, purgando illum ab eo, quod poterat offendere, & mutando in amorem conjugalem id, quod de inhonesto dicitur; ut sic in scholis nostris securè legi posset. Sed nostro Patri visum est, ut nullo modo legeretur; cum materia sit talis, ut quocunque tractetur modo, non possit non nocere juventuti.



## V A R I A .

421. **C**um non nemo nostrorum diceret, hominum Societatis modestiam hypocrisim a quibusdam Romæ censi, gratum sibi fore, respondit Ignatius, si ex iis hypocritis plures Societas haberet. Faxit Deus, inquit, huic nostræ hypocrisi quotidie aliquid accedat: notansque Salmeronem, qui cum Bobadilla tunc præsens aderat, Ego, ait, in Societate præter hos duos, hypocritam, & simulatorem agnosco neminem: joco nempè serio innuens, plus illos virtutis habere, quam proferre; posseque hoc nomine haberi hypocritas, quod meliores essent, quàm videri vellent.
422. Continebat in disciplina cum ceteros omnes, tum eos maximè, qui vel insigni eruditione, vel generis nobilitate præstarent; quippè quorum dicta, factave ad exemplum in omnes partes valeant plurimùm.
423. Horam recreationis vespertinam haberi jussit etiam in Quadragesima, & diebus jejunii; dixitque, non haberi duntaxat recreationem, ut non noceret studium statim post cœnam; verùm etiam, ut fratres agerent inter se, sermones conferrent, noscerent, & amarent: id esse, quod accenderet, & foveret caritatem.
424. Beati Patris Ignatii viaticum peregrè profecturis: 1., Recordare, Frater, te missum a Christo peregrinum, ac illius procuratorem; factorem vocant. 2., Vide, ut curam tui ipsius geras, teque custodias, velut in periculis, & cum hostibus versans. 3., Peculiares tuos refræna sensus, & in primis oculos continens. 4., Unum, idemque tempus tibi conserva, & æquabilis esto in prosperis, & adversis; in lætis, ac tristibus liber a conturbationibus. 5., Mentem otiosam esse non sine, sed erige ad altiora, cum progredieris, vel tractas negotia; præsertim in mensa, & colloquiis quietem, spiritum, & pondus adhibe, ut nec desit rectè agendi intentio, nec providentia.



Eximia de perfectione documenta, statim a principio a Patre Andrea Frusio, vel a Patre Fulvio Cordulo octo distichis alligata, sæpè libello exercitiorum præfixa, & cum Regulis etiam Societatis vulgata, extant italicè in Florentino sæpius laudato codice hoc initio:

- „ Documenti del Rñdo P. Ignatio alli suoi Figliuoli.  
 „ Il P. Ignatio dona questi documenti alli suoi Figliuoli,  
 „ acciò con brevità piccoli beni faccino grandi. A nes-  
 „ suno etiam minimo ancor con ragione repugni . . . finis :  
 „ Fà, che la matina, e la sera sempre ripensi questi do-  
 „ cumenti : & mentre che domandi le lacrime, fa ora-  
 „ tione . „ *En illa descripta e Bolland. t. 7. Julii p. 575.*  
 „ 866.

425. Hæc documenta suis Ignatius edit Alumnis,  
 Ut methodo parva, commoda magna ferant. (*al. parent*)  
 Nulli vel minimo, quamvis ratione, repugnes.  
 Cedere te potiùs, quàm superare juvet.  
 Obsequium studeas præstare per omnia cœcum,  
 Judiciumque libens subjice cuique tuum.  
 Non vitia aspicias aliena, & visa recondas;  
 Sed propria invisas, atque patère velis.  
 Quidquid agas, dicas, mediteris, prospice primùm,  
 Proximo an expediat, complacatque Deo.  
 Sit sua spiritui libertas semper, & illam  
 Nec persona potens, causa vel ulla gravet.  
 Nec facili jungas tibi consuetudine cunctos:  
 Spiritus, & ratio quemlibet ante probet.  
 Exercè assiduò pia (mente, & corpore) facta:  
 Sis populo demens; sic sapis ipse Deo.  
 Fac, matutino, vespertinoque revolvas  
 Hæc studio; & lectum dum petis, adde preces.

426. His adjungitur in eodem Florentino codice *Speculum Sacerdotum*, quod incipit:

Piscatores hominum Sacerdotes mei,  
 Præcones veritatis, lucernæ diei:

Cha-



Charitatis radio fulgentes, & spei...

Explicit: Nam si sic gesseritis curam Pastoralem,  
Verèque vixeritis vitam spiritualem,  
Postquam exueritis clamidem carnalem,  
Ipse vobis conferam stolam immortalem. Finis.

In alio Florentino Codice 26. classe 38. fol. 70. asservantur hispanicè superiora illa documenta hoc titulo:

- „ Reglas de humildad del P. Ignatio de buena memoria,  
„ Fundador de la Compañia de Jesus.
- „ Nunca contradiga a alguno... Haga la obediencia ciega  
„ en todas las cosas... No hablará, ni responderá, ni  
„ meditará, ni finalmente hará cosa ninguna, sin que pri-  
„ mero piense, si plaze a Dios, y que sea a exemplo,  
„ y edificacion del proximo... Guarde siempre la liber-  
„ tad en todo lugar, y en presencia de quien quiera...  
„ No sea comun à todos, ni familiar indiferentemente;  
„ mas mire aquello, a qué su espiritu lo mueve, no  
„ despreciando a nadie, menos quales, y quien sean los  
„ movimientos, que aquello mas nos inclinan. Siempre  
„ se exercite en los exercicios actuales, y mentales, y  
„ desée ser tenido por necio, y ignorante de los hom-  
„ bres, para que sea tenido por fiel, y sabio de su Señor  
„ Jesu Christo; por que despreciando todas las cosas,  
„ gane al mismo Señor. Amen. ;,

Trilinguis hæc Ignatianæ doctrinæ varietas variè varios affi-  
ciat, necesse est. Illud equidem opto, ut quam plurimis  
non tàm arrideam, quàm prosim.

427. In eodem est Codice post Ignatii Epistolam de Obedientia  
ad Fratres Collegii Conimbricensis hoc *Satellitium hominis  
boni*: „ Cogitatio alta, timorata, devota: loquela hone-  
„ sta, vera, temperata: compositio gravis, humilis, hila-  
„ ris: conversatio prudens, & sapiens, pacifica, & dele-  
„ ctabilis, pia, & ædificativa: vestis honesta, munda,  
„ congruens: cibus temperatus, naturæ conformis, levis:  
„ somnus moderatus, compositus, suisque temporibus:  
„ ora-



- „ oratio assidua cum spe, cordialis cum caritate, fortis  
 „ cum fide: recreatio modesta, brevis, rara. Et cuncta  
 „ per Deum. Finis. „ De Satellitii auctore nullum ver-  
 bum; sed nihil in eo ab Ignatianis abhorret documentis.
428. Apud Boll. t. 7. Julii p. 579. n. 884. S. Ignatius cum gra-  
 viter sub Julio III. ægrotaret, ut mœrentes suorum ani-  
 mos erigeret, dixisse fertur. „ Primi, ut spero, boni fue-  
 „ runt; secundi erunt in Societate meliores; tertii his  
 „ religiosæ disciplinæ retinentiores, quod confido even-  
 „ turum. „ Qua de re P. Oliverius Manareus, seu Ma-  
 nart, ibidem subjungit: „ Quoniam luce clarius est, So-  
 „ cietatem multò melius esse modò constitutam, quam  
 „ umquam fuerit (non B. Patris, & subsequentium Ge-  
 „ neralium vitio; nam quidquid boni habemus a Deo,  
 „ per ipsum habemus); sed quia tunc nec personæ suffi-  
 „ ciebant, nec Novitiatus erat benè constitutus, nec me-  
 „ dia suppetebant, nec regulæ denique erant recognitæ,  
 „ & in ea observatione, ut nunc sunt. „
429. Volebat, ut nos omnes frequenter lectitarem libros  
 spirituales (in quibus Thomam à Kempis appellabat per-  
 dicem librorum spiritualium); sed cum affectu, & devo-  
 tione, tum ad accendendum affectum, & devotionem  
 promovendam, tum ut prompti evaderemus ad promoven-  
 dos sermones spirituales potius, quàm ad doctrinam vel  
 effundendam, vel ostendendam.
430. Hunc spiritum, dicebat, se desiderare in hominibus So-  
 cietatis (sicuti revera illi maximè proprium erat) ut non  
 haberent minus devotionis in quibusvis operibus charita-  
 tis, & officiis, quàm in oratione, & meditatione; quan-  
 doquidem nihil facere omninò nos deceret, nisi pro amo-  
 re, & servitio Dei, & ad ejus gloriam, & honorem.
431. Qui secum Deum portat (ajebat), paradisum portat,  
 quocunque, & quomodocunque fuerit.
432. Nemo plus agit, quam qui unum agit.
433. Pluris faciendâ est una de se victoria, unaque propriæ  
 depressio voluntatis, quàm mortuorum suscitatio.
434. Desidia, negligentia, tepor, & otium sunt schola pecca-  
 torum, & vitiorum omnium.
435. Qui divinis in rebus nimiùm sapere volunt, eximia rarò  
 faci-



facinora perficiunt: præstantia enim, & ardua nunquam aggredietur, qui difficultatem omnem morosè circumspiciens, quæcumque tandem possunt aliquando contingere, nimium pertimescit.

436. Periculosus in rebus non est fidendum virtuti incipientium, præsertim juniorum; tum ob ætatem contrariis æquè obnoxiam affectionibus, tum ob spiritum primis similem veris germinibus, quæ subito exoriuntur, sed adè sunt tenera, ut contactu primo contabescant.
437. Ratio non passiones modo cohibere debet, quominus in dicta, factave indecorè præcipitent, sed spiritum etiam, nè impetu, sed cogitatu agat.
438. Cum dæmon timidis cogitationibus pusillum nobis animum insinuat, debemus nos beneficiorum, & miserationum Dei memoria animos erigere, considerantes, quanto amore, ac desiderio nos expectet, ut salvos nos faciat.
439. Nullus dæmoni scrupulus de mendacio, vel etiam de veritate, modò nos agat præcipites.
440. Quò quis vehementius a dæmone impugnatur, eò validius a divina bonitate adjuvatur, eidemque solet cælestium consolationum præmia largiri pro laboribus, & ærumnis obnitendi constantia toleratis.
441. Artificiose agit hostis, ut labendi abigat timorem, ut nimirum certiùs corruamus: tum immanes objectat terrorum umbras, ut fracti animis, & consternati cedamus, non credentes scilicet, fore nos resistendo pares: quo fit, ut insolescat instar mulierum, quæ dum rixantur cum hominibus, eò audaciores evadunt, quò illi se gerunt humiliùs.
442. Ut à perfectionis statu, quo quis Deo servit, ad sequiorem, mundanamque vitam deducat, adè bella figura pium alium depingit perfectionis statum, a suo tamen diversum, ut illum sibi optimum hujus amore dimittat. Sic etiam, ut præsens, quod fit, bonum omittatur, melioris accendit libidinem, quod tandem non fiet: quod quidem facile factu repræsentat, donec illud avellat: tum verò aliud, conquisitis novis difficultatibus, & altiùs exaggeratis, disturbat.
443. Ut perditè amans, ad seducendam honestam Virginem,  
H h h h vel



vel Uxorem, nihil studiosius agit, quàm ipsius ut lateant machinationes; ac timet in primis, nè Parenti Virgo, vel Uxor Marito revelet: ita, cum hostis animam irretire cupit, maximè curat, ut Patrem spiritualem dolos suos celet omnes; probè conscius, aliter artes suas omnes disturbandas.

### COROLLARIUM.

Cum sequens *Oratio R. P. Petri Ribadeneiræ* singulari folio edita circumferatur, qua egregius auctor & præcipuus Ignatianæ vitæ illustrator ejusdem animi formam & quasi vultum graphice depinxit; visum est illam pro Corollario hîc lectoribus exhibere, ut quæ pluribus sunt hactenus dicta idoneo epilogo comprehensa teneant: mihi verò liceat eisdem fere Ribadeneiræ verbis qualeslibet meos labores honori & meritis Parentis Sanctissimi dedicare.

### ORATIO

R. P. PETRI RIBADENEIRÆ

AD B. PATREM IGNATIUM

Pro Patribus, & Fratibus Societatis Jesu.

**O** Pater mi dulcissimè, Sacerdos sancte, Confessor illustris, Dux generose, Minister Dei fidelis, tot filiorum Patriarcha gloriose! O Ignati amabilissime, sæculi nostri gloria, Religionis tuæ ornamentum, Ecclesiæ nostræ Catholicæ præsidium, & tutela, quam per te, & tuos filios amplificasti, & etiam num propugnare, & amplificare non desistis. Pater, quem inter cæteros Dei amicos, & electos peculiari amore, & obsequio anima mea veneratur: in quem, post sanctissimam Dei Genitricem, Angelumque meum Custodem, singularem fiduciæ meæ anchoram defixi: ad te confugio; ad te vocem meam dirigo; pedibus tuis provolutus, tuum in hac  
lacry-



lacrymarum valle, & peccatorum, ac miseriarum mearum abysso, supplex auxilium imploro.

Anima sancta, oculos pietatis tuæ in hanc animam peccatricem flecte. Aspice, Pater dulcissime, benignius hunc inutilem, & imperfectissimum Filium tuum: & qui jam in portu securus gaudes, memineris adhuc navigantium in hoc tempestatum periculorumque pelago: quique jam victoriæ palmam tenes, porrige manum militibus tuis tot inimicorum telis expositis, & angustiis undique circumvallatis.

Per illam ego te ineffabilem Gratiam, qua te vanitatibus immersum & obvolutum Dominus prævenit, & vocavit, in novum hominem mutavit, & confirmavit, elegit, & gloriosum in cælo, & in terra effecit, peto, atque obtestor, ut mihi innumerabilium, & gravium peccatorum meorum veniam impetres, quibus Divinam offendi Majestatem, priusquam te Magistrum, & Patrem complecterer; priusquam radiis Divinæ vocationis collustratus cæli lumen aspicerem, & animæ meæ miserandum statum agnoscerem, & abhorrerem.

Per illum ego te spiritum admirabilem, & plane Divinum, quo te Dominus complevit, ac locupletavit ad sustinendos stupenda animi constantia omnes paupertatis, & nuditatis, pœnitentiæ, & asperitatis ictus: omnes persecutionum, & afflictionum, laborum, & periculorum, dolorum, contumeliarum, & injuriarum impetus, quos pro ipsius amore gloriose tota vita sustulisti; rogo, ut per te mihi idem Dominus, per quem hæc tu superasti, omnes fragilitatis, sensualitatisque defectus ignoscat; & deinceps ita spiritum meum humi jacentem erigat, ac roboret, ut tuis aliquantulum vestigiis insistere valeam.

Per illam te sapientiam, & divinam lucem, qua Deus animam tuam illustravit, & exornavit; ideamque hujus, quam fundasti, Religionis injecit: normamque Instituti, ac vitæ adeo sanctæ, adeo perfectæ, & omnibus partibus absolutæ, adeo humanæ imbecillitati proportionatæ, & hisce calamitosis temporibus accommodatæ, ostendit: humillime deprecor te, Pater amantissime, ut mihi, & omnibus tuis filiis præsentibus, & futuris obtineas a fonte, & Patre luminum, a quo tu illud immortale jubar hausisti, lucem mentis; ut intueamur lumen admirabile, & divinum splendorem hujus Instituti, in-



tuendoque illud amemus, magni faciamus, & summa animi cura, & contentione compleamus, quod a tam excelsa, & liberali manu dimanavit.

Per illum amorem infinitum, & viscera pietatis, quo Dominus te tot filiorum Parentem, & hujus minimæ Societatis Fundatorem esse voluit, eamque spiritu, prudentia, & virtute tua per universum orbem terrarum diffudit, & expandit; ut se se Filii tui hæreticorum conatibus opponerent, infidelium mentes fidei lumine imbuerent; Catholicos, & Christianos in solidum virtutis restituerent; fructum demum ferrent admirandum, quem summa animi jucunditate ubique terrarum contemplamur; rogo, ut ab eodem Domino petas, ut hæc cœpta dextera illius promoveat, atque perficiat; spiritum Patris zelantem & ardentem in nobis filiis tuis excitet, ac renovet; omnesque paupertatis spiritu convestiat, nostrique, ac mundi despicientia muniat: charitate ardenti, & solida ad frangendas pro ejus amore omnes difficultates, & pericula, quæ in hac gloriosa expeditione se se nobis opponent, confirmet. Impetra nobis studium orationis continuæ, & ferventis: severam, discretamque affectionum mortificationem: conversationem inter nos amantem, pacificam, & sinceram, cum proximis modestam, circumspectam, gravem, spiritualem, & gratam: puritatem, & castimoniam Angelicam: sitim lucrandi animas inexplebilem, desideriumque pro earum salute, labores, persecutiones, injurias patiendi inflammatum: patientiam invictam: mansuetudinem benignam: perseverantiam usque ad finem: spiritum denique tuum, & gratiam adeo universalem, & perfectam; ut si non sit tuæ æqualis, at sit filia, & tuæ non absimilis, quam tu a Patre, & Domino nostro pro te, & pro nobis accepisti. Largire nostris Superioribus spiritum vere paternum, & spirituale: subditis, perfectæ obedientiæ: Doctoribus, sapientiæ: Discipulis, humilitatis: Concionatoribus, zeli secundum scientiam: Confessariis, commiserationis, & efficaciam ad curandas peccatorum plagas: iis, qui inter hæreticos versantur, fidei & constantiæ: iis, qui pro amore Dei, relicta patria, spretisque omnibus hujus mundi commoditatibus, per tot discrimina aeris, & terræ novum peregrinantur in orbem; ut cœcas animas luce Evangelica illuminent, spiritum Apostolicum & invictum animi robur: nostris Novitiis solidam,



dam, & perfectam vocationis tam sanctæ cognitionem, & æstimationem: Coadjutoribus devotam humilitatem, & humilem devotionem, & super omnia largire nobis puram illam, & sinceram in rebus omnibus intentionem, ut nimirum in omnibus nostris actionibus Majorem Dei Gloriam quæramus, quam tu semper intendisti, & quæсивisti, & eam velut scopum unicum, medullam, radicem ac fundamentum hujus tui Instituti esse voluisti. O Pater sancte! O Pater beate! omnibus his tuis filiis partem tui spiritus communica. Quantumvis parva fuerit, sat erit pro omnibus: & quantumvis nobiscum divides, nihil de tuo spiritu detrahes, sed totum tibi etiam servabis imminutum, integrum, non secus ac Moyses spiritum, quem divisit in septuaginta duos. Largire, inquam, nobis: nam tamen Dominum authorem, & fontem donorum omnium agnoscimus, a quo descendit quidquid boni, & perfecti est in cælo, & in terra; tu tamen adeo illi fonti vitæ inhæres, adeoque divinis oculis places, ut minime dubitemus, quin quidquid petieris, sis obtenturus, in salutem filiorum; quos ipsemet Dominus tibi dedit, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.





## QUATUOR INDICES.

## PRIMUS

*Epistolarum omnium, & Libri Sententiarum argumenta  
complectens, ut modo sunt edita.*

## SECUNDUS

*Argumenta præcipua ordine Alphabetico representat.*

## TERTIUS

*Eorum, quibus, & a quibus conscriptæ sunt epistola.*

## QUARTUS

*Generalis Alphabeticus.*





# PRIMUS INDEX

*Epistolarum omnium, & Libri Sententiarum argumenta  
complectens, ut modo sunt edita.*

## LIBRI PRIMI EPISTOLARUM S. IGNATII LOYOLÆ

### EPISTOLA PRIMA.

Junio  
1532.

Martino Garziæ a Loyola.  
*D*e diligendo Deo, & proximo propter Deum. Pag. 235

### EPISTOLA II.

12.  
Febr.

Archidiacono Barcinonensi (Jacobus) Cazador.  
1536. Archidiaconum laudat, gratum se prodit, de addiscen-  
tibus benè sperare jubet; multa de Domino Claret,  
de pia quadam femina, & de Barcinonensi S. Cla-  
ræ Monasterio. 236

### EPISTOLA III.

18.  
Jun.

Moniali Regadellæ.  
1536. De falsa quadam humilitate, variisque diaboli terricu-  
lamenti & artibus: eximia Christianæ prudentiæ do-  
cumenta. 242

### EPISTOLA IV.

11.  
Sept.

Eidem Moniali Regadellæ.  
1536. De consiliis, meditationum effectis, & curæ valetu-  
dinis. 249

### EPISTOLA V.

16.  
Nov.

M. Emmanueli Mionæ.  
1536. Cohortatio, & commendatio Exercitiorum. 251

EPI-



1537.

## EPISTOLA VI.

Petro Contarinio.

*De studio paupertatis, & de suæ commorationis loco.* Pag. 251

2.

## EPISTOLA VII.

Dec.

Eidem Petro Contarinio.

1538. *De solempni Romani Gubernatoris sententia pro Ignatii & sociorum ejus innocentia, agentibus Contariniis.* 255

19.

## EPISTOLA VIII.

Dec.

Elisabethæ Roser.

1538. *De suis, sociorumque Romæ gestis, persecutionibus, & innocentia vindicata.* 257

2.

## EPISTOLA IX.

Febr.

Martino Garziæ, &amp; Beltrano, Loyolæ

1539.

Dominis.

*De lata pro Societate sententia, de Araoz, de prima sua Missa.* 263

1540.

## EPISTOLA X.

Petro Contarinio.

*Officiosa, & commendatitia.* 265

1540.

## EPISTOLA XI.

Azpeitiensibus.

*De rebus a se apud eos gestis, de morum emendatione, de sacrorum, Eucharistiæ præsertim, usu frequentando.* 266

16.

## EPISTOLA XII.

Mart.

Beltrano, Loyolæ Domino.

1540.

*Commendat S. Franciscum Xaverium, & Regis Lusitanæ Legatum.* 271

31.

## EPISTOLA XIII.

Mart.

Franciscus Xaverius Ignatio Loyolæ.

1540.

*Spondet frequens literarium commercium. Cardinalis Eporediensis in Franciscum & Societatem affectus;*  
Legati



31. *Legati erga eundem studia, & in æde Lauretana*  
 Mart. *pietas Religiosa: Bononiæ gesta.* Pag. 272

1540.

EPISTOLA XIV.

26.,  
 al.24.,  
 Jul. *Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Loyolæ.*  
 1540. *Petit Breve Apostolicum confirmatæ Societatis, & Spi-*  
*ritualia Exercitia Regi offerenda: horum usus, & Sa-*  
*cramentorum frequentatio. Stradam pro Academia Co-*  
*nimbricensi poscit, & Collegii formam. Dubium de*  
*Indica expeditione. Petit doceri modum de aggregan-*  
*dis Sociis.* 275

4.

EPISTOLA XV.

Oct. *Ignatius Beltrano, Loyolæ Domino.*  
 1540. *Multa indicat, quæ vix aut ne vix quidem aliunde*  
*noverim.* 278

22.

EPISTOLA XVI.

Oct. *Franciscus Xaverius Ignatio de Loyola,*  
 1540. *& Petro Codacio.*  
*Auctus Sociorum numerus, Concionum, & Exercitiorum*  
*fructus, Regis commendatio, & in fratris obitu mœ-*  
*ror. De M. Mederes, Rescriptisque Pontificiis, edo-*  
*ceri se postulat.* 279

22.

EPISTOLA XVII.

Dec. *Cardinalis Reginaldus Polus Rever. D. Ignatio*  
 1541. *de Loyola.*  
*Nicolaum Bobadillam laudat, & Societatis se Patro-*  
*num exhibet.* 282

1.

EPISTOLA XVIII.

Febr. *Elisabethæ Roser.*  
 1542. *De sua invaletudine, de egregiis Araozii dotibus, de*  
*suis literis a Cazador non intellectis.* ibid.

Ineunte

EPISTOLA XIX.

Febr. *Beltrano, Loyolæ Domino.*  
 1542. *De Æmiliano Beltrani fratre Lutetiam profecturo, ibi-*  
*demque providendo.* 284



## EPISTOLA XX.

23. *Maji* Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ.  
 1543., *Missio Comorinensis: pagus ex itinere lustratus, Præ-*  
*al. V. toris victoria, & Religionis studium dignum Pontifi-*  
*Kal. cis Maximi, & Ignatii laudibus, sacrisque Societa-*  
*Nov. tis precibus.* Pag. 286

## EPISTOLA XXI.

18. *Oct.* Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ.  
 1543., *Collegium Goanum & Proregem laudat: Indulgentias*  
*al. 20. petit ac Socios: Lusitanos ab Indulgentiarum reli-*  
*Sept. gione, Proregem a singulari in Societatem Jesu stu-*  
 1542. *dio mirificè laudat.* 290

## EPISTOLA XXII.

20. *Dec.* Franciscus Xaverius P. M. Ignatio Lojolæ.  
 1543., *De Indulgentiis, de confirmandi potestate Proepiscopis*  
*al. 20. deleganda, de Quadragesima transferenda, & de*  
*Sept. Conimbricensi Societatis Collegio.* 295

## EPISTOLA XXIII.

24. *Jun.* Ignatius Cardinali Marcello Cervinio.  
 1543. *De Innocentii III. decreto in ægrotantium salutem a*  
*Medicis observando.* 299

## EPISTOLA XXIV.

13. *Aug.* Ignatius Margaritæ Austriacæ.  
 1543. *Commendat Patrem Ordinis Prædicatorum, ut afflicto*  
*& pœnitenti solatium & gratia impetretur.* 301

## EPISTOLA XXV.

15. *Nov.* Religiosæ Barcinonensi.  
 1543. *Primum de sororis morte consolatur: dein de religiosa*  
*vita nescio quid: tertio de quotidiana S. Eucharistiæ*  
*sumptione profert de Thesouro suo nova & vetera.* 303  
*Eadem Epistola Hispanico idiomate.* *ibid.*



LIBRI SECUNDI EPISTOLARUM  
S. IGNATII LOYOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

15.  
Maji  
1544. Petrus Prior & Generale Capitulum Majoris  
Cartusiae Ignatio Præposito Societatis  
Jesu.  
*Singularem bonorum omnium participationem promittit  
& postulat.* Pag. 305

EPISTOLA II.

14.  
Jun.  
1544. Ignatius Lojola Jacobo Crescentio.  
*De bono pacis domesticæ, ac de religiosæ paupertatis  
amore.* 306

EPISTOLA III.

- 22.,  
al. 27.,  
Jan.  
1545. Franciscus Xaverius P. M. Ignatio, Præposito  
Generali Soc. Jesu.  
*Urget quæ biennio ante postulavit. De Sociis in India  
perutilibus. Universæ Societatis precibus se commen-  
dat, petitque nuntios de rebus Societatis, ac de ve-  
teri amico.* 308

EPISTOLA IV.

1545. Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.  
*Borgiam mirificè laudat, seque deprimit; de christia-  
na cordis demissione, ac de fructibus panis Eucha-  
ristici egregie disputat: denique Gandiensis Collegii  
administrationem commendat.* 311

EPISTOLA V.

1545. Domna Joanna de Cardona P. Ignatio de Lojola,  
Præposito Generali Societatis Jesu.  
*Singularem vitæ suæ mutationem describit, seque ab-  
jectis omnibus in Societatis obedientiam admitti etiam  
atque etiam rogat.* 316



1545.

## EPISTOLA VI.

Secunda Epistola Domnæ Joannæ de Cardona  
ad P. Ignatium de Lojola Præpositum  
Gener. Societatis Jesu.

*Singularem fidem, & admirabilem animi demissionem  
prodit in postulanda Societate.*

Pag. 319

23.

Jan.

## EPISTOLA VII.

Ignatius Lojola Parmensi Civitati.

1546. *De Didaco Lainez magnopere expetito, sed occupatio-  
nibus impedito.*

321

17.

Febr.

## EPISTOLA VIII.

Ignatius Lojola Doctori Petro Ortiz.

1546. *De Petro Fabro ad Tridentinum Concilium evocato,  
& de Ribadeneira.*

322

10.

Aug.

## EPISTOLA IX.

Ignatius Lojola ad P. Fr. Barberanum.

1546. *De omnibus e Societate a Perpiniano ad Hispalim igne  
concremandis.*

323

1.

Oct.

## EPISTOLA X.

Ignatius Lojola Elisabethæ Roser.

1546. *Pio egregiæ Matronæ, optimè de se meritæ, desiderio  
resistit, quod experientiâ Societati perincommodum,  
& ab ejusdem instituto alienum compererat.*

324

9.

Oct.

## EPISTOLA XI.

Ignatius Lojola Doctori Michaeli de Torres.

1546. *De Monasteriis Barcinonensibus, de Abassiæ Patriar-  
cha novo eligendo, de nonnullis e Societate in Epis-  
copos assumendis, de Tridentino Concilio, de causa  
Mathiæ, de gestis Cæsaris contra Lutheranos.*

325

13.

&amp; 18.

Oct.

## EPISTOLA XII.

Ignatius Lojola eidem Doctori Michaeli  
de Torres.

1546. *De quibusdam rebus privatis; de judicialibus non pau-  
ca*



13., & ca hinc solùm nota in causis Elisabethæ Roser,  
18. Oct. & Barberani; quædam etiam Borgiana singula-  
1546. ria. Pag. 330

EPISTOLA XIII.

Oct. Ignatius de Lojola M. Simoni Rodriguez.  
1546. Portugalliæ primum Provincialem constituit. 333

EPISTOLA XIV.

Sub Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.  
autum- Gratiis Deo actis pro singulari Borgiæ in Societatem  
num vocatione, ipsum in fratrem admittit; docetque mo-  
1546. dum, quem habere debeat rebus interea privatis & pu-  
blicis administrandis, seque literis excolendo. 335  
Vetus ejusdem Epistolæ versio apud Bollandianos. 337

EPISTOLA XV.

Dec. Ignatius Lojola Ferdinando Romanorum Regi.  
1546. Societatem Jesu non debere cogi, ut Socii ejus Episco-  
patus accipiant, gravissimis probat rationum mo-  
mentis. 338

EPISTOLA XVI.

5. Marcellus Cervinius Card. Sanctæ Crucis  
Febr. Ignatio de Loyola.  
1547. Singulari humanitate & modestia de Lainio agit Tri-  
denti retinendo. 340

EPISTOLA XVII.

14. Ignatius Lojola Pistoriensi Episcopo.  
Martii Gratulationis & officii plena epistola. 341  
1547.

EPISTOLA XVIII.

7. Ignatius Lojola Scholasticis fratribus Collegii  
Maji Conimbricensis.  
1547. De Religiosa perfectione, & Zelo animarum. 342  
Eadem Epistola Hispanico idiomate. 358

EPISTOLA XIX.

29. Epistola nostri P. Magistri Ignatii ad Schola-  
Jul. sticos Collegii Gandiæ Societatis  
1547. Jesu.  
De perfecta obedientia, & electione Superioris. 370



Initio

## EPISTOLA XX.

Aug.

Ignatius Lojola Claudio Jajo.

1547. *De singularibus Ducis Ferrariensis in Societatem Jesu beneficiis, & gratiis eidem referendis.* Pag. 380

Sept.

## EPISTOLA XXI.

1547.

Societatis Collegio Complutensi.

*De Salmantino Collegio a Cardinali Cauriensi per Doctorem Michaellem de Torres condendo.* 382

1547.

## EPISTOLA XXII.

Ignatius Lojola Simoni Rodriguez.

*De Francisco Strada per obitum Fabri ad Hispaniæ Curiam mittendo; ac de causis gravissimis, quare videatur idem Borgiæ voluntati concedendus: propriam tamen sententiam ita confirmat, ut alterius probet contrariam.* 383

20.

## EPISTOLA XXIII.

Jan.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

1548. *Petit virum, a quo excitetur; idoneos item operarios, & jam pridem postulata. De consilio Japoniam ad- undi, Superiores sociis ubique præficiendi, precum- que desiderio, quibus ipse juvetur.* 386

28.

## EPISTOLA XXIV.

Jan.

Ignatius Lojola Pistoriensi Episcopo.

1548. *Officiosissimè causatur sociorum penuriam, quo minus in præsens graviozem aliquem Episcopo concedat.* 388

24.

## EPISTOLA XXV.

Martii

Ignatius Lojola Petro Contarinio.

1548. *De honesto viro ad Antonium Augustinum sibi commen- dato, cujus causâ nihil non egerit.* 389

4.

## EPISTOLA XXVI.

Dec.

Antonius Criminalis Ignatio Lojolæ.

1548. *De spiritualis gradu Coadjutoris, amplissimisque gra- tiis sibi ab Ignatio concessis.* 391

EPI-



EPISTOLA XXVII.

14.  
Jan.  
1549.

Franciscus Xaverius R. P. M. Ignatio Lojolæ,  
Præposito Generali.

*Indorum mores, labores Sociorum & pericula, dotes Rectori Goano necessariae; Societas Jesu, quæ amoris atque concordiae Societas est, maximis intervallis in India distributa. De Neophytis Indiae, de Japonibus institutoque Japoniensi itinere. De Collegiis Societatis in India erigendis, de Sociis, atque literis eò mittendis cum Indulgentiis ad Fr. Vincentium Societatis amantissimum. Sacrum pro se ad S. Petri Janiculensis faciendum: positus humi genibus Ignatium implorat.*

Pag. 392

EPISTOLA XXVIII.

14.  
Jan.  
1549.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

*De PP. Criminali, Cypriano, Lancellotto, M. Simone in Indiam mittendo: de Japonum litteris, ac de sua illorsum profectioe.*

400

EPISTOLA XXIX.

19.  
Jan.  
1549.

Ignatius Lojola Joanni III. Lusitaniae Regi.

*Officiosae ac piæ commendationis forma.*

402

EPISTOLA XXX.

24.  
Jan.  
1549.

Ignatius Lojola Joanni Avila.

*Grati sui animi sensus primum omnium declarat; deinde docet de Salmanticensibus turbis; quidque ipse pro majori Dei gloria providendum contra censeat; allatis ex Sanctis Patribus, atque Doctoribus testimoniis ostendens, prorsus esse curandum, ut fama Societatis Jesu, quæ necessaria est causas animarum tractantibus, quantum fieri potest, integra conservetur.*

403

EPISTOLA XXXI.

22.  
Febr.  
1550.

Ignatius Lojola Bartholomææ Spadaforæ  
Abbatissæ Messanensi.

*Laudato religiosæ perfectionis studio, ad progressionem spiritus & pietatis sedulam, sed moderatam Sociorum operam pollicetur.*

407  
EPI-



31.  
Maji  
1550. **EPISTOLA XXXII.**  
Ignatius Lojola Duci Ferrariæ.  
*Officiosà, gratique animi demissione Landinium, strenuum Crafanianæ operarium, Ducis voluntati permittit.* Pag. 408
7.  
Jul.  
1550. **EPISTOLA XXXIII.**  
Ignatius Lojola Simoni Rodriguez.  
*Jubilæi gratias, a Julio PP. III. impetratas, subditis suis largitate pari ac prudentia communicat.* 410
9.  
Julii  
1550. **EPISTOLA XXXIV.**  
Ignatius Lojola Exercitui Joannis de Vega.  
*De Jubilæo a Julio PP. III. impetrato.* 411
13.  
Jul.  
1550. **EPISTOLA XXXV.**  
Ignatius Lojola Hieronymo Domenech.  
*In virtute sanctæ obedientiæ Valentia Romam advocat.* 412
1.  
Aug.  
1550. **EPISTOLA XXXVI.**  
Ignatius Lojola Alfonso Salmeroni.  
*Salmeronem jussu Pontificis Julii III. Veronam evocat Ingolstadio, eidem in Academiæ, Ducisque Alberti gratiam Nicolao de Gaudano suffecto.* 413
11.  
Nov.  
1550. **EPISTOLA XXXVII.**  
Ignatius Lojola Ferrariæ Duci.  
*Pro collatis in suos beneficiis Gandiæ Duce sequestre, gratias agit amplissimas.* 415

LIBRI TERTII EPISTOLARUM  
S. IGNATII LOYOLÆ

30.  
Jan.  
1551. **EPISTOLA PRIMA.**  
Ignatius Lojola Patribus Societatis Romæ congregatis.  
*Singulari animi demissione dignitatem suam deponit, sibi que alium sufficiendum curat.* 417  
EPI-



EPISTOLA II.

26.  
Febr.  
1551. Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez  
de Vergara.

*Non voluntatem, sed facultatem sibi deesse respondet, quominus ei de Conchensi, & Complutensi negotio morem in promptu gerat: Uniones in Curia Romana difficiles.*

Pag. 418

EPISTOLA III.

6.  
Apr.  
1551. Ignatius Lojola Margaritæ Gigliæ  
& Fantucciæ.

*Devotissima grati animi significatione unum e suis semel in hebdomada illius voluntati ad pietatem excolendæ permittit.*

420

EPISTOLA IV.

18.  
Apr.  
1551. Ignatius Lojola Parmensi Civitati.

*Officiosè Instituti sui rationem, Sociosque aliò avocatos causatur, quominus benevolentissimæ Parmensium voluntati subitò satisfaciat.*

421

EPISTOLA V.

23.  
Maji  
1551. Ignatius Lojola Duci Ferrariensi.

*Socios Duci concedit Ferrariensi Collegio inchoando.*

422

EPISTOLA VI.

1.  
Jun.  
1551. Ignatius Lojola Urbano Fernandez.

*Quenam Ignatius de suis rescire vellet: quosnam Societati idoneos reputaret. De perfecta Sociorum obedientia, moderata carnis maceratione, oratione assidua, parata ad nutum voluntate; de studiis Societatis, & opinionum concordia; de recta intentione, virtutum studio, & regularum observantia. Omnia Ignatii nomine P. M. Polancus P. Urbano Fernandez Collegii Conimbricensis Rectori.*

423

EPISTOLA VII.

23.  
Jul.  
1551. Franciscus Borgia Ignatio Lojolæ.

*Magna hîc rerum varietas tam mirâ brevitate perstringitur, ut brevior summa vix confici posse videatur.*

429

Kkkk

EPI-



16.

## EPISTOLA VIII.

Aug.

Ignatius Lojola Antonio Minturno.

1551. *De Patribus, & Scholasticis, agente Montis Leonis Duce, Neapolim mittendis.*

Pag. 432

29.

## EPISTOLA IX.

Jan.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

1552. *Ignatii literæ Xaverio jucundissimæ: Xaverii de se animi sensus, & Ignatium videndi desiderium. Rectorem Goano Collegio, & Japoniæ Academiis viros mittendos virtute ac doctrina præstantes. Ærumnæ, labores, pericula in Japonia: Amanguciana Ecclesia, Japonum, & Sinarum indoles, doctrina, literæ, religio. Ignatii & Societatis universæ preces implorat.* 433

31.

## EPISTOLA X.

Jan.

Ignatius Lojola Henrico Cardinali &amp; Archiepiscopo Eborensi.

1552.

*Maximas pro Eborensi Collegio gratias agit, majoresque referre desiderat.*

443

9.

## EPISTOLA XI.

Apr.

Franciscus Xaverius Ignatio Lojolæ.

1552. *In Sinas plenus spei profecturus Indiæ Præfecturam Barzæo committit. Egregiæ dotes in Japoniam mittendis necessariæ: Goanus Rector ab Ignatio deligendus: Diplomata Pontificia rite obsignata mittenda: Sociorum in Indiam mittendorum probatio: accurata de omnibus Societatis rebus narratio magnum Xaverio solatium.*

444

6.

## EPISTOLA XII.

Maji

Ignatius Lojola Civitati Parmensi.

1552.

*Respondet, non sibi deesse voluntatem, sed facultatem, qua in præsens optimè de Societate meritis liberalem rependat gratiam.*

449

1.

## EPISTOLA XIII.

Jun.

Ignatius Lojola Dño Card. Silicæo Archiep.

1552.

Toletano.

*Officiosissimè se insinuat in Archiepiscopi voluntatem,*  
par-



1. partim studium religionis excusans in eo, quod jam  
 Jun. fecisset; partim factum ejus novissimum in beneficii  
 1552. parte numerans: tum duo illi defert gratissima; al-  
 terum ne quem in posterum Societas eo reciperet in-  
 vito, alterum ne eodem non approbante suis privile-  
 giis uteretur. Pag. 450

EPISTOLA XIV.

1. Ignatius Lojola Joanni Poggio Nuncio  
 Jun. Apostolico in Hispania.  
 1552. *Gratias agit quàm maximas de rebus, cum Archiepis-  
 copo Toletano gestis pro Societate.* 452

EPISTOLA XV.

1. Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.  
 Jun. Romæ ab Ignatio gesta, ne purpureus galerus invito  
 1552. Borgiæ mandaretur. 453

EPISTOLA XVI.

Missa Ignatius Lojola Francisco Borgiæ.  
 cum De Borgiæ Cardinalatu Cæsaris, & Papæ sententia,  
 præce- prudensque Ignatii deliberatio, & repugnantia. 455  
 denti.

EPISTOLA XVII.

19. Ignatius Lojola Elpidio Ugoletto.  
 Jul. Facultates a Sede Apostolica Societati Jesu concessas  
 1552. communicat. 457

EPISTOLA XVIII.

29. Ignatius Lojola Rodulfo Pio Cardinali  
 Jul. Carpensi.  
 1552. *De inchoando Collegio Germanico, instruendo, & pa-  
 rando.* 458

EPISTOLA XIX.

30. Ignatius Lojola Claudio Jajo.  
 Jul. Germanici Collegii forma, disciplina, utilitas. 460  
 1552.

EPISTOLA XX.

9. Ignatius Lojola Ludovico Gonzalez.  
 Aug. Regii Confessarii officium modestè recusandum, sed de-  
 1552. missè  
 Kkkk 2



9. *missè suscipiendum, & obedienter ad Dei voluntatem*  
 Aug. *exercendum.* Pag. 462

1552.

26.

## EPISTOLA XXI.

Aug.

Ignatius Lojola Duci Najaræ.

1552.

*Singulare grati animi, contemptus mundi, & religiosæ  
 abdicationis exemplum.* 463

25.

## EPISTOLA XXII.

Oct.

Ignatius Lojola Priori, & Vexillifero Montis  
 Politiani.

1552.

*Respondet, quàm studiosè percupiat & ipsis, & Rmo  
 D. Cardinali S. Crucis gratificari.* 464

2.

## EPISTOLA XXIII.

Nov.

Ignatii Lojolæ mandato P. Polancus Didaco  
 Lainez.

1552.

*Objectis quibusdam ipsius defectionibus, mandat ut di-  
 ligentiùs se circumspecto, quæ pœna se putet plecten-  
 dum, rescribat.* 466

Dec.

## EPISTOLA XXIV.

1552.

Ignatius Lojola Societati in Europa.

*De bono patientiæ in egestate, & ærumnis.* 468

7.

## EPISTOLA XXV.

Jan.

Ignatius Lojola Mariæ Frassoniæ a Gesso.

1553.

*Optimè de Societate meritæ gratiarum ejus meritorum-  
 que omnium communionem repondit; eidemque alios  
 suæ fructus beneficentiæ refert.* 469

30.

## EPISTOLA XXVI.

Jan.

Lusitaniæ Rex Ignatio Lojolæ.

1553.

*Annuat Ignatio Simonis amotionem: Societatem laudat,  
 ejusque causa semper se quidvis libenter facturum  
 pollicetur.* 471

1.

## EPISTOLA XXVII.

Febr.

Ignatius Lojola Didaco Mironi.

1553.

*Laudatà humili dignitatum recusatione, ostendit e So-  
 cie-*



1. *cietatis instituto & humilium, & summatum confessiones excipiendas; pluris autem habenda spiritalia subsidia in Principes & summa capita collata: objectaque diluit ambitionis pericula. Postremo in virtute sanctæ obedientiæ præcipit absolutam hac etiam re in Principes observantiam.* Pag. 471

18. **EPISTOLA XXVIII.**  
 Mart. Ignatius Lojola Procuratoribus Morbeniensium.  
 1553. *Laudato pio Morbeniensium desiderio, se illis excusat, quia Societatis institutum non patitur perpetuam alicubi animarum curam suscipere.* 474

26. **EPISTOLA XXIX.**  
 Mart. Ignatius Lojola Conimbricensi Collegio.  
 1553. *De Obedientiæ virtute.* 476

9. **EPISTOLA XXX.**  
 Sept. Thomas Villanova Ignatio Lojolæ.  
 1552. *Rogat, ut insignem Rectorem Collegio suo Valentino præficiat.* 489

16. **EPISTOLA XXXI.**  
 Apr. Ignatius Lojola Thomæ Villanovæ.  
 1553. *Officiosâ liberalitate annuit piæ Sancti Archiepiscopi petitioni, de qua in præcedenti epistola.* 490

14. **EPISTOLA XXXII.**  
 Jun. Ignatius Lojola Superioribus Soc. Jesu.  
 1553. *Quotidianas omnibus preces pro Lusitanicæ Rege, universaque ejus familia præscribit.* 491

Sub **EPISTOLA XXXIII.**  
 28. Ignatius Lojola Francisco Xaverio.  
 Jun. *Multis rationibus suadet, jubetque præcisè, ut ex India in Europam veniat.* 492

6. **EPISTOLA XXXIV.**  
 Jul. Ignatius Lojola Henrico Card. Eborensi.  
 1553. *Cardinalem ipsum, & Patres Ludovicum Gonzalez, atque*



6. *atque Hieronymum Nadal urbanitate pari, ac religione collaudat.* Pag. 494

1553.

## EPISTOLA XXXV.

25.

Jul.

Ignatius Lojola Societati Jesu.

1553. *Menstruo quoque tempore singulis Sacerdotibus Missæ sacrificium, ceteris alias preces indicit ad Germaniæ ac Septentrionalium regionum hæresi laborantium subventionem.*

496

20.

## EPISTOLA XXXVI.

Aug.

Ignatius Lojola Aloysiæ Borgiæ.

1553. *Pia etiam colloquia non nisi ad majorem Dei gloriam, & animarum salutem expetenda: P. Franciscum Sorori suæ concedit: & frequentem laudat Sacramentorum usum.*

497

## LIBRI QUARTI EPISTOLARUM S. IGNATII LOYOLÆ

7.

## EPISTOLA PRIMA.

Jan.

1554.

*P* Ignatius Lojola Hieronymo Natali. *Præter Lusitanam, tres alias provincias cum singulis cujusque Præsidibus in Hispania præscribit, omniumque Commissarium Franciscum Borgiam.*

499

15.

## EPISTOLA II.

Jan.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

1554. *Petit fieri a viris Societatis Compendium Theologicum pro Germania contra hæreses.*

501

16.

## EPISTOLA III.

Jan.

Margarita Austriaca Ignatio Lojolæ.

1554. *Singularis humanitatis, gratiæ, & benevolentiae responsum.*

503

20.

## EPISTOLA IV.

Jan.

Ignatius Lojola Mariæ Frassoniæ a Gesso.

1554. *Solatur ægram, & menti angoribus afflictam.*

504

EPI-



EPISTOLA V.

27.  
Jan. Ignatius Lojola Procuratoribus Morbeniensibus.  
1554. *Stabilis animarum cura a Societatis instituto aliena.* Pag. 506

EPISTOLA VI.

20.  
Maji Albertus Bavarix Dux Ignatio Lojolæ.  
1554. *Laudatis Societatis moribus & officiis, ad condendum  
Ingolstadii Collegium ardenti religionis studio Socios  
postulat.* 507

EPISTOLA VII.

1554. Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez  
de Vergara.  
*De sincera Deo placendi, serviendique voluntate: de  
aliis brevius.* 509

EPISTOLA VIII.

14.  
Jun. Ignatius Lojola Doctori Alfonso Ramirez.  
1554. *De spirituali ejus negotio majorem in modum Deo com-  
mendato, & in Villanovam rejecto.* 510

EPISTOLA IX.

14.  
Jun. Ignatius Lojola Francisco Villanovæ.  
1554. *De Doctore Alfonso Ramirez de Vergara in Societatem  
Jesu ita cooptando, ut proximè soli Generali Præpo-  
sito subjaceat, eidem verò subsint Collegia Complu-  
tense, & Conchense; communibus denique Societatis  
legibus moderatiùs cum eo agendum.* 511

EPISTOLA X.

21.  
Aug. Ignatius Lojola Gerardo Hammontano.  
1554. *Officiosum grati animi testimonium.* 513

EPISTOLA XI.

21.  
Sept. Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.  
1554. *De quibusdam conscientix suæ negotiis cum Pontifice  
agendis.* 514

EPISTOLA XII.

27.  
Sept. Gerardus Hammontanus Ignatio Lojolæ.  
1554. *Eximium religiosæ caritatis & liberalitatis exemplum.* 515  
EPI-



20.

## EPISTOLA XIII.

Oct.

Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.

1554. *Dilaudatis Societatis fructibus, instituendo Collegio Pragensi duodecim petit Socios, in quibus duos ut minimum Theologiæ Magistros.*

Pag. 516

24.

## EPISTOLA XIV.

Dec.

Ignatius Lojola Consulibus Ariminensibus.

1554. *Causatur impotentiam, quominus, ut quidem vellet, Ariminensium votis satisfaciat.*

518

24.

## EPISTOLA XV.

Jan.

Ignatius Lojola Reginaldo Polo Cardinali.

1555. *De Angliæ regno Sedi Apostolicæ reconciliato gratulatur: de Domo professa, & de Collegio Romano, & Germanico non pauca.*

519

8.

## EPISTOLA XVI.

Maji

Reginaldus Polus Ignatio Lojolæ.

1555. *Ad præcedentem humanissimè respondet; ac Marcel- lum II. laudat eximium Societatis Jesu fautorem.*

522

23.

## EPISTOLA XVII.

Febr.

Ignatius Lojola Claudio Abassiæ Regi.

1555. *De Patriarcha & Sociis ejus ad Regem missis cum ampla Romani Pontificis vicaria potestate, a Jesu Christo per Apostolum Petrum derivata; ubi præclarè de potestate, atque unitate Catholicæ Ecclesiæ.*

523

23.

## EPISTOLA XVIII.

Febr.

Ignatius Lojola Joanni Nuñez Barreto.

1555. *De laboriosa Patriarchæ dignitate non rejudianda: de Sociis cum eo mittendis, & ab ipso regendis; quorum sibi quatuor Consiliarios, & alium Correctorem deligat. De vivæ vocis oraculo, gratiisque amplissimis.*

532

28.

## EPISTOLA XIX.

Febr.

Ferdinandus Romanorum Rex Ignatio Lojolæ.

1555. *Præmissis laudibus Societatis, gaudet de Sociis mittendis*

dis



28. *dis ad Pragense Collegium inchoandum: addicit re-*  
 Febr. *ditus sufficientes: benevolentiam, & favorem polli-*  
 1555. *cetur.* Pag. 536

EPISTOLA XX.

9. Ignatius Lojola Herculi Ferrariæ Duci.  
 Mart. *Religiosâ grati animi demissione opem & auxilium Du-*  
 1555. *cis implorat, ut quod olim Romæ fecerat, nunc Lu-*  
*tetiæ turbatis Societatis rebus opituletur.* 538

EPISTOLA XXI.

4. Ignatius Lojola Joanni Polanco, Ludovico Gonzalez,  
 Maji Gaspari Loarte, & Jacobo de Guzman,  
 1555. Societatis Jesu.  
*Ignatii erga infirmos absentes cura.* 539

EPISTOLA XXII.

30. Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.  
 Jul. *De Jesuitis Pragam mittendis, & viatico eisdem tri-*  
 1555. *buendo.* 540

EPISTOLA XXIII.

2. Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.  
 Aug. *De duplici dispensatione Pontificia cum Cardinalibus*  
 1555. *Morono, & Augustano impetranda, Pragensi, &*  
*Viennensi Collegiis sancendis.* 542

EPISTOLA XXIV.

4. Ignatius Lojola Joanni de Vega.  
 Aug. *De Lainez, Salmerone, Ximenez, Domenech, & aliis*  
 1555. *officiosissima responsio.* 544

EPISTOLA XXV.

23. Ignatius Lojola Philippo II. Regi.  
 Oct. *Modeste, ac religiose precatur, ut Societatem in ditio-*  
 1555. *nibus suis Belgicis, uti in aliis jam fecerat, susci-*  
*piat, ac tueatur.* 546

EPISTOLA XXVI.

13. Ignatius Lojola Francisco Borgia.  
 Nov. *Hispaniarum, & Indiarum Commissarium constituit.* 547  
 LIII EPI-



## EPISTOLA XXVII.

29.  
Nov. Ferdinandus Rex Ignatio Lojolæ.  
1555. *De duodecim Pragæ mittendis, ac de pecuniis a Didaco Lainez in Collegium Germanicum persolvendis.* Pag. 549

## EPISTOLA XXVIII.

12.  
Dec. Albertus Baviaræ Dux Ignatio Lojolæ.  
1555. *Rogat nonnulla circa Ingolstadiense Collegium approbati, ac submitti Theologos.* 550

## EPISTOLA XXIX.

15.  
Dec. Reginaldus Polus Ignatio Lojolæ.  
1555. *Respondet, se pro viribus Societati fauturum; & pro fausto Antistitum concilio preces ejus implorat.* 552

## EPISTOLA XXX.

17.  
Maji Callienses Ignatio Lojolæ.  
1556. *Collegio ad liberorum institutionem inchoando Socios postulant.* 553

## EPISTOLA XXXI.

4.  
Jun. Ignatius Lojola Calliensibus.  
1556. *Respondet non sibi deesse voluntatem, sed facultatem, ut piis illorum votis continuo satisfaciatur.* 554

## EPISTOLA XXXII.

8.  
Jun. Ignatius Lojola Henrico Schwikero.  
1556. *Negotia Baviaræ Ducis apud Summum Pontificem procurata; & Socii ad novum Collegium illo flagitante, & hoc applaudente Ingolstadium celerrime destinati.* 555

## EPISTOLA XXXIII.

9.  
Jun. Ignatius Lojola Alberto Baviaræ Duci.  
1556. *De novo Sociorum Collegio, Urbe gaudente, celerius Ingolstadium adlegato; & de Canisio Provinciali constituto.* 557

## EPISTOLA XXXIV.

14.  
Jun. Ignatius Lojola Ludovico a Calatayud.  
1556. *Laudat studium Ocaniensis Collegii construendi; constantiam in adversis egregie commendat; atque initiis feliciores fines portendit.* 559



LIBER SENTENTIARUM  
S. IGNATII LOYOLÆ.

<b>D</b> e Fide .	Pag. 561	<b>D</b> e Strenuitate, & Diligen- tia .	Pag. 593
De Spe .	ibid.	De Munditia .	595
De Amore Dei .	562	De Consolatione Spiritus .	ibid.
De Amore Proximi .	564	De Divinis Gratiis .	596
De Humilitate .	569	De SS. Eucharistia .	ibid.
De Paupertate .	570	De Familiari Sermone .	597
De Castitate .	571	<b>D</b> e Mulierum Familiarita- te .	598
De Obedientia .	572	De Regimine .	599
De Prudentia .	576	De Ira .	600
De Justitia .	578	De Correctione .	601
De Fortitudine .	ibid.	De Concionatoribus .	602
De Temperantia .	579	De Electione .	ibid.
De Religioso Statu .	ibid.	De Novissimis .	603
De Oratione .	583	De Libris Noxiis .	604
De Pœnitentia .	584	Varia .	605
De Cruce .	585	Corollarium .	610
De Adversis .	586	<b>O</b> ratio R. P. Petri Ribade- neiræ ad B. Patrem Igna- tium pro Patribus, & Fra- tribus Societatis Jesu .	ibid.
De Mutatione Morum .	588		
De Tentationibus .	ibid.		
De Peccatis .	590		
De Suspicionem .	591		
De Scrupulis .	ibid.		
De Virtute .	ibid.		





## INDEX SECUNDUS.

*Praecipua Operis argumenta, ordine Alphabetico.*

## A

**A**  
*Adversa*, pag. 585.  
*Amor Dei*, p. 3. 10. 31. 231.  
 235. 562.  
*Amor proximi*, p. 4. 11. 33. 40.  
 41. 80. 235. 238. 564.  
*inimicorum*, p. 323.  
*consanguineorum*, p. 497.

## B

**B**  
*Benevolentia captanda*, p. 33.  
 546.  
*Bona spiritalia*, p. 10. 236. 253.  
 305. 509.  
*temporalia*, p. 238. 254.  
 332. 463.  
*Bonorum administratio*, p. 56.  
 65. 115.

## C

**C**  
*Cardinalis honoris repudium*,  
 p. 453. 458.  
*Caritas*. V. *Amor*.  
*Castitas*, p. 571.  
*Collegia Societatis*, p. 42. 45. 102.  
 104. 106. 110. 116. 521. 546.  
 549. 550. 553. 554. 557. 559.  
*Commendatio*, p. 11. 23. 33. 95.  
 255. 265. 271. 301. 547.  
*Communio*. V. *Eucharistia*.  
*Concionator*, p. 226. 602.  
*Confessarius Principis*, p. 142.  
 462. 472.

*Confessio frequens*, pag. 79.  
*infirmorum*, p. 25. 299.  
*venialium*, p. 226.  
*Conscientia laxa*, p. 295.  
*stricta*, p. 246.  
*Consolatio in adversis*, p. 53.  
 246. 301. 303. 504. 559. 595.  
*Correctio*, p. 601.  
*Crux*, p. 585.  
*Cura animarum*, p. 474. 506.  
 546.

## D

**D**  
*Dignitates*. V. *Honores*.  
*Discretio*, p. 73. 247.  
*Dispensatio Pontificia*, p. 542.  
*Doctrina Divina*, p. 110. 112.  
*Documenta varia*, p. 107. 224.  
 606.

## E

**E**  
*Electio*, p. 371. 602.  
*Episcopus*, p. 4. 32. 46.  
*Epistolæ*, p. 23. 72. 93.  
*Eucharistiæ usus frequens*, p. 15.  
 22. 269. 314. 596.  
*quotidianus*, p. 28.  
 269. 303.  
*Exercitia spiritalia*, p. 251. 258.

## F

**F**  
*Fama sine labe*, p. 40. 63. 404.  
*Familiaris sermo*, p. 597.  
*Fastus humanus*, p. 238.

*Fidei*



*Fidei Christianæ propagatio*,  
pag. 493. 496.  
*Fiducia*, p. 34. 561.  
*Fortitudo*, p. 578.  
*Eraterna communio*, p. 305. 470.

## G

*Germanicum Collegium*, p. 458.  
460.  
*Gloria divina, & æterna*, p. 236.  
*Gratia divina*, p. 595.  
*Gratia humana*, p. 40.  
*Gratulatio*, p. 520.  
*Gratus animus*, p. 33. 38. 145.  
338. 341. 380. 404. 420. 452.  
403. 470. 472. 506. 518. 544.

## H

*Historica de rebus suis, & Socio-  
rum*, p. 38. 62. 252. 272.  
278. 282. 284. 325. 330.  
380. 382. 458. 421. 422.  
429. 432. 443. 449. 454.  
510. 519.  
*de S. Xaverii gestis*, p. 273.  
277. 279. 286. 386. 392.  
400. 433. 444. 491.  
*Honores fugiendi*, p. 38. 46. 95.  
327. 338. 453. 455.  
*non fugiendi*, p. 47. 95. 142.  
143. 327. 462. 472. 532.  
*Humilitas*, p. 33. 40. 453. 509.

## I

*Indifferentia*, p. 320.  
*Indulgentiæ*, p. 13.  
*Infalibilitas Rom. Pont.*, p. 181.  
523.

*Innocentia vindicata*, pag. 63.  
256. 257. 264. 328. 332. 404.  
538.  
*Inquisitio sacra*, p. 148.  
*Institutum Soc. Jesu*, p. 40. 80.  
305. 324. 338. 507. 536.  
*Ira*, p. 600.  
*Jubilæum*, p. 87. 410. 411.  
*Justitia*, p. 578.  
*Juventutis institutio*, p. 110. 553.

## L

*Liberalitas*, p. 33. 38. 513. 515.  
*Libri noxii*, p. 604.  
*Literarum studium. V. Juvent.  
Inst., Scholastici.*  
*Literæ menstruæ, & quadrime-  
stres*, p. 424.

## M

*Meditatio*, p. 249.  
*Monialium regimen*, p. 43. 82.  
104. 324.  
*Morum mutatio*, p. 588.  
*Mulier generosè pia*, p. 316. 320.  
*Munditia*, p. 229. 555.

## N

*Novissima*, p. 603.  
*Novitii*, p. 83. 425. 581.

## O

*Obedientia*, p. 4. 31. 58. 64. 72.  
76. 135. 144. 370. 380. 412.  
413. 476. 488. 572.  
*Officiosa*, p. 282. 341. 388. 389.  
402. 408. 415. 418. 449. 450.  
452. 463. 490. 494. 503. 518.  
552.

Ora-



*Oratio*, pag. 224. 583. 608.

## P

*Pacificatio*, p. 33. 307. 328.

*Patientia*, p. 39. 63. 309. 468.

*Patriarchæ dignitas*, p. 532.

*Paupertas*, p. 570.

*Peccata*. p. 590.

*Perfectio Christiana*, p. 238. 312.  
316. 320.

*Religiosa*, p. 39. 58. 342.  
370. 463.

*Persecutionum utilitas*, p. 3. 38.  
81. 539.

& *origines*, p. 62.

*Pœnitentia*, p. 584.

*Præfecturæ repudiatio*, p. 38. 61.  
94. 100. 457.

*Probationes Juniorum*, p. 221.

*Preces communes*, p. 491. 496.

*Provincia Soc. Jesu*, p. 499. 548.

*Provincialis*, p. 45. 63. 98. 105.  
129. 131. 133.

*Prudentia*, p. 129. 340. 466. 576.

## Q

*Qualitates admittendorum*,  
p. 426.

## R

*Rectores*, p. 370. 379. 599.

*Religiosa disciplina*, p. 40. 75.  
223. 427. 466. 513.

*Responsa moralia*, p. 223. 237.  
242. 335. 383. 423. 555.

*Romani Pontificis Autoritas*,  
pag. 34. 181. 524.

## S

*Salutis via*, p. 5. 235. 253.

*Satellitium hominis boni*, p. 607.

*Scholastici*, p. 342. 370. 424.

*Scientia*, p. 73. 224.

*Scrupuli*, p. 233. 244. 691.

*Sedis Apost. potestas &c.*, p. 523.

*Severitas*, p. 135.

*Societatis Jesu privilegia*, p. 451.  
457.

*Speculum Sacerdotum*, p. 606.

*Spes. V. Fiducia.*

*Strenuitas & diligentia*, p. 593.

## T

*Temperantia*, p. 579.

*Tentationes variæ*, p. 132. 243.  
250. 588.

*Theologia*, p. 501.

## V

*Viaticum peregrini*, p. 605.

*Virtus*, p. 591.

*Vocatio religiosa*, p. 317. 335.  
579.

*Vota religiosa solemnia*, p. 94.  
146.

*simplicia*, p. 149. 317.

## Z

*Zelus animarum*, p. 33. 75. 235.  
314.



## INDEX TERTIUS.

*Eorum, quibus, & a quibus conscripta sunt Epistola.*

## A

**A**bbas S. Severi, pag. 85.  
 Albertus. V. Dux Bavar.  
 Alburquerque Joannes Episcopus  
 Goæ, p. 96.  
 Ameria, p. 206.  
 Amici, p. 2. 4. 5.  
 Amigant Andreas, p. 19.  
 Ancieta P. Josephus, p. 179.  
 Ancona, p. 206.  
 Araoz P. Antonius, p. 40. 63.  
 78. 81. 150. 329.  
 Archiepiscopus. V. Card., Sau-  
 lius, Villanova.  
 Aretium, p. 206.  
 Ariminum, p. 161. 518.  
 Artiaga, Episcopus, p. 4.  
 Asculum, p. 206.  
 Avila M. Joannes, p. 80. 403.  
 Azpeitia, p. 12. 266.

## B

Bajadella, p. 82.  
 Barbaran, Barberà, p. 42. 323.  
 Barretius P. Joannes Nuñez,  
 p. 177. 182. 532.  
 Barzæus P. Gaspar, p. 98. 121.  
 147.  
 Benemeritus ignotus, p. 217.  
 Bermæum, p. 139.  
 Borgia Aloysia Dux Villæ For-  
 mosæ, p. 118. 145. 497.

Borgia Carolus, pag. 80.  
 S. Franciscus, p. 21. 36. 45.  
 55. 64. 66. 73. 95. 118. 123.  
 130. 149. 192. 220. 311.  
 335. 429. 453. 455.  
 Joannes, p. 177.  
 S. Francisci frater, p. 210.  
 Brandan, Brandaon, Brandon,  
 p. 222.  
 Brixia, p. 206.  
 Broetus P. Paschasius, p. 83.  
 105.  
 Bustamante P. Bartholomæus,  
 p. 166.

## C

Cacres, p. 20.; idem fortè Car-  
 ceres, vel Cazerres, p. 242.  
 Calatayud D. Ludovicus, p. 203.  
 559.  
 Callium, p. 202. 206. 553. 554.  
 Canisius P. Petrus, p. 145. 197.  
 204. 218.  
 Cardinalis a Carpo Rodulfus Pio,  
 p. 25. 124. 458.  
 Gaspar Contarini, p. 13.  
 Bartholom. de la Cue-  
 va, p. 210.  
 & Archiep. Evorensis  
 Henricus Regis frater,  
 p. 122. 130. 443. 494.  
 Franciscus a Mendoza,  
 al. Burgensis, p. 206.  
 Cardi-



*Cardinalis Joannes Morone*,  
 pag. 153.  
*Poggius Nuntius Apost.*,  
 p. 122. 452.  
*Angliæ Reginaldus Polo*,  
 p. 20. 150. 193. 282.  
 519. 522. 552.  
*Sancti crucius Marcellus  
 Cervini*, p. 24. 57. 299.  
 340.  
 & *Archiep. Toletanus Jo-  
 annes Silicæus*, p. 122.  
 451.  
*Cardona D. Joanna*, p. 37. 316.  
 319.  
*Carvajalus . V. Guterrus .*  
*Cazador Archidiaconus Barcino-  
 nen.*, p. 5. 235. 283.  
*Cervini . V. Card. Sancti crucius .*  
*Claret*, p. 238.  
*Claromontanus Episc. V. Epis-  
 copus .*  
*Colonienses Socii*, p. 39.  
*Complutenses Socii*, p. 59. 382.  
*Congregatio generalis Societatis*,  
 p. 99. 457.  
*Conimbricenses Socii*, p. 58. 144.  
 476.  
*Contarini Gaspar . V. Cardinalis .*  
*Petrus*, p. 7. 9. 15. 70.  
 252. 255. 264. 389.  
*Corduba Antonius*, p. 136.  
*Costa . V. Cuesta .*  
*Crescentius Jacobus*, p. 35. 305.  
*Criminalis P. Antonius*, p. 71. 391.  
*Cueva . V. Cardinalis .*

## D

*Domenech P. Joannes Hieronymus*,  
 p. 88. 210. 330. 412.

*Ducissa Florentiæ Eleonora*,  
 pag. 106.  
*Parmæ Margarita Au-  
 striaca*, p. 27. 158.  
 301. 503.  
*Villæ Formosæ . V. Bor-  
 gia .*  
*ignota*, p. 41.  
*Dux Bavarie Albertus*, p. 114.  
 159. 193. 202. 507. 550.  
 557.  
*Ferrariæ Hercules*, p. 86.  
 91. 101. 104. 183. 408.  
 415. 422. 538.  
*Gandiæ . V. Borgia .*  
*a Monte Leone Hector Pi-  
 gnatelli*, p. 102.  
*Najeræ*, p. 125. 453.

## E

*Elisabetha incerta*, p. 104.  
*Episcopus Claromontanus Guliel-  
 mus a Prato*, p. 156. 190.  
*Goæ . V. Alburquerque .*  
*Pistorii Franciscus Gali-  
 garius*, al. *Gallianus*,  
 p. 57. 70. 341. 388.  
*Placentinus . V. Guterrus .*  
*Eredia Antonius*, p. 147.  
*Eugubini Socii*, p. 163.  
*Exarche D. Sebastiana*, p. 37.  
*Exercitus Africae*, p. 411.

## F

*Faber P. Petrus*, p. 20. 23. 31.  
 36. 41. 262. 222.  
*Fantucia . V. Gigli .*  
*Fernandez P. Urbanus*, p. 102.  
 130. 423.



*Fonseca D. Hieronymus*,  
pag. 103.  
*Frassona Maria a Gesso*, p. 141.  
158. 469. 504.

## G

*Galigarius . V. Ep. Pistorii*.  
*Gandienses Socii*, p. 58. 370.  
*Garceran de Borgia Petrus A-*  
*loysius*, p. 151.  
*Garzia . V. Loyola*.  
*Gesso . V. Frassona*.  
*Gigli Margarita Fantucia*, p. 101.  
420.  
*Genzaga Martinus*, p. 252.  
*Gonzalez P. Ludovicus a Ca-*  
*mara*, p. 125. 129. 142. 143.  
191. 462. 539.  
*Govea Didacus*, p. 10. 11.  
*Guterrus Carvajalus Placentiæ*  
*Hisp. Ep.*, p. 167.  
*Guzman Didacus*, p. 191. 539.

## H

*Hamontanus Gerardus Prior Car-*  
*thus. Colon.*, p. 79. 160. 513.  
515.  
*Henriquez P. Leo*, p. 130.

## J

*Jajus P. Claudius*, p. 41. 58.  
125. 380. 460.

## I

*Ignotus Valentinus*, p. 37.  
*Ignotus S. Ignatii nepos ex fra-*  
*tre, vel sorore*, p. 5. 217.  
*Ignoti alii*, p. 219. 221. 225.  
303.

## K

*Kesselius P. Leonardus*, pag. 156.  
218.

## L

*Lancillottus P. Nicolaus*, p. 71.  
*Landini P. Silvester*, p. 64.  
*Lanoi P. Nicolaus*, p. 196.  
*Laurentius M.*, p. 284.  
*Laynez P. Didacus*, p. 56. 61.  
78. 125. 466.  
*Leydis, vel Sardis, Petrus Ley-*  
*densis*, p. 36. 305.  
*Lipomanus D. Andreas*, p. 84.  
*Ludovicus*, p. 413.  
*Loarte P. Gaspar*, p. 191. 539.  
*Lovanienses Socii*, p. 31. 94.  
*Loyola D. Beltranus*, p. 9. 10.  
12. 21. 271. 278. 284.  
*Magdalena*, p. 15.  
*D. Martinus Garzia*,  
p. 4. 235.  
*Ludovicus Regis Lusitani fra-*  
*ter*, p. 130.

## M

*Macerata*, p. 206.  
*Magister Ordinis a Montesa*,  
p. 151.  
*Manaræus P. Oliverius*, p. 196.  
220.  
*Margarita Austriaca . V. Ducis-*  
*sa Parmæ*.  
*Martinengus Hieronymus Nuntius*  
*Ap.*, p. 154.  
*Mascareñas D. Eleonora*, p. 4.  
209.  
*D. Petrus*, p. 15. 16.  
*Medde Fr. Franciscus*, p. 60.  
Men-



- Mendoza . V. Cardinalis .*  
*P. Ludovicus, pag. 216.*  
*Messanenſes Jurati, p. 218.*  
*Minturnus D. Antonius, p. 102.*  
 432.  
*Miona M. Emmanuel, p. 6. 261.*  
*Miron P. Didacus, p. 129. 142.*  
 148. 155. 195. 471.  
*Moniales Salmantinae, p. 3.*  
*Monialis Barcinonenſis . V. Re-*  
*gadella, p. 28.*  
*Monſopolitanus, p. 125. 464.*  
*Montoya Fr. Ludovicus, p. 216.*  
*Morbenium, p. 143. 158. 474.*  
 506.  
*Morone . V. Cardinalis .*
- N
- Narnia, p. 206.*  
*Natalis P. Hieronymus, p. 82.*  
 121. 156. 408. 499.  
*Neapolis, p. 85.*  
*Nobrega P. Emmanuel, p. 152.*  
*Nuñez P. Joannes . V. Barretus .*  
*P. Melchior, p. 180.*
- O
- Ortiz D. Petrus, p. 42. 322.*  
*Oviedus P. Andreas, p. 76. 128.*  
 178.
- P
- Palmius P. Franciſcus, p. 164.*  
*Parisienses Socii, p. 32. 196.*  
*Parma, p. 42. 101. 122. 321.*  
 421. 449.  
*Paschalis Agnes, p. 2. 3.*  
*Joannes, p. 218.*  
*Paulettus D. Florentius, p. 103.*
- Paulus Japon, pag. 396.*  
 PP. III., p. 43.  
*Perusini Socii, p. 163.*  
*Pezzanus M. Baptista, p. 336.*  
*V. Addenda .*  
*Pignatelli Hector . V. Dux .*  
*Poggius . V. Cardinalis .*  
*Polancus P. Joannes, p. 191. 539.*  
*Portugalliae Societas, p. 176.*  
*Præſul afflictus, p. 217.*  
*Pragenses Socii, p. 203.*  
*Princeps Joanna, Philippi II. so-*  
*ror, p. 168. 169.*  
*Ludovicus Regis Luſi-*  
*taniae frater, p. 130.*  
*Philippus . V. Rex .*  
*ignotus, p. 31.*  
*Prior Carthusiae Colon. V. Ha-*  
*montanus .*  
*Carthusiae Generals . Vide*  
*Leydis .*  
*S. Mariae Magdalena . Vi-*  
*de Lipomanus Andreas .*  
*Prorex Catalauniae . V. Borgia*  
*Franc. Neapolis . V. Toletum .*  
*Siciliae . V. Vega .*
- R
- Ramirez de Vergara D. Alfon-*  
*sus, p. 100. 159. 175. 418.*  
 509. 510.  
*Rectores, p. 163.*  
*Regadella, p. 6. 242. 249.*  
*Regina Portugalliae D. Cathari-*  
*na, p. 130.*  
*Religiosae . V. Moniales .*  
*Rex Abassiae, & Aethiopiae Im-*  
*perator Claudius, p. 181.*  
 523.  
Rex



- Rex & Princeps Hispaniæ Philippus II.*, pag. 64. 150. 192. 322. 546.  
*Portugalliæ Joannes III.*, p. 38. 80. 94. 130. 134. 175. 194. 327. 402. 471.  
*Romanorum Ferdinandus*, p. 46. 109. 113. 193. 338. 501. 514. 516. 536. 542. 549.  
*Ribadeneira P. Petrus*, p. 205.  
*Rodriguez P. Simon*, p. 23. 32. 36. 39. 45. 59. 87. 94. 130. 148. 333. 383. 410.  
*Roser*, al. *Rosel*, *Roses*, *Elisabetha*, p. 9. 20. 43. 257. 282. 324.  
*Rosseti Alfonsus*, p. 422.
- S
- Salmantini Socii*, p. 4.  
*Salmeron P. Alfonsus*, p. 60. 89. 413.  
*Sancticrucius Martinus*, p. 36.  
*de Sardis Petrus*, al. *Leydis*. *V. Leydis*.  
*Saulius Hieronymus Archiep. Genuensis*, & *Vicelegatus Bononiensis*, p. 140.  
*Schweicher D. Henricus*, p. 202. 555.  
*Siculi Socii*, p. 162.  
*Societas universa*, p. 145. 188. *in Europa*, p. 128. 468.  
*Soldevilla P.*, p. 161.  
*Solis Vergaræ Vicarius*, p. 117.  
*Sosa Martinus Indiæ Prorex*, p. 294.
- Spadafora Bartholomæa*, pag. 86. 407.  
*Spoletum*, p. 206.  
*Stalla D. Camillus*, p. 92.  
*Superiores Societatis*, p. 135. 491.
- T
- Tiburtini Socii*, p. 163.  
*Toletum*, *Petrus de Toletio Prorex Neapolis*, p. 103.  
*Tornacenses Socii*, p. 165.  
*Turrianus P. Michael*, p. 45. 130. 132. 165. 170. 325. 330.
- V
- Vallisoletani Socii*, p. 106.  
*Vega D. Joannes*, p. 162. 192. 411. 544.  
*Vergara D. V. Ramirez*. *oppidum*, p. 117.  
*Ugoletti P. Elpidius*, p. 106. 124. 457.  
*Victoria urbs*, p. 199.  
*Villanova S. Thomas Archiep. Valentinus*, p. 144. 489.  
*P. Franciscus*, p. 123. 160. 218. 508. 510.  
*Viola P. Joannes Bapt.*, p. 94. 153.  
*Ulvia Monialis*, p. 82.
- X
- Xavier S. Franciscus*, p. 12. 15. 23. 37. 71. 81. 88. 96. 121. 272. 275. 279. 285. 290. 295. 308. 386. 392. 400. 433. 444. 492.
- Z
- Zarate D. Petrus*, p. 207.  
*Incertæ personæ*, p. 62. 104.  
*V. Addenda*.



## INDEX GENERALIS.

*Nomina propria, & agnomina fere Hispanicè redduntur :  
omnia paginarum numeris indicantur .  
Præf. Præfatio .*

## A

- A**baseni, Abassia, pag. 176. 181.  
201. 523.  
Abbas S. Severini, p. 85.  
Abstinentia, p. 73.  
Abula, *Avila*, p. 12.  
Adrianus ab Adriano, p. 121.  
Adversa, p. 585.  
Ædificia Societatis Jesu, p. 17.  
Africa, regio, p. 162. 413.  
Africa civitas, p. 87.  
Agni pro ovibus, p. 525.  
Agricola P. Ignatius, p. 19. Corre-  
ctus, p. 89., 202. 413.  
Aguado Emmanuel, p. 156.  
Aguilera Emmanuel, p. 121. 209.  
Agustin D. Antonius, Auditor Ro-  
tæ, p. 390.  
Alaba provincia, p. 12. 117. 278.  
Alanus M. Joannes, p. 430.  
Alburquerque, familia, p. 210.  
Alburquerque Joannes Episcopus  
Goæ, p. 96. 398.  
Alcañices, Marchio de Alcañices  
& Oropeza, p. 192.  
Alcazar P. Bartholomæus, p. 5. 509.  
Præf. p. IV. Emendatur, p. 6. 80.  
102.  
Alcæ, p. 258.  
Alfonsus D. Alvarus, p. 31.  
Algaria, *Alguer*, p. 5. 326.  
Almazanum, *Almazan*, p. 5.  
Almeida civitas, p. 17.  
Altare privilegium, p. 291. 308.  
Alvarus P. Joannes, p. 77.  
Amangucium, p. 439. 446.  
Ambitio, pag. 49.  
S. Ambrosius, p. 30.  
America, p. 4. 507.  
Amicus, p. 210. 265. 601.  
Amigant Andreas, p. 19.  
Amor Dei, p. 31. 37. 39. 107. 229.  
233. 235. 560. 562. 608. Præf.  
p. II.  
Amor proximi, p. 2. 4. 31. 37. 39.  
40. 75. 108. 150. 162. 207. 235.  
267. 309. 346. 529. 564.  
Ancieta (*Ancheta*) Joseph, p. 179.  
Ancolina Faustina, p. 274.  
Ancona, p. 256.  
Anecdota Veneta, p. 7.  
Angeli Custodes, p. 153. 565. 568.  
Anglia, p. 4. 180. 520. 552.  
Antichristus, p. 77.  
Antonius Criminalis, p. 391.  
Antuerpia, *Amberes*, p. 4.  
Apologia, p. 81. 158. 175. 198. 214.  
404.  
Aragon D. Joannes, p. 31.  
Aragonia, prov., p. 131.  
Aranzazu, p. 1.  
Araoz P. Antonius, p. 13. 14. 21.  
39. 40. 67. 77. 94. 150. 175. 264.  
271. 278. 283. 304. 313. 329. 383.  
430. 490. 500.  
Arbensis Episcopus Vincentius, p. 6.  
Arbitri, p. 331.  
Archintus Philippus, Episcopus Sa-  
lutiarum, p. 328. 333.  
Arcula, seu Pyxis reliquiarum, p. 2.  
Aretium, *Arezo*, p. 206.  
Arevalo D. Faustinus, p. 124. 409.  
416. Præf. p. IV.

Arimi-



Ariminum, *Rimini*, pag. 161. 518.  
 Arista Rex, Ifigo Ximenez, Præf.  
 p. XIII.  
 Artiaga, p. 4.  
 Arvernia, *Auverña*, p. 190.  
 Asaphensis Episcopus Thomas God-  
 welus, p. 194. 552.  
 Asculum, *Arcoli*, p. 206.  
 Asiæ Episcopi, p. 372.  
 Assessor, p. 500.  
 Astrologia, p. 446.  
 Augusta Vindelicorum, p. 109. 280.  
 S. Augustinus, p. 29. 270. 304. 404.  
 525.  
 Avila M. Joannes, p. 80. 165. 213.  
 403.  
 Aula. V. Curia.  
 Aymerich P. Matthæus, p. 5.  
 Azcoitia, p. 431.  
 Azpeitia, p. 1. 5. 12. 14. 266. 285.  
 431.  
 Azevedo P. Emmanuel, p. 124.

## B

Baccalaureus P. Araoz, p. 13. 14.  
 268.  
 Bajadella, p. 82.  
 Balda, p. 1.  
 Bandus, p. 438.  
 Baptismus, p. 283. 287.  
 Barbaràn, Barberà, 42. 45. 323. 332.  
 Barcino, *Barcelona*, p. 1. 2. 6. 26.  
 40. 81. 239. 283. 303. 326.  
 Barellius Franciscus Aloysius, p. 211.  
 Barnabitæ, p. 140. 211.  
 Bartolii P. Daniel, p. 5. 6. 16. 65.  
 96. 128. 167. Vindicatus, p. 172.  
 Barzæus P. Gaspar, p. 98. 121. 146.  
 147. 177. 445.  
 Bassius Hieronymus, p. 190.  
 Bathier Alexander, p. 124. Præf.  
 p. III.  
 Bavaria, *Baviera*, p. 85. 140.  
 Beccadelli Ludovicus, p. 186.  
 Belgium, p. 194. 205. 548.  
 Bellunum, p. 84.  
 Bellum Germanicum, pag. 329.  
 Beltrandus, Beltranus. V. Loyola.  
 Benedictus PP. XIII., p. 27.  
 Benedictus PP. XIV., p. 174. 199.  
 Bergaz Martinus, p. 159.  
 Bermæum, *Berméo*, p. 139.  
 S. Bernardus, p. 354. 375. 480. 483.  
 485.  
 Bethania, p. 480.  
 Bibliotheca Cisterciensis, p. 214.  
 Bicuña, al. *Viscuña*, Maria a, p. 279.  
 285.  
 Bilbaum, *Bilbao*, p. 119. 279.  
 Birretus Sacerdotalis, p. 196.  
 Bisantinus Lucas Episcopus Cathari-  
 nus, p. 85.  
 Bisinianum, *Bisiñano*, p. 19.  
 Blandimenta, p. 136.  
 Blasphemix, p. 74. 232. 351.  
 Bobadilla Nicolaus, p. 19. 46. 85.  
 102. 128. 282. 327. 432. 522.  
 Bollandiani, p. 2. 4. 9. 42. 133. 223.  
 Præf. p. III. Correcti, p. 9. 22.  
 35. 45. 69. 101. 117. 225.  
 S. Bonaventura, p. 405.  
 Bononia Italiæ, *Bolonia*, p. 5. 24.  
 61. 85. 101. 163. 229. 237. 274.  
 330.  
 Bonucci Antonius, p. 47. 106.  
 Bonum commune, p. 428.  
 Bonzii, p. 436.  
 Borgia Aloysia. V. Dux.  
 Alvarus, p. 74.  
 Carolus, p. 80.  
 Francisca, Præf. p. V.  
 S. Franciscus, p. 21. 28. 45. 55.  
 59. 64. 70. 73. 85. 117. 119.  
 123. 130. 134. 139. 148. 155.  
 157. 160. 166. 169. 192. 220.  
 283. 311. 332. 335. 382. 384.  
 415. 429. 453. 455. 497. 547.  
 Joannes, p. 65. 117.  
 Francisci frater, p. 216.  
 Borellus Jo: Paulus, p. 330.  
 Bosch Joannes, p. 331.  
 Botellius Michael, p. 206.  
 Bouhours Dominicus, p. 11. 43. 181.  
 Bran-



- Brandan, Brandaon, Brandon, pag. 222.  
 Brasilia, *Brasil*, p. 86. 132. 152.  
 179. 493.  
 Breve Apostol., p. 13. 16. 17.  
 Britinorium, *Bertinoro*. V. Con-  
 versinus.  
 Brixia, *Brescia*, *Bresa*, p. 206. 432.  
 Brixinum, *Brixen*, p. 465.  
 Broet Paschasius, p. 8. 47. 83. 105.  
 126. 183.  
 Brugæ, *Brujas*, p. 4.  
 Bruxellæ, *Bruselas*, p. 165. 207.  
 Bulla Pontificia, p. 13.  
 Burgi, *Burgos*, p. 14. 149. 430.  
 Burninus, p. 41.  
 Bustamante, p. 155. 166. 196.  
 Buxetum, *Busetto*, p. 24.
- C
- Cáceres, p. 4.  
 Cacres, Cazares, p. 20.  
 Cæsaraugusta, *Zaragoza*, p. 62. 64.  
 145. 214. 382. 384.  
 Cajetanus Thomas de Vio Cardin.,  
 p. 405.  
 Calagurris, *Calahorra*, p. 148.  
 Calaris, *Caller*, p. 4.  
 Calatayud Ludovicus, p. 203. 559.  
 Calatravenses Equites, p. 152.  
 Callistus, p. 4.  
 Callium, *Calli*, p. 202. 206. 553.  
 554.  
 Cameracum, *Cambrai*, p. 164.  
 Camers Paulus, p. 71.  
 Canalis Petrus, p. 190.  
 Cancellarius, p. 115.  
 Candidati Societatis Jesu, p. 425.  
 Canisius Petrus, p. 61. 81. 113. 114.  
 145. 153. 193. 197. 204. 218. 413.  
 508. 514. 541. 550. 558.  
 Canonicus, p. 28. 301.  
 Cantabria, p. 110. 126.  
 Cantabrica lingua. V. Vasconica.  
 Canus Melchior, p. 60. 77. 172. 175.  
 527.  
 PP. Capuccini, p. 8.
- Capunsuccus Stephanus, pag. 84.  
 Carceres, pro *Caceres*, p. 242. V.  
 p. 4. 20. 250.  
 Carcerum visitatio, p. 40. 109.  
 Cardenas Bernardinus, p. 117.  
 Cardinalis Angliæ. V. Polo.  
 Augustanus Otto Truchses, p. 210.  
 458. 542.  
 Burgensis, p. 34. 328. 431.  
 Carpensis, de Carpo, de Car-  
 pi. V. Carpensis.  
 Cauriensis. V. Mendoza.  
 Cervinius. V. Cervini.  
 Compostellanus Joannes de To-  
 ledo, p. 35. 144. 475.  
 Contarini. V. Contarenus.  
 Crescentius, p. 332.  
 Cuevius, de la Cueva, Bartho-  
 lomæus, p. 170. 210. 454. 497.  
 Durante, p. 432.  
 Eporediensis, Bonifacius Ferre-  
 rius, p. 273.  
 Evorensis Henricus, p. 122. 130.  
 145. 155. 276. 280. 443. 494.  
 Farnesius, p. 32. 85. 90. 300.  
 Maffejus, Bernardinus, p. 122.  
 328. 329. 454.  
 Messanensis, p. 192. 545.  
 a Monte, p. 85. 329.  
 Morone, Moronus, p. 153. 329.  
 542. 545.  
 Poggi Joannes Nuntius Apost.,  
 p. 122. 151. 452.  
 Polo. V. Polo.  
 Pucci Robertus, p. 57.  
 Quirini, p. 180. 552.  
 a S. Cruce, Sancticrucius. V.  
 Cervini.  
 a S. Fiora, p. 450.  
 Sfondratus, p. 329.  
 Siliceus Joannes, p. 122. 175.  
 450.  
 Theatinus. V. Paulus IV.  
 Tridentinus Christophorus,  
 p. 465.  
 Varmiensis Stanislaus Hosius,  
 p. 210.



- Cardinalis de Yurea . Vide Epore-  
 diensis .  
 Cardinalis dotes & officium , pag. 137.  
 210.  
 Cardona Joanna , p. 37. 316.  
 Caritas . V. Amor .  
 Carlatius Quintinus , p. 28.  
 Carletti Comes Peregrinus , p. 125.  
 Carmelitarum vestis , p. 229.  
 Carnero Melchior , p. 177. 182.  
 Carnoli Aloysius , al. Vigilus No-  
 larci , p. 4. 7. 10. 61. 158. 229.  
 Carolus V. Imp. , p. 20. 24. 27. 68.  
 168. 329. 546. 648.  
 Carpensis Card. Rodulfus Pio , p. 24.  
 46. 63. 83. 124. 165. 328. 458.  
 Comes ( *Conde* ) , p. 302.  
 Carthusiani , p. 79. 305.  
 Carvajalus Guterrus , *Gutierre Car-  
 vajal* , p. 167.  
 Cassadoni , Cassador . V. Cazador  
 Gulielmus , Jacobus .  
 Cassianus , p. 479. 482. 486.  
 Castella , *Castilla* , p. 119.  
 Castigatio , p. 599.  
 Castitas , p. 393. 397. 571. 612.  
 Castro Alfonsus Nuñez . Præf. p.  
 XIII.  
 Castro Doctor , p. 239. 248.  
 Casus reservati , p. 88. 227. Præf. p. IX.  
 Catalanus Josephus , p. 171.  
 Catalaunia , *Cataluña* , p. 21. 77.  
 Catania , p. 206. 209.  
 Catechumeni , p. 96. 295.  
 Cauria , *Coria* . V. Mendoza .  
 Causæ piæ , p. 238.  
 Cazador Archidiaconus , p. 5. 20.  
 236. 263. 283. 326.  
 Jacobus , & Gulielmus , p. 5.  
 Cazares . V. Cacres .  
 Cenicum urbs , p. 396.  
 Censores . V. Index .  
 Cervini Marcellus Card. a S. Cruce .  
 p. 24. 57. 163. 181. 299. 329.  
 341. 380. 465. 522.  
 Alexander Archiepiscopus Pisa-  
 nus , p. 24.  
 Chacon Alfonsus , pag. 210.  
 Chananaea , p. 320.  
 Christiana religio , p. 110. 198. 437.  
 Christophorus Magister , p. 333.  
 Christus Jesus , p. 74. 81. 179. 217.  
 232. 372. 469.  
 Chronicon breve Societ. Jesu , p. 147.  
 Chrysostomus S. Joannes , p. 404.  
 Cienfuegos Alvarus Card. , p. 12.  
 67. 118. 192.  
 Circumcisio utriusque sexus , p. 327.  
 Sanctæ Claræ monasterium , p. 240.  
 Claret D. , p. 238.  
 Claromontensis Episcopus Gulielmus ,  
 p. 94. 155. 189.  
 Claves S. Petri , p. 524.  
 Clayssenius Robertus , p. 190.  
 Clemens PP. VII. , p. 201.  
 Clericus quo modo teneatur erogare  
 superflua , p. 515.  
 Coadjutor spiritalis , p. 71. 391.  
 temporalis , p. 72. 196.  
 Cocinum , *Cochin* , p. 18. 310.  
 Codacius Petrus , p. 28. 272. 279.  
 301. 391.  
 Codex , Codices . V. Manuscripta .  
 Codrettus Ludov. , p. 106.  
 Coduri Joannes , p. 6. 20.  
 Cogitationes pravæ , p. 232.  
 Collegia , p. 35. 42. 80. 91. 110. 119.  
 139. 154. 163. 168. 191. 193. 200.  
 203. 206. 209. 212. 521. 554.  
 Collectores Epistolarum S. Ignatii ,  
 Præf. p. III.  
 Collegia Juniorum cum Veteranis ,  
 p. 161.  
 Colonia Agrippina , *Colonia* , p. 31.  
 36. 39. 156. 161. 219.  
 Commendatio , p. 255. 265. 289. 301.  
 322. 403. 471. 547.  
 Commissarius Hispaniæ , p. 148. 156.  
 157. 192. 220. 499. 547.  
 Italiæ , p. 141. 470.  
 Apostolicus , p. 177.  
 Communicatio bonorum spiritalium ,  
 p. 80. 305. 470.  
 Communio . V. Eucharistia .  
 Como-



- Comorinum, *Comorin*, pag. 71. 96.  
286. 392.
- Complutum, *Alcalá de Henares*, p. 3.  
23. 40. 56. 59. 160. 168. 261. 382.
- Compostella, *Santiago de Galicia*.  
V. Cardinalis.
- Conatus contrarii, quando boni,  
p. 124. 456.
- Concha, *Cuenca*, p. 119. 160. 430.  
510.
- Concilia, Chalcedon., Constantien.,  
Florent., p. 528.  
V. Bononia, Tridentum, Lug-  
dun.  
Lateranense, p. 25.  
Romanum, p. 27.
- Concionator, p. 108. 119. 151. 226.  
239. 258. 328. 384. 512. 602.
- Confessarius, p. 22. 25. 226.  
Principis, p. 46. 59. 90. 113.  
142. 148. 196. 462. 472.
- Confessio frequens, p. 28. 79. 108.  
280.  
venialium, p. 226.
- Confraternitas, SS. Sacramenti, p. 269.  
S. Sepulcri, p. 207.
- Congi regnum, p. 86. 493.
- Congregatio generalis, p. 19. 94. 417.
- Conimbrica, *Coimbra*, p. 36. 58. 132.  
135. 144. 149. 196. 205. 276. 298.  
342. 476.
- Consanguinei, p. 235. 238. 320. 463.  
497.
- Conscientia justa, p. 246.  
laxa, p. 245.  
scrupulosa. V. Scrupulositas.
- Consilia, p. 152. 249.
- Consolatio spiritalis, p. 221. 246. 272.  
313. 434. 509. 595.
- Consolatio in adversis, p. 196. 217.  
301. 303. 430. 504. 559. 595.
- Constantinopolis, p. 207.
- Constitutiones Societatis Jesu, p. 94.  
131. 149. 428.
- Consuetudo, p. 393. 598. 607.
- Contarenius, Contarini, Gaspar Card.,  
p. 7. 9. 13. 15. 84. 255. 265.
- Contarenius Julius, Episcopus Bellu-  
nensis, pag. 84.  
Petrus Episcopus Paphensis, p. 7.  
70. 252. 255. 265. 389.  
Joannes Baptista Maria, p. 7.  
Marcus, p. 253.
- Contemplatio, p. 38. 75. 191. 312. 583.
- Conversinus Benedictus Episcopus  
Britonoriensis, p. 77. 255. 259.
- Convictores, p. 74. 205.
- Coquelins, p. 209.
- Cordara Julius, p. 124. 153. 159. 197.
- Corduba civitas, p. 139. 154.  
Tucumanensis, p. 87.
- Corduba Antonius, p. 136. 139. 154.  
Hieronymus, p. 157. 192.  
Joannes, p. 154.  
Raphael, p. 42.
- Corporis cura, p. 426.
- Correctio, p. 129. 227. 601.
- Corsica, *Corcega*, p. 409.
- Crafaniana. V. Grafaniana.
- Cranganorum, *Cranganor*, p. 398.
- Crescentius Card. V. Cardinalis.
- Crescentius Jacobus, p. 35. 306.
- Cresci Leonardus, p. 300.
- Criminalis Antonius, p. 71. 391. 400.
- Criminationes, p. 134. 185. 197. 201.  
259. 328. 404.
- Croijs Carolus, & Robertus, Epis-  
copi, p. 154.
- Cruciatus, p. 74. 167.
- Cruger Georgius, p. 203.
- Cruilles Francisca, p. 44.
- Crux Jesu Christi, p. 3. 138. 217.  
232. 317. 585.
- Cuesta Joannes, p. 175.
- Cueva. V. Cardinalis.
- Curia, p. 40. 130. 157. 230. 259.  
383. 500.
- Cutillas Franciscus, p. 23. 230. 274. 289.
- S. Cyprianus, p. 30.
- Cyprus, *Chipre*, p. 2. 207.

## D

Dæmon, p. 178. 183. 197. 228. 233.  
242. 609.

Damna



Damnatus morti, pag. 220.  
 Debita, p. 331. 430.  
 Decorum, p. 229.  
 Delis, pro *de Lis*. V. Gigli.  
 Desideria pia, p. 3. 426.  
 Desidia, p. 209. 594.  
 Despectio rerum humanarum, p. 5.  
 217. 426. 454.  
 Deus. V. Amor Dei.  
 Dei voluntati commissus, p. 104.  
 250. 427. 505. 587.  
 Dei erga nos amor, p. 232. 240.  
 245. 250. 592. 596.  
 Diabolus. V. Dæmon.  
 Dialectica, p. 437. 446.  
 Diffidentia, p. 240. 245. 601.  
 Diligentia, p. 593.  
 Dilinga civitas, p. 200.  
 Dimissi e Societ. Jesu, p. 135. 155.  
 394.  
 Discretio spiritus, p. 75. 220. 247.  
 354. 456.  
 Dispensatio matrimonialis, p. 151.  
 commutandi monasteria, p. 542.  
 Disputatio, p. 108.  
 Dissimulatio, p. 467.  
 Dives, p. 570.  
 Doctores e S. Ignatii mandato, p. 14.  
 85. 90. 336.  
 Doctrina Christiana, p. 108. 112. 114.  
 263. 287. 309.  
 Doctrina Societ. Jesu, p. 108. 256.  
 427.  
 Documenta S. Ignatii, p. 107. 224.  
 243. 466. 606. Præf. p. VII.  
 Domenech Joannes Hieronymus, p. 20.  
 21. 88. 119. 162. 210. 285.  
 330. 412. 430. 489. 545.  
 Petrus, p. 28.  
 Dominicanus N. a S. Ignatio com-  
 mendatus, p. 268. 301.  
 Dominicani Patres Societatis Jesu de-  
 fensores, p. 60.  
 S. Dominicus, p. 8. 53.  
 Dominium cum voto paupertatis, p. 65.  
 Domus Societatis, p. 33. 35. V. Col-  
 legia.

Dubia, pag. 455.  
 Dufresne Carolus, Præf. p. VIII.  
 Durante. V. Cardinalis.  
 Dux, *Duque*, Alburquerque, p. 125.  
 Bavariæ, p. 84. 112. 140. 150.  
 193. 202. 413. 507. 550. 557.  
 Brigantinus Theodosius, p. 155.  
 Ferrariæ, p. 58. 85. 86. 90. 101.  
 211. 261. 380. 408. 415. 422.  
 538.  
 Florentiæ, p. 91. 106.  
 Gandiæ. V. Borgia.  
 Monteleonis, p. 102. 162. 432.  
 Najeræ, p. 21. 125. 463.  
 Dux, *Duquesa*, Florentiæ, p. 91. 106.  
 Parmæ. V. Margarita.  
 Villæ formosæ, Aloysia, p. 118.  
 145. 497.  
 Bivonæ, p. 218.

## E

Ebilensis, pro *Abulensis*. V. Eneco.  
 Eboræ. V. Evora.  
 Echard Jacobus, p. 173.  
 Ecclesia una, p. 526.  
 Editio nova Epistolarum S. Xaverii,  
 p. 23. 154. 229.  
 Educatio, p. 3. 110. 163. 197. 200.  
 Ega flumen, p. 12.  
 Eguia Didacus, p. 12. 283.  
 Stephanus, p. 12. 278.  
 Electio status, p. 596. 602.  
 Superioris, p. 371. 378.  
 Eleemosyna, p. 237. 515.  
 Eleonora, p. 85. 106. 192. 327. 331.  
 Eloquentia, p. 80. 108. 259.  
 Emendatio, p. 54.  
 Emolumentum, p. 49. 186.  
 S. Eneco, Præf. p. XII.  
 Eneco, Enego, Enigo, Episcopus  
 Abulensis, Præf. p. XIII.  
 Eneco Rex, Præf. p. XIII.  
 Episcopia dignitas cavenda, p. 4. 46.  
 48. 55.  
 Episcopus. V. Alburquerque, Ar-  
 chintus.



- Episcopus Asaphensis, Carvajalus, Cazador, Claromontensis, Contarenus, Conversinus, Eneco, Franzesi, Galigarius, Labacensis, Lipomanus, Minturnus, Rossetti, Sauli, Scyllacium, Sequiros, Suarez, Visensis.
- Epistola anonyma, Christi nomine scripta, pag. 232.
- Epistolæ S. Ignatii Hispanæ, Italicæ, Latinæ, Præf. p. VII. earum doctrina, Præf. p. III. VII. X. stilus, p. 2. Præf. p. X. subscriptiones, Præf. p. II. XI. XIV. versiones, Præf. p. XVII.
- Epistolæ S. Xaverii ad S. Ignatium, p. 272. 275. 279. 286. 290. 295. 308. 385. 392. 400. 433. 444.
- Eporedia, *Ivrea*, al. *Inurea*, *Turra*, p. 273.
- Eremitæ, p. 163.
- Errores hodierni, p. 169.
- Escalona Romualdus, Præf. p. XIII.
- Estella, civitas, p. 12.
- Eucharistia, p. 21. 22. 28. 79. 109. 258. 273. 304. 327. 596.
- Eugubium, *Gubio*, p. 163. 465.
- Evora civitas, p. 17. 122. 443.
- Examen conscientiæ, p. 224. 603.
- Exarche Sebastiana, p. 37.
- Excellentia titulus, p. 27.
- Exemplum, p. 53. 65. 109. 110. 118. 138. 149. 335. 339. 546.
- Execrationes, p. 108.
- Exercitiorum liber, p. 1. 46. 158. 175. 275. usus, p. 109. 213. 221. 240. 251. 275. 280. 285. 316.
- Exercitus Hisp., p. 87. 411.
- Eystettum, *Eichstet*, p. 114.
- F
- Faber Petrus, p. 6. 8. 11. 10. 20. 22. 36. 39. 41. 45. 322. 327. 515.
- Factiones, pag. 52.
- Fama, p. 81. 239. 256. 404.
- Familiæ cura, p. 65. 336.
- Familiaris sermo, p. 597.
- Fansie de Rojas, p. 12.
- Fantuccia, *Fantuzzi*, p. 101.
- Faria Balhasar, p. 327.
- Farnesius. V. Cardinalis.
- Farnesius Octavius, p. 27.
- Feria Comes, p. 130. 205.
- Fernandez Urbanus, p. 102. 131. 132. 222. 423. Joannes, p. 440.
- Ferraria, *Ferrara*, p. 2. 58. 91. 104. 188. 261. 409. 422. 470.
- Ferreolus Locrius, p. 548.
- Fervor, p. 31. 73. 353. 593.
- Festa observanda, p. 3.
- Fesulensis Congregatio, p. 8.
- Fides divina, p. 561.
- Fiducia, p. 34. 197. 221. 319. 533. 609.
- Figueroa Regens, p. 261.
- Flandria, *Flandes*. V. Belgium.
- Florentia civitas, p. 61. 91. 106. 299.
- Florentinus Jacobus, p. 253.
- Flos Sanctorum, p. 101.
- Florez, M. Henricus, Præf. p. XII. XVI.
- Fluvia Franciscus Xaverius, p. 2. 9. 19. 144.
- Folia pura, p. 132.
- Fœminæ, qui alloquendæ? p. 572.
- Fonseca Franciscus, p. 17. Hieronymus, p. 103.
- Forolivium, *Forli*, p. 150.
- Fortitudo, p. 578.
- Fragmenta literarum, p. 3. 10. 21. 31. 39. 91. 93. 96. 99. 104. 117. 120. 150. 157. 191. 197. 208. 216. 217. 221.
- S. Franciscus, p. 8. 53.
- Franzesi Petrus, Episcopus Politianus, p. 125.
- Frassona, Frassoni a Gesso, Maria, p. 141. 158. 469.
- Frater, variè, p. 8. 12. Præf. p. XVII. Fratres



- Fratres Societatis Jesu, pag. 425.  
 Fratini Antonius, p. 36.  
 Frequens Sacramentorum usus, p. 21.  
 22. 28. 145. 163. 213. 225. 269.  
 274. 276. 295. 304. 498. 597.  
 Frerepan Antonius, p. 272.  
 Frusius Andreas, p. 90. 462. 604.  
 Fulginium, *Foliño*, p. 326. 331.
- G
- Gades, *Cadiz*, p. 42.  
 Galan Andreas, p. 102. Præf. p. IV.  
 Galceran, Garceran, Petrus Aloysius, p. 151.  
 Galigarius, al. Gallianus, Franciscus Episcopus, p. 57. 70. 341. 388.  
 Gallisà Lucianus, p. 144. Præf. p. IV.  
 Galvanellus Andreas, p. 90. 143.  
 474. 506.  
 Galuzzi, p. 107.  
 Gandia civitas, p. 28. 46. 58. 67.  
 430. 547.  
 Gaona Joannes Episcopus, p. 119.  
 V. Addenda.  
 Garcia. V. Garzia.  
 Garofali Vincentius, & Xaverius, p. 145.  
 Garzia Franciscus, p. 2. 9. 17. 57.  
 158. 169. 231.  
 Iñigo, Præf. p. XIII.  
 Martinus, p. 4. 9. 235. 263.  
 alter Martinus, p. 10. 464.  
 Michael, p. 125. Præf. p. III.  
 Gandan Nicolaus, p. 90. 113. 414.  
 Gaztelu Carolus, p. 62. 145.  
 Gennadius, p. 30.  
 Genua, *Genova*, p. 2. 5. 140. 161.  
 Germania, *Alemania*, p. 22. 200.  
 496. 508. 546.  
 Germania superior, p. 19. 204.  
 inferior, p. 205. 546.  
 Germanicum Collegium, p. 124. 153.  
 159. 107. 458. 461. 521.  
 Gesso. V. Frassona.  
 Ghinucius, p. 13.  
 Gigli, Gillo, de Lis, Margarita, p. 101. 420.
- Gloria Dei, pag. 97. 107. 157. 172.  
 204. 244. 613.  
 vana, p. 243.  
 Goa civitas, p. 96. 286. 290. 296.  
 Gobati Joannes Baptista, p. 5.  
 Godwelus. V. Asaphensis.  
 Gomez Michael, p. 134.  
 Gonsalviana vita, p. 2. 4.  
 Gonzaga Martinus, p. 252.  
 Gonzalez a Camara Ludovicus, p. 71.  
 125. 129. 131. 134. 142. 148. 191.  
 194. 462. 471. 473. 494.  
 Gonzalez Thyrsus, p. 181.  
 Gordone Angela, p. 86.  
 Govea Didacus, p. 10. 20.  
 Grafaniana provincia, p. 408.  
 Grammatica, p. 293.  
 Grana Ludovicus, p. 152.  
 Granata, *Granada*, p. 10.  
 Gratia Dei, p. 313. 596.  
 ejusdem impedimenta, p. 596.  
 Gratus animus, p. 33. 38. 141. 217.  
 237. 262. 380. 415. 421. 449. 451.  
 452. 470. 472. 490. 491.  
 S. Gregorius PP., p. 75. 238. 373.  
 405. 477. 470. 486.  
 Gregorius PP. XIII., p. 200.  
 Guadalaxara, Præf. p. XIII.  
 Gubernatio, p. 129. 599.  
 Gucci Antonius, p. 202.  
 Guerra Ignatius, p. 82. 146. 217.  
 Guevara Iñigo, Præf. p. XIII.  
 Joannes, p. 463.  
 Guia, pro *Eguia*, p. 12.  
 Guido Guidonius, p. 58.  
 Guinea provincia, p. 493.  
 Guipuzcoa provincia, p. 1. 139.  
 Gula, p. 571.  
 Guttanus Joannes, p. 162.  
 Guzman Didacus, p. 170. 191.  
 Gymnasia, p. 190. 195. 396.
- H
- Hæretici, p. 56. 199. 201. 208. 405.  
 496. 501.  
 Hamontanus Gerardus, p. 36. 79.  
 160. 513. 515.



- Hebdomadarii S. Ignatii, pag. 4. 10.  
 de Helphantutiis Joannes Franciscus,  
 p. 101.  
 Henao Gabriel, p. 10. 125.  
 Henneco. V. Eneco.  
 Henriquez Henricus, p. 398.  
 Henriquez Leo, p. 130. 132.  
 Hernandez Petrus Emmanuel, Præf.  
 p. IV.  
 Hevenesi Gabriel, Præf. p. VII.  
 Hibernia, *Irlanda*, p. 174. 271.  
 S. Hieronymus, p. 405.  
 Hierosolyma, Jerusalem, p. 2. 207.  
 265. 372. 448. 526.  
 Hierotheca, p. 150. 161.  
 Hispalis, *Sevilla*, p. 42. 220. 323.  
 384.  
 Historia. V. Agricola, Aguilera,  
 Alcazar, Bartolius, Castro, Cor-  
 dara, Escalona, Loperræz, Or-  
 landinus, Reiffenberg, Sacchinus,  
 Tellez.  
 Honorabilis, p. 111.  
 Honoris repudium, p. 19. 47. 55.  
 94. 95. 100. 118. 123. 136. 142.  
 148. 153. 168. 177. 182. 327. 462.  
 506.  
 Horæ canonicæ, p. 224.  
 Humaniores literæ, p. 422.  
 Humilitas commendata, p. 40. 48.  
 51. 54. 95. 120. 123. 126. 138.  
 142. 149. 152. 157. 166. 177. 216.  
 317. 434. 462. 473. 533. 569. 580.  
 Humilitas falsa, p. 243.  
 Humilitas S. Ignatii, p. 19. 33. 38.  
 61. 94. 100. 218. 239. 259. 284.  
 313. 384. 417. 569.  
 Hypocrisis, p. 605.
- I
- Jajus Claudius, p. 41. 46. 58. 61.  
 84. 80. 111. 125. 327. 380. 460.  
 Jañez Beltrandus, p. 1.  
 Janinus Ludovicus, p. 492.  
 Japonii, p. 201. 387. 395. 401. 433.  
 440. 445.
- Jejunium, pag. 73. 83. 219.  
 Jerosolyma. V. Hierosolyma.  
 Jesuatarum, & Jesuitarum tessera,  
 p. 409.  
 Jesu Societas, p. 96. 104. 111. 170.  
 318. 523.  
 nominis causæ, p. 170.  
 Jesu Nominis Societas a Domi-  
 nicanis instituta, p. 171.  
 S. Ignatius Episcopus Antiochenus,  
 p. 55. 69. Præf. p. XIV. XVI.  
 S. Ignatius Loyola: de primo ejus  
 nomine, Præf. p. VII. XI. XIV.  
 ejus initia, p. 1. 237. 265. Præf.  
 p. VII.  
 Paternus amor, p. 60. 235. 611.  
 Præfectura, p. 13. 61.  
 scripta, p. 175. 222. 230.  
 Ignotus benemeritus, p. 217.  
 Illescas Gonzalus, p. 548.  
 Imago primi sæculi, p. 192.  
 Imitatio, p. 138. 153. 594.  
 Impedimenta inhonesta, p. 243. 247.  
 313.  
 Imputationes, p. 60. 135. 186.  
 Incognita causa damnati, p. 187.  
 Index multiplex, Præf. p. VI.,  
 p. 614.  
 Index, *Sindico*, p. 228. 535.  
 India Orientalis, p. 10. 15. 88. 96.  
 128. 180. 277. 291. 297. 393. 453.  
 Indiæ intervalla, p. 297. 395.  
 Indifferentia, p. 71. 104. 370. 427.  
 487.  
 Indulgentiæ, p. 13. 268. 291. 294.  
 296. 399. 447.  
 Infallibilitas, p. 181.  
 Infantado, a Regis fratre, vel so-  
 rore, Præf. p. XIII.  
 Infernus, p. 437.  
 Infirmitas, p. 237.  
 Infirmorum cura, p. 24. 55. 60. 64.  
 191. 208. 320. 539. 570.  
 Ingolstadtium, *Ingolstadt*, p. 84. 90.  
 113. 140. 159. 203. 413. 507. 550.  
 556. 557.  
 Ingratus, p. 33. 350.
- Inigo,



- Inigo, Iñigo, Ynigo, pag. 9. 241.  
 252. 279. 284. 286. 304. 324.  
 Præf. p. XII.  
 Inimicorum amor, p. 323.  
 Innocentia Societatis Jesu, p. 9. 38.  
 167. 257. 328.  
 Innocentius PP. III., p. 24. 299.  
 Innocentius PP. XI., p. 29.  
 Inopia, p. 128. 237.  
 Inquisitio sacra, p. 148. 188. 196.  
 280.  
 Instituta Societatis Jesu, p. 13. 18.  
 165. 185. 198. 258. 339. 451. 472.  
 475.  
 Intentio recta, p. 185. 233. 427.  
 Interpretatio, p. 374.  
 Invidia, p. 51. 185.  
 Joanna de Cardona, p. 316. 319.  
 Joanna Princeps, p. 169.  
 Ira, p. 600.  
 Isaias, p. 130. 212. 525.  
 Iter facere, p. 167. 173. 177. 195.  
 210.  
 Jubilæum, p. 87. 410. 411. 448.  
 Judicata pro S. Ignatio, p. 134. 188.  
 250. 264. 275. 332. 381.  
 Judicia forensia, p. 259. 323. 328.  
 332.  
 Judicium postremum, p. 264.  
 Julius PP. III., p. 87. 98. 122. 140.  
 169. 182. 198. 207. 410. 411. 414.  
 454.  
 Juramenta, p. 108. 174.  
 Justitia, p. 578.  
 Juvenes, p. 198. 576.
- K
- Kesselius Leonardus, p. 156. 218.
- L
- Labacensis Antistes Urbanus, p. 46.  
 113. 327.  
 Labor, laboriosus, p. 118. 150. 182.  
 393. 436.  
 Lacrymæ, p. 434.  
 M. Lactantius, pag. 13.  
 Laderchius, p. 108.  
 Læsa fama. V. Criminationes.  
 Lætitia, p. 132. 580.  
 Lagomarsinius Hieronymus, p. 24.  
 125. 180. 198. 210. 300. 552.  
 Lagia Nicolaus, p. 181. 523.  
 Lancicius Nicolaus, p. 14. 161. 196.  
 222. 244. 344. 404.  
 Lancilottus Nicolaus, p. 146. 401.  
 Landinius Silvester, p. 64. 86.  
 Lanoy Nicolaus, p. 181. 196. 541.  
 Lascano, p. 139.  
 Laso, Lasso Didacus, p. 46. 153. 550.  
 Franciscus, p. 41. 218.  
 Laurentius Magister, p. 20. 284.  
 Lauretum, Loreto, p. 163. 191. 196.  
 219. 273. 539.  
 Laus Pompeja, Lodi, p. 391.  
 Laynez Didacus. p. 6. 8. 56. 61. 78.  
 106. 125. 212. 321. 328. 340. 466.  
 544.  
 Lectio librorum, p. 1. 608.  
 Legatio, p. 176.  
 Legatus Apostolicus, p. 18.  
 Lemures, p. 196.  
 Lentulus Thomas. p. 203.  
 S. Leo PP., p. 485. 486. 527.  
 Leo X., p. 5.  
 Lex minuta, p. 228.  
 Leydis, al. Sardis, Petrus Leyden-  
 sis, p. 36. 305.  
 Lhostius Jacobus, p. 72.  
 Libellus supplex, p. 25.  
 Liberalitas, p. 33. 38. 79. 91. 97.  
 116. 191. 193. 203. 288. 513.  
 in pauperes, p. 95. 210. 218.  
 237. 489.  
 Libri noxii, p. 604.  
 Licentia, p. 150.  
 Licenciatus, p. 4. 14. 276. 304. 383.  
 Præf. p. VII.  
 Liconia, p. 1.  
 Lineros Hieronymus, p. 430.  
 Linguæ cura, p. 219.  
 Lipomanus Andreas Prior, p. 42. 79.  
 84. 89. 321. 466.



- Lipomanus Ludovicus Episc., pag. 84.  
     89. 207. 413.  
     Joannes, p. 78.  
 Lis, liliū, p. 101.  
 Literæ . V. Epistola . Frequentes, p. 23.  
     84. 93. 162. 229. 272. 336. 424.  
 Literarii gradus, p. 19. 115.  
 Literatura, p. 108. 121. 427. 442. 460.  
 Lites, p. 165. 318. 578.  
 Litura, p. 229.  
 Llodio, Lodium, Præf. p. XIII.  
 Loarte Gaspar, p. 191.  
 Lodosa Petrus, p. 139.  
 Logronium, *Logroño*, p. 149.  
 Longobardorum Collegium, p. 21.  
     95. 285.  
 Loperræz Joannes, Præf. p. XIII.  
 Lopez Alfonsus, p. 154. 160.  
     Beltranus, p. 117.  
     Inigo, Præf. p. XIII.  
 Lorenzini Octavius, p. 202.  
 Lossada, p. 238.  
 Lovanium, *Louvain*, p. 31. 121. 205.  
 Loyola domus, p. 1.  
 Loyola Æmilianus, *Milian*, *Millan*,  
     p. 12. 14. 21. 279. 285.  
     Beltranus, p. 1. 9. 10. 11. 21.  
     263. 271. 278. 284.  
     Vide Ignatius.  
     Vide Magdalena.  
     Vide Petrus.  
 Loyolæ Domini, p. 1. 4. 9. 21. 263.  
 Luciferi Fanum, *S. Lucar de Bar-*  
     *rameda*, p. 167.  
 Ludimagister, p. 186.  
 Ludovicus Regis frater, p. 97. 120.  
     130. 149.  
 Lugdunense Concilium II., p. 171.  
 Lusitania . V. Portugallia.  
 Lutetia . V. Parisii.  
 Lutherus, p. 65. 201.  
 Luxus, p. 238.
- M
- Mabillon Joan. emendatus, Præf.  
     p. XII.  
 Macedo Franciscus, pag. 151.  
 Macerata civitas, p. 206.  
 Macerationes, p. 37. 117. 166. 183.  
     355. 426. 575.  
 Maffejus Bernardinus . V. Cardinalis .  
     Joannes Petrus, p. 129. 133.  
 Magdalena Loyola, p. 15.  
 Magister, p. 5. 8. 13. 14. 200. 219.  
     203.  
 Magister Sacri Palatii, p. 13.  
     Ordinis a Montesa, p. 150.  
 Magliavecchiana Bibliotheca, p. 212.  
 Mahumetani, p. 2.  
 Mala corporis, p. 25.  
 Maledici, p. 77.  
 Malevolens, p. 77.  
 Malvezzi Pirithæus, p. 230.  
 Mamachus Thomas, p. 8. 506.  
 Manareus Oliverius, p. 196. 219.  
     608.  
 Mansuetudo, p. 02.  
 Manuscripta Hispanica, Præf. p. VII.  
 Manuscriptum Florentinum, p. 12. 14.  
     36. 37. 232. Præf. p. V.  
 Manzius Hieronymus, p. 253.  
 Marable, p. 237.  
 S. Marcellus PP., p. 527.  
 Marcellus II. V. Cervini.  
 Marcus Michael, p. 167.  
 Margarita Austriaca, p. 27. 46. 158.  
     301. 502.  
 Margarita . V. Gigli .  
 B. V. Maria, p. 1. 2. 79. 224. 296.  
     372.  
 S. Maria Major, p. 9. 264.  
 S. Maria Gratiarum, p. 7. 254.  
 Marines Laurentius, p. 21.  
 Martinengus Hieronymus, p. 154.  
 Martinicorena Firminus, p. 266. Præf.  
     p. XVII.  
 de S. Marzan Marchio, p. 27.  
 Mascareñas Eleonora, p. 4. 209.  
     Petrus, p. 11. 15. 17. 271. 272.  
     275.  
 Mathias, p. 328. 332.  
 Matrimonium, p. 463.  
 Matritum, *Madrid*, p. 6. 23. 144.  
     Mauro-



- Maurolicus Silvester, pag. 88. 218.  
 Medde Franciscus, p. 60.  
 Mederes Consalvus, p. 281.  
 Medici, p. 24. 26. 299.  
 Mediolanum, *Milan*, p. 143. 301.  
 Meditatio, p. 224. 233. 249.  
 Meldula oppidum, p. 83.  
 Mencia de Benavente, p. 217.  
 Mendez Alphonsus, p. 524.  
 Mendici, p. 258. 331.  
 Mendoza Didacus, p. 454.  
     Ferdinandus, p. 431.  
     Franciscus Card. Cauriensis &  
     Burgensis, p. 59. 206. 382.  
     Ludovicus, p. 216.  
 Messana *Mecina*, p. 82. 86. 121.  
     218. 407.  
 Methymna, *Medina del Campo*, p. 12.  
     155.  
 Mexicum civitas, p. 231.  
 Michelini Andreas, p. 150.  
 Minerva, p. 171.  
 Minoressa, *Manresa*, p. 1. 10. 173.  
 Minturnus Antonius, Episcopus,  
     p. 102. 432.  
 Miona Emmanuel, p. 6. 20. 141.  
     251.  
 Miracula, p. 1. 79. 101. 158. 161.  
     104. 107. 288. 579.  
 Miron Didacus, p. 36. 37. 64. 94.  
     110. 120. 131. 142. 148. 155. 172.  
     105. 316. 320. 430.  
 Misericordia divina, p. 245.  
 Missa prima S. Ignatii, p. 9. 264.  
     Alia, p. 79. 108. 118. 145. 175.  
     225. 437.  
 Missiones, p. 84. 148.  
 Moderatio, p. 73. 150.  
 Modestia, p. 579.  
 Molucæ insulæ, p. 128. 387.  
 Monachium, *Monáco*, p. 116.  
 Monasteria, p. 64. 77. 199. 325.  
 Moniales, p. 3. 20. 64. 240. 407.  
     ipsarum regimen, p. 43. 82. 104.  
     324. 421.  
 Monialis Barcinonensis, p. 28. 242.  
     303.  
 Moniz Antonius, pag. 41.  
 Mons Politianus, *Montepulciano*,  
     p. 61. 125.  
 Mons Serratus, *Monserate*, p. 1.  
     a Monte. V. Cardinalis.  
     a Monteleone. V. Dux.  
 Montegnani Coriolanus, p. 70.  
 Montesa, p. 150.  
 Montilla, p. 154.  
 Montorio Comes, p. 103.  
 Montoya Ludovicus, p. 216.  
 Monzon, Aragoniæ oppidum, p. 65.  
 Morandi Joan. Baptista, p. 100. 552.  
 Morbenium, *Morbeno*, p. 143. 158.  
     474. 506.  
 Moribundi, p. 24.  
 Morone, Moronus. V. Cardinalis.  
 Mors, p. 63. 264.  
 Mortificatio interior, & exterior,  
     p. 585.  
 Moschera Joannes, p. 168.  
 Mulieres piæ. V. Cardona, Exarche,  
     Gigli, Margarita, Moniales, Re-  
     gadella, Roser.  
 Munditia, p. 595.  
 Munera, p. 579.  
 Muriel Dominicus, al. Cyriacus Mo-  
     relli, p. 87.  
 Mutatio morum, p. 588.  
 Mutina, *Modena*, p. 211.
- N
- Narnia, *Narni*, p. 206.  
 Natalis Hieronymus, p. 69. 82. 83.  
     121. 148. 151. 156. 175. 194. 217.  
     408. 495. 499. 510. 548.  
 Navarra regnum, p. 117. 139.  
 Navarrete oppidum, p. 1.  
 Nazianzenus S. Gregorius, p. 53.  
 Neapolis, *Napoles*, p. 85. 102. 128.  
     432.  
 Neophyti, p. 286.  
 Nepos incertus S. Ignatii, p. 217.  
 Nicæa, Nicia, *Nizza*, p. 257. 260.  
 Nicolaus Antonius emendatus, p. 214.  
 Nieremberg Eusebius, p. 12. 13. 40.  
     Nimius.



Nimius fervor, pag. 353.  
 Nobilis ignotus, p. 217.  
 Nobrega Emmanuel, p. 152.  
 Nolarci. V. Carnoli.  
 Nosocomium, p. 37. 40. 109. 142.  
 221.  
 Novaria, *Novara*, p. 153.  
 Novissima, p. 603.  
 Novitates, p. 185.  
 Novitii, p. 83. 168. 219. 221. 425.  
 581.  
 Nuñez Barreto Joannes, p. 177. 182.  
 Nuñez Leonardus, p. 180.  
 Nuñez Melchior, p. 147. 180.  
 Nuntius Apostolicus, p. 16. 31. 47.  
 207.

## O

Obedientia, p. 3. 11. 32. 34. 36. 39.  
 52. 59. 64. 71. 76. 78. 108. 118.  
 126. 133. 144. 152. 154. 167. 177.  
 204. 224. 316. 355. 370. 380. 426.  
 430. 435. 476. 530. 534. 572. 580.  
 Objurgatio, p. 64. 453. 466.  
 Obligatio, p. 203. 345.  
 Oblivio, p. 233.  
 Obscœnitas, p. 435.  
 Obsequium, p. 221. 451.  
 Observantia, p. 229. 394. 402. 451.  
 Obstinatio, p. 426.  
 Ocania, *Ocaña*, p. 203. 559.  
 Occasio, p. 438.  
 Occupatio, p. 185.  
 Ochinus Bernardinus, p. 41.  
 Ochoa Michael, p. 85.  
 Octavius Cæsar, p. 162.  
 Oddi Longarus, p. 109. 153. 193.  
 204.  
 Odium, p. 184.  
 Odor bonus, p. 40. 278. 357.  
 Œconomicus, p. 65.  
 Offensio, p. 259.  
 Officiosus, p. 236. 262. 265. 282.  
 402. 409. 414. 415. 418. 420. 450.  
 463. 513.  
 Oldoinus Augustinus, p. 210.

Oliva Paulus, pag. 157.  
 Oliverius Bernardus, p. 164. 205.  
 Oñaz, p. 1.  
 Onia, *Oña*, Præf. p. XII.  
 Oniate, *Onate*, p. 1. 117. 119. 123.  
 430.  
 Onufrius Franciscus, p. 74.  
 Operarii Evangelici, p. 6. 40. 50. 75.  
 78. 89. 96. 99. 128. 258. 280. 282.  
 286. 293. 352. 398. 400. 435. 529.  
 551. 582.  
 Opiniones, p. 56. 124. 427.  
 Oratio. V. Precatio.  
 Oratio mentis, p. 225. 583.  
 vocalis, p. 225.  
 Ordines sacri, p. 6.  
 Ori Doctor, p. 261.  
 Orlandinus Nicolaus, emendatus, p. 6.  
 16. 57. 58. 92. 99. 113. 116. 142.  
 153. 155. 182. 194.  
 Ortès de Velasco Eustachia, p. 21.  
 Orthographia, Præf. p. XVII.  
 Ortiz Petrus, p. 20. 42. 56. 322.  
 Orvietum, *Orvieto*, p. 300.  
 Ossorio Eleonora, p. 327.  
 Otellus Hieronymus, p. 388. 466.  
 Otium, p. 594.  
 Ovetum, *Oviedo*, p. 156.  
 Oviedo Andreas, p. 31. 74. 94. 103.  
 128. 177. 182.  
 Oxuma, *Osma*, Præf. p. XIII.  
 Ozaeta, p. 117. 125. 279. 464.

## P

Pacificator, p. 78. 187. 218. 307.  
 598.  
 Pacta & obligationes, p. 203. 331.  
 Palmius Franciscus, p. 101. 164. 229.  
 330.  
 Benedictus, p. 330.  
 Pampelo, *Pamplona*, p. 1. 119.  
 Panis noster quotidianus, p. 30.  
 304.  
 Paphus civitas, p. 7.  
 Papini Hieronymus, p. 188.  
 Paranympus, p. 166.

Pari-



- Parisii, *Paris*, pag. 3. 5. 10. 32. 94.  
 184. 191. 285. 538. Præf. p. VIII.  
 Parma civitas, p. 101. 122. 158. 321.  
 421. 449.  
 Parochiarum cura, p. 506.  
 Pascha florum, p. 283. 285.  
 Paschalis Agnes, p. 2. 3. 218.  
 Joannes, p. 3. 218.  
 Patavium, *Padua*, p. 42. 60.  
 Patientia, p. 3. 39. 63. 188. 262. 329.  
 Patentes literæ, p. 124.  
 Patriarcha Æthiopiæ, p. 175. 182.  
 327. 472. 523. 532.  
 Alexandria, p. 526.  
 Patrignani, *Patrinani*, p. 124.  
 Patronus, p. 265.  
 Paulettus Florentius, p. 103.  
 S. Paulus Apostolus, p. 250. 253.  
 267. 316. 345. 346. 348. 340. 351.  
 353. 372. 376. 405. 473. 477. 484.  
 485. 529. 567.  
 Paulus PP. III., p. 13. 16. 18. 19.  
 24. 27. 32. 48. 59. 65. 151. 260.  
 332. 413.  
 Paulus PP. IV., p. 162. 204. 213. 544.  
 Paulus Japon, p. 396. 401.  
 Paupertas, p. 6. 8. 32. 37. 56. 95.  
 115. 110. 144. 170. 224. 253. 307.  
 320. 468. 570. 575.  
 Paybrock Daniel. V. Addenda.  
 Pax conciliata, p. 41.  
 Pax Dei, p. 267. 375.  
 Peccata gravia, p. 25. 226. 241. 245.  
 590.  
 levia, p. 75. 226. 245. 314. 590.  
 Peccator Franciscus, p. 120.  
 Pecunia, p. 137. 221.  
 Pedestres, p. 203. 219. 283.  
 Pedroccius Thomas, p. 175.  
 Peletarius Joannes, p. 104. 470.  
 Pentecoste, p. 1.  
 Penuria, p. 128. 393. 468.  
 Peregrinatio, p. 219. 221. 439. 448.  
 530. 605.  
 Perez incertus, p. 429. 431.  
 Perfectio religiosa, p. 39. 58. 243.  
 342. 370. 426.  
 Perfidia, pag. 98.  
 Pericula, p. 75. 128. 137. 227. 345.  
 352. 303. 438. 473.  
 Perpinianum, *Perpinan*, p. 42. 323.  
 Persecutiones in S. Ignatium, p. 3. 9.  
 33. 38. 40. 134.  
 in Soc. Jesu, p. 77. 81. 164. 183.  
 196. 256. 259. 538.  
 utiles, p. 81. 587.  
 earum causæ, p. 184.  
 Perugia, *Perosa*, p. 59. 163. 383.  
 Petisco Josephus, p. 266.  
 Petrochi, p. 431. V. Pedroccius.  
 S. Petrus Apost., p. 119. 372. 399.  
 431. 524.  
 Pezzanus Baptista, p. 330. 421.  
 V. Addenda.  
 Phantasia, p. 233.  
 Philosophia, p. 4. 427. 446.  
 Piæ causæ, p. 13.  
 Piccolomini Testa, p. 92.  
 Pignatelli, Pignateli, Camillus, & He-  
 ctor, p. 102.  
 Pincia. V. Vallisoletum.  
 Pisæ, *Pisa*, p. 91. 106.  
 Piazza Bartholomæus, p. 171.  
 Pistorium, *Pistoya*, p. 57. 70.  
 Pius PP. IV., Præf. p. V.  
 S. Pius PP. V., p. 24. 27. 198.  
 Placentia Hispaniæ, p. 167.  
 Placentia Italiæ, p. 124.  
 Placiditas, p. 187.  
 Pœnitentia, p. 24. 37. 73. 130. 428.  
 584.  
 Poggius. V. Cardinalis.  
 Pogiani Julius, p. 24. 125. 180. 201.  
 210.  
 Polancus Joannes, p. 57. 68. 86. 91.  
 102. 123. 125. 151. 191. 211. 222.  
 232. 389. 428. 455. 494. V. Addenda.  
 Polo Reginaldus Cardinalis, p. 164.  
 180. 193. 282. 432. 510. 522. 552.  
 Pontificis Romani autoritas, p. 11. 34.  
 181. 188. 524.  
 Portocarrero, p. 41.  
 Portugallia, al. Lusitania, *Portugal*,  
 p. 15. 16. 31. 130. 493.  
 Portus-



- Portus-cale, Portugale, Oporto, pag. 402.  
 Possinus Petrus, p. 5. 272.  
 Prædicatio, p. 75. 96. 130. 139. 431.  
 Prædictio, p. 194.  
 Prædones, p. 162.  
 Præfectus, p. 98. 103. 219.  
 Præmium, p. 241.  
 Prænotio, p. 241.  
 Præparatio ad S. Eucharistiam, p. 29.  
 Præpositus, p. 19. 94. 126.  
 Præsentia Dei, p. 225. 569.  
 Præsul, p. 96. 217. 372.  
 Prætejanus . V. Prestejanus .  
 Præter, p. 98. 188.  
 Praga civitas, p. 193. 204. 517. 541. 540.  
 Precatio, p. 34. 37. 73. 108. 145. 209. 268. 319. 491. 496. 583. 608. 610.  
 Prestejanus, p. 327. 534.  
 Priego Marchio, p. 135.  
 Princeps, p. 149. femina, p. 41.  
 Privilegia, p. 88. 123. 153. 165. 186. 231. 387. 451. 457.  
 Probationis domus, p. 168.  
 Probitas, p. 202.  
 Procerum consuetudo, p. 40.  
 Professio religiosa, p. 19. 94. 146. 153. 182. 209. 228. 283. 329. 512. S. Borgiæ, p. 65. 70. 169.  
 Progressio, p. 108. 227. 346. 353.  
 Promissio, p. 594.  
 Propensio, p. 131.  
 Prorex . V. Borgia, Vega, Toledo, Cardenas, Sosa.  
 Providentia Dei, p. 63. 104. 189. 221. 241. 261. 303. 504. 592.  
 Provinciæ Societ. Jesu, p. 45. 86. 98. 131. 152. 204. 211. 212. 499.  
 Provinciales, p. 45. 63. 105. 126. 129. 131. 150. 151. 180. 193. 196. 333. 548. 558. V. Addenda.  
 Prudentia, p. 74. 100. 120. 136. 152. 220. 303. 466. 556. 576. 600. Præf. p. X.  
 Puccius Robertus . V. Cardinalis .  
 Pueri . V. Educatio, pag. 287. 309.  
 Pusilli animi, p. 22. 232. 562.
- Q
- Quadragesima, p. 387.  
 Quartana febris, p. 17.  
 Quando Magdalena, p. 263.  
 Quietus, p. 233.  
 Quirini . V. Cardinalis .  
 Quotidiana communio . V. Eucharistia .
- R
- Ramirez de Vergara Alfonsus, p. 100. 159. 175. 418. 509. 510.  
 Rasiel Hercules, p. 215.  
 Ratispona, *Ratisbona*, p. 19. 200.  
 Raynaldus Odoricus, p. 181. 209.  
 Reali Josephus, p. 202.  
 Recollectæ Moniales, p. 192.  
 Reconciliatio, Reconciliator . V. Pacificator .  
 Recreatio, p. 198. 605. 608.  
 Rector Collegii, p. 83. 90. 108. 135. 147. 153. 163. 219. 228. 371. 379. 394. 423. 435. 489.  
 Refractarii, p. 133. 135. 155. 219.  
 Regadella, p. 6. 232. 242. 249.  
 Regia . V. Curia .  
 Regina Angliæ Maria, p. 145. 180. 522.  
 Regina Bohemiæ, p. 430.  
 Regina Portugalliæ Catharina, p. 130. 149. 196.  
 Regulæ, p. 83. 128. 428.  
 Regulares Religiosi, p. 48. 118.  
 Reiffenberg Fridericus . V. Addenda .  
 Relaxatio, p. 249.  
 Religio præpostera, p. 28. 150.  
 Religiosus status, p. 573.  
 Reliquiæ, p. 2.  
 Remedium Reipublicæ, p. 54. 198. 460.  
 Remissio poenæ, p. 127.
- Renun-



- Renuntiatio, pag. 207.  
 Repudiatio munerum, p. 48. 55. 94.  
 417.  
 Respectus ad homines, p. 221. 238.  
 Responsa, p. 188.  
 Retractatio, p. 122. 164. 189.  
 Rex Abassiae, & Æthiopiae Claudius,  
 p. 181. 523.  
 Galliae Franciscus, Henricus,  
 p. 187. 538.  
 Hispaniae. V. Carolus V., & Phi-  
 lippus II., p. 31. 64. 65. 150.  
 160. 168. 180. 192. 205. 208.  
 322. 546.  
 Navarrae. V. Arista.  
 Portugalliae Joannes III., p. 4.  
 11. 15. 16. 17. 31. 32. 38. 94.  
 97. 130. 134. 142. 145. 175. 182.  
 194. 275. 280. 327. 334. 402.  
 462. 471. 491. 523.  
 Romanorum Ferdinandus, p. 46.  
 109. 140. 193. 204. 327. 338.  
 501. 514. 516. 536. 542. 549.  
 Rhetorica, p. 108.  
 Rhotomagus, *Ruan*, p. 4.  
 Rhythmus, *Soneto*, p. 229.  
 Ribadeneira Petrus, emendatur, p. 9.  
 42. 66. 99. 120. 123. 155.  
 255.  
 laudatus, p. 323. 546. Præf. p. IV.  
 ejusdem Oratio ad B. P. Igna-  
 tium, p. 610.  
 Rigodunum, *Richemond*, *Richmond*,  
 p. 522.  
 Rigor. V. Severitas.  
 Rion Antonius, p. 453.  
 Roca Decanus, p. 46. 332.  
 Rodriguez Simon, p. 11. 15. 16. 32.  
 38. 30. 45. 59. 80. 94. 98. 119.  
 130. 148. 208. 333. 383. 397. 410.  
 471.  
 Rojas Franciscus, p. 12. 94. 278.  
 Roma urbs, p. 1. 527.  
 Romæ Franciscus, p. 60.  
 Romanus Pontifex, p. 523.  
 Romberg Ignatius, p. 125.  
 Rosaria, p. 79. V. Addenda.
- Roser, al. *Rosel*, *Rosell*, *Roses*, Isa-  
 bella, pag. 9. 20. 43. 45. 62. 237.  
 239. 257. 282. 285. 324. 331.  
 Rossetti Alfonsus, dein Ferrariensis  
 Episcopus, p. 102. 422.  
 Rozas, p. 263.  
 Rubinus Jo: Bapt. Episc., p. 253.  
 Rusticatio, p. 198.
- S
- Sacerdos, p. 6. 199. 529.  
 SS. Sacramentum, p. 13. V. Eucha-  
 ristia.  
 Sacrificium Missæ, p. 145. 224.  
 Saenz Marina, p. 1.  
 Sala Josephus, p. 143.  
 Salentinus Elect. Colon., p. 198.  
 Salina Marcus, p. 168.  
 Salmantica, *Salamanca*, p. 3. 14. 40.  
 50. 77. 80. 130. 168. 392. 499.  
 Salmeron Alfonsus, p. 8. 56. 60. 84.  
 80. 102. 168. 207. 413. 544.  
 Salus animarum, p. 5. 10. 96. 107.  
 110. 138. 198. 217. 252.  
 corporum, p. 150. 154. 166. 208.  
 249.  
 Sampayo Emmanuel, p. 202.  
 Samper Hippolytus, p. 151.  
 Sancti crucius, *Santa cruz*, Martinus,  
 p. 36. 342. 402.  
 Cardin. V. Cervini.  
 Sandianes Aloysius, p. 28.  
 Sardinia sacra emendata, p. 5. 326.  
 Sardis. V. Leydis.  
 Sassari, *Sacer*, p. 3.  
 Satellitium hominis boni, p. 607.  
 Saulius Hieron. Archiep. Genuensis,  
 & Vicelegatus Bononiensis, p. 91.  
 140. 189.  
 Scholastici, p. 20. 58. 72. 83. 108.  
 221. 228. 285. 342. 370. 422. 424.  
 433.  
 Schottus Andreas, p. 67.  
 Schweicher, Schwicher, Henricus,  
 p. 159. 202. 508. 555. 557.  
 Scientia, p. 108. 224.



- Scioppus Gaspar, pag. 199.  
 Sacramenta . V. Frequens .  
 Scopus, p. 224.  
 Scriba, a Secretis . V. Polancus,  
 Schweicher .  
 Scriptores Vitæ Ignat. Præf. p. XVIII.  
 Scrupulositas, p. 220. 226. 233. 244.  
 591.  
 Scyllacium, *Squillaci*, *Esquilache*,  
 p. 431.  
 a Secretis . V. Scriba .  
 Sectarii, p. 201.  
 Securitas, p. 473.  
 Seles Apostolica, p. 34. 40. 81. 521.  
 Seftitiosi, p. 135. 201.  
 Sedulitas, p. 93. 129. 133.  
 Segontia, *Siguenza*, p. 5.  
 Seminarium, p. 110. 193. 203. 290.  
 398. 409.  
 Sena Hetruriæ, p. 8. 206.  
 Sententia pro S. Ignatio, p. 9. 77.  
 81. 256.  
 Septentrio, p. 195. 496.  
 Septimanca, *Simancas*, p. 168. 212.  
 Sequiros, p. 181.  
 Sermo de divinis, p. 244. 248. 597.  
 Servus Dei, p. 96. 107. 150. 235.  
 240. 243.  
 Severitas, p. 77. 126. 133. 135. 156.  
 161. 219. 394. 571. 572. 579.  
 509.  
 Sicilia, p. 82. 85. 200.  
 Sigillum duplex S. Ignatii, p. 409.  
 Silentium, p. 83. 187. 213.  
 Silceus . V. Cardinalis .  
 Silva Michael . V. Visensis .  
 Simoneta Joannes, p. 553.  
 Simulatio, p. 201.  
 Simultates, p. 186. 267.  
 Sinæ, *China*, p. 440. 445.  
 Sinape, p. 212.  
 Sindhicus . V. Index .  
 Societas Jesu, p. 13. 33. 37. 81. 96.  
 107. 122. 128. 136. 142. 145. 154.  
 164. 183. 180. 198. 213. 292. 305.  
 317. 384. 480. 516. 582. 608.  
 Socii primi S. Ignatii, p. 4.  
 Socii alteri, pag. 6. 8. 173.  
 Socotora, *Zocotora*, p. 400.  
 Solamen, solatia, p. 196. 243.  
 Soldevilla, p. 89. 161.  
 Solis, p. 89. 117.  
 Solitudo, p. 75.  
 Somaschi Sodales, p. 60.  
 Somnus, p. 250. 607.  
 Soneto . V. Rhythmus .  
 Sorbona, p. 183. 189.  
 Sosa Martinus, p. 291.  
 Spadafora Bartholomæa, p. 86. 467.  
 Speculum Sacerdotum, p. 506.  
 Spes, p. 79. 240. 243. 395. 445. 561.  
 Splendor, p. 136.  
 Spoletum, *Espoletto*, p. 206.  
 Stalla Camillus, p. 92. 416.  
 Status vitæ, p. 65. 75.  
 Stilus, Præf. p. X. XVII.  
 Stipendia, p. 349.  
 Storta oppidum, p. 170.  
 Strada Antonia, p. 2. 303.  
     Famianus, p. 27.  
     Franciscus, p. 3. 59. 77. 94. 276.  
     383. 431. 500.  
     Ludovicus, p. 212.  
 Studens, studium, p. 121. 221. 237.  
 275. 521.  
 Suarez Gaspar, p. 443.  
     Joannes Episcopus, p. 189.  
 Submissio, p. 120. 131. 152. 165.  
 467. 530.  
 Subscriptio, p. 120. 161.  
 Sumtus, p. 112. 137.  
 Superbia, p. 128. 137.  
 Superior, p. 93. 96. 126. 129. 131.  
 227. 371. 386. 491. 496. 534. 599.  
 Supplex libellus, p. 25. 43.  
 Suspicio, p. 591.  
 Sylveria Consalvus, p. 193.  
 Synagoga, p. 530.  
 Syracuse, *Zaragoza de Sicilia*, p. 209.

## T

- Tablares Petrus, p. 94.  
 Tabularium Rom., Præf. p. III.  
 Tanner



- Tanner Mathias, pag. 114.  
 Tapper Ricardus, p. 164.  
 Taurinum, *Turin*, p. 27.  
 Tellez Balthasar, p. 6. 16. 32. 38.  
 94. 130. 181. 189. Præf. p. IV.  
 Temeritas, p. 126. 229.  
 Temperantia, p. 579.  
 Temperatio, p. 129. 228.  
 Tempestivitas, p. 228.  
 Templum, p. 203. 290.  
 Temporalia. V. Terrena.  
 Tentationes, p. 227. 232. 241. 246.  
 250. 424. 588.  
 Tepor, p. 346. 503.  
 Terentius, p. 604.  
 S. Teresia a Jesu, p. 229.  
 Tergeste, *Trieste*, al. *Tragusto*,  
 p. 46. 327.  
 Terra sancta, p. 2. 208.  
 Terrena, p. 254. 332. 463.  
 Terribilis, terror, p. 233.  
 Testamentum, p. 332.  
 Testa Piccolomini, p. 92.  
 Testificatio, p. 188.  
 Theatini, p. 140.  
 Theologia, p. 5. 108. 147. 225. 293.  
 336.  
 Theologiæ compendium, p. 501.  
 Theologus, p. 112. 414.  
 Thia, p. 63.  
 S. Thomas Apostolus, p. 295. 398.  
 400.  
 S. Thomas Aquinas, p. 405.  
 Thomas a Kempis, p. 608.  
 S. Thomas a Villanova, p. 144. 489.  
 Thoubeau Claudius Joachimus, Præf.  
 p. III.  
 Thuanus, p. 200. 548.  
 Tibur, Tybur, *Tivoli*, p. 13. 163.  
 Timor sanctus, p. 228. 241.  
 nimus, p. 233. 243. 247. 609.  
 Tingoli Alexander, p. 518.  
 Tiro, p. 580.  
 Tiroc nium, p. 83.  
 Tituanum, *Tetuan*, p. 179.  
 Toledo Joannes Card. Compostella-  
 nus. V. Cardinalis.  
 Toledo Petrus, pag. 102. 106.  
 Toletum civitas, *Toledo*, p. 5. 587.  
 Toletus Franciscus, p. 525.  
 Toni, p. 226.  
 Tornacum, *Tornay*, p. 164.  
 Torres Franciscus Antonius, p. 10.  
 Cosmus, p. 396. 440.  
 Michael, p. 45. 50. 59. 77. 130.  
 132. 134. 148. 165. 169. 196.  
 325. 330. 382. 500.  
 Bartholomæus, p. 175.  
 Tosi Marcus, p. 299.  
 Tractatio Divinorum, p. 228. 239.  
 Tribunalia, p. 63. 77.  
 Tridentum, *Trento*, p. 61. 106. 168.  
 328. 340. 432. 465.  
 Tristitia, p. 233. 246. 280.  
 Tunetum, *Tunez*, p. 87.  
 Turrianus. V. Torres.  
 Tursellinus Horatius, p. 19.  
 correctus, p. 23.  
 Tutuchurinum, *Tutucurin*, p. 238.  
 Tyro. V. Tiro.  
  
 V  
 Vadum, p. 248.  
 Vagnier Petrus Episcopus, p. 326.  
 Valentia Hisp., p. 5. 36. 37. 40. 64.  
 80. 89. 144. 318. 489.  
 Valetudinarius. V. Landini, p. 237.  
 265. 267. 282. 284. 302. 425. 431.  
 Valetudo bona, p. 250. 512.  
 Vallisoletum, *Valladolid*, p. 3. 14.  
 21. 40. 59. 105. 130. 192.  
 Vallis Telina, *Valtelina*, p. 143.  
 Varmia, *Ermenland*. V. Card. Var-  
 miensis.  
 Vasconica lingua, *Basquenze*, p. 230.  
 Præf. p. XII. XIII.  
 Vega Ferdinandus, p. 74.  
 Joannes, p. 85. 87. 162. 192.  
 325. 331. 411. 544.  
 Josephus, Præf. p. IV.  
 Velamen muliebre, p. 268.  
 Venerabilis, p. 110.  
 Venetiæ, p. 2. 5. 6. 42. 61. 78.  
 237. 261. Præf. p. X.  
 Veral-



- Verallus Hieronymus, pag. 6. Præf. p. VIII.  
 Verba textuum leviter mutata, p. 362.  
 Verberatio, p. 74. 135. 210.  
 Verbum divinum. V: Concionator.  
 Vergara. V. Ramirez.  
 Vergara oppidum, p. 13. 117. 119. 431.  
 Veritatis vis, p. 187. 578.  
 Verona civitas, p. 61. 80. 413.  
 Vesica, *Viesga*, Præf. p. XII.  
 Vestitus, p. 595. 607.  
 Ughelli, Ughellus Ferdinandus, p. 57. 140.  
 Ugoletti Elpidius, p. 106. 124. 307. 457.  
 Vicarii, p. 228. 378.  
 Vicecancellarius, p. 114.  
 Vicelegatus. V. Saulius.  
 Vicianus Martinus, p. 152.  
 Victoria civitas, p. 119. 139.  
 Victoria Franciscus, & Didacus, p. 173. a Vicuña. V. Bicuña.  
 Vienna Austriæ, p. 110. 153.  
 Villa Beltrani, p. 28.  
 Villa Marchio, p. 27.  
 Villanova Franciscus, p. 23. 123. 154. 160. 168. 218.  
 Villanova. V. S. Thomas.  
 Vincentia, Vicentia, *Vicenza*, *Vincencia*, p. 6. 173. 253. 254. 261. Præf. p. X.  
 Vindicatio, Vindicta, p. 267.  
 Vink, Vinkius Antonius, p. 209.  
 Vinum, p. 438.  
 Viola Joannes Baptista, p. 86. 94. 141. 153. 421.  
 Violante Domna, p. 420.  
 de Virilibus Laurentius, p. 163.  
 Virilis animus, p. 318. 397. 446.  
 Virtus, p. 109. 221. 386. 428. 584. 501. 609.  
 Visensis, *de Viseo*, Episcopus Michael de Silva, p. 32.  
 Vishavæus Cornelius, p. 83.  
 Visio, Visitatio, Visum, p. 101. 170. 210.  
 Visitator, p. 130. 194.  
 Viterbium, *Viterbo*, pag. 95. 125. 282.  
 Vivæ vocis oraculum, p. 534.  
 Vizcayæ Dynastiæ, Præf. p. XIII.  
 Ulvia Monialis, p. 82.  
 Ulyssipo, *Lisboa*, p. 15. 17. 149. 155.  
 Unanimitas, p. 213.  
 Unctio, p. 220.  
 Unitas Religionum, p. 140.  
 Vocatio religio a, p. 105. 141. 162. 224. 345.  
 Voluntaria opera, p. 233.  
 Vota, p. 19. 28. 94. 146. 149. 169. 205. 225. 317. 391.  
 Urbanitas, p. 220. 463.  
 Ursulinæ Virgines, p. 158.  
 Usus familiaris, p. 224. 228. 248.  
 Utilitates Societ. Jesu, p. 96. 185. 189. 198. 536. 558.  
 Witemberga civitas, p. 199.
- X
- Xaverius S. Franciscus, p. 5. 11. 12. 15. 17. 18. 36. 71. 81. 86. 96. 121. 135. 146. 229. 271. 272. 275. 279. 286. 290. 295. 308. 386. 392. 400. 433. 444. 492. Præf. p. V.  
 ejus epistolæ, p. 5. 12. 16. 23. 37.  
 Ximenez Rex. V. Arista.  
 Ximenez, al. Simenez, Abbas, p. 192. 326. 545.  
 Xuarez, p. 220.
- Y
- Ygarza Doctor, p. 430.  
 Yurea. V. Eporedia.
- Z
- Zacarias Franciscus Antonius, p. 8.  
 Zapater Michael Raymundus, p. 152.  
 Zarate Petrus, p. 207.  
 Zelus, p. 2. 24. 33. 96. 99. 151. 185. 228. 237. 267. 349. 406.  
 Ziliolus Hieronymus, Præf. p. X.



## ADDENDA ET CORRIGENDA.

*E*pistola omnes typis fuerant mandatae, cum vir Senatorius Pirithæus Malvezzius mihi commodavit patentes, ut ajunt, S. Ignatii literas, D. Mercurialis Prati Episcopi Foroliviensis fide ac sigillo munitas die 3. Oct. an. 1794. De Joanne Baptista Pezzano, cui misæ sunt literæ, dictum est p. 330. Recognovimus, inquit laudatus Episcopus, Literas Patentes subscriptas manu propria, & caractere proprio ejusdem S. Ignatii, & S. Francisci Borgia, & Jacobi Laynez secundi Præpositi Generalis Soc. Jesu. Tenor vero literarum est prout sequitur:

Ignatius de Lojola Societatis Jesu Præpositus Generalis  
dilecto in Christo fratri Joanni Baptistæ Pezzano  
Sacerdoti ejusdem Societatis salutem in  
Domino sempiternam.

*C*um premat nos rerum ex officio nostro gerendarum moles, & onus cum aliis nostris fratribus partiri omnino compellat: visum est in Domino expedire, ut te, cujus in eo sem Domino Jesu fidelis, & strenua industria nobis diuturno experimento perspecta est, in partem laboris, & officii nostri saltem in hac domo, quæ in Urbe est assumeremus. Te igitur totius domus nostræ de Urbe, & rerum ad eam quovis modo pertinentium generalem Procuratorem ad exigendum, redimendum cum omni ea facultate, quæ hujusmodi generalibus Procuratoribus communicari solet, creamus, & constituimus, rogamusque Deum altissimum, ut ad ipsius honorem & gloriam, & domus hujus commune bonum, munus hoc gerendi gratiam tibi uberem largiatur.

Romæ in Ædibus Societatis Jesu pridie Nonas Martii  
MDLV.

L. ✠ S.

Ignatius.

*Idem confirmo ego Jacobus Laynez.*

*Idem confirmo ego Franciscus Borgia.*

Hiero-



*Hierothecam argenteam mihi pridem exhibuit Dña Angela Pancaldi & Bandiera Bononiensis, dono acceptam a bonæ memoriæ D. Francisco Xaverio Texerizo, quondam Methymnensis Collegii Rectore, unde illam videtur asportasse. In ea clauduntur auctographæ S. Ignatii literæ, sigillo ejusdem & subscriptione munitæ; sed ita detritæ, laceratæ, inductæ, ut præter sex fere priores versus, & subscriptionem cum sigillo nihil omnino capere potuerim. Porro autem hæc legi:*

Charissimo in Christo fratri Rectori Collegii nostri in oppido de O.... (*aliæ oppidi notæ detritæ sunt plicatura*) in tempore existenti salutem in Domino sempiternam.

**S**S. D. N. D. Julius Divina providentia PP. tertius facultatem mihi & Præposito Generali nostræ Soc. pro tempore existenti, per nos seu alios de eadem Societate exercendam, dispensandi circa jejunia, & cibos ab Ecclesia certis diebus prohibitos, cum iis qui sub obedientia nostra viventes, propter corporis infirmitatem dispensatione indigere videbuntur, concessit. Nos igitur de tua industria, & prudentia, quæ est in Domino Jesu, confidentes.... (*Cetera desiderantur.*)

L. ✻ S.

Ignatius.

*Cum Julius PP. tertius facultatem illam cum aliis amplissimis S. Ignatio concesserit finiente Oct. 1552., mense fere Nov. consequenti datæ videntur S. Parentis literæ, cumque nullum tunc esset Societatis Jesu Collegium in oppido ab O. incipiente præter Oñate, haud dubium, quin illius Rectori sint missæ. Jam vero in argentea Hierothecæ lamina hæc incisa sunt verba: Dio esta caxa Doña Antonia Nieto a la Comp. de Jesus: "Dedit hanc thecam Dña Antonia Nieto Societati Jesu."*

*Olim mihi præ manibus erat P. Reiffenberg de Hist., ni fallor, Germaniæ inferior.; ex quo nonnulla de S. Ignatii literis ad Socios Colonienses tunc Hispanice converti, quæ me hactenus latuerunt. Et quoniam nunc auctoris verba non licet, sensum reddam. Quæ itaque dixi p. 39. n. 40. illustrantur ex P. Reiffenberg lib. 1. p. 23. docente, in Coloniensi Collegio asservari S. P. N. Ignatii respon-*



responsionem ad Danielem Paybrock, postea Montisregalis in Sicilia Rectorem, datam Romæ, Coloniam die 28. Aug. 1545., qua dicebat: Duas accepi tuas literas, die 7. & 18. ejusdem mensis Martii subscriptas... Magna vos adstrinxistis necessitate sancte ac religiose vivendi... cum omnibus spectaculum facti degere debeatis alii ab aliis sejuncti.

Idem P. Reiffenb. lib. 2. c. 2. multis probat, an. 1550. conscriptam fuisse a S. Ignatio epistolam, de qua p. 219. n. 201. incertissimum tempus dictum est. Coloniam, inquit, existebat Joannis Polanci ad Kesselium epistola data 22. Jul. 1550., qua ejus Romam adventum, ceteroqui gratissimum, non videri ajebat Parenti nostro Ignatio tunc expedire. Id quod alias commodius fiet, Deo agente, ut V. R. possit Vicarium istic suum relinquere. Hæc Polancus, qui solebat suas mittere cum B. Patris literis. Sic refert lib. 2. c. 1., Polanci literas ad P. Kesselium datas 24. Maj. 1551., quibus a B. Ignatio Novitios laudat, quos eidem Romam miserat; simulque recenset Ignatii ad Kesselium literas, quibus ei gratias agebat egregiis de juvenibus ad se missis, collaudato patre bonaque patriæ suæ terra, quæ mediis in spinis ac vitis tam bonos edebat fructus. Et quoniam eodem cap. 1. narrat historicus, S. Ignatium, qui aliis nonnisi duo solitus erat mittere rosaria, P. Priori Carthusiæ septem mississe; in dubium vocatur tempus, quo ex Orland. indicavi p. 79. n. 74. rem illam contigisse.

Iis, quæ p. 156. n. 145. dixi, addendum ex Reiffenberg lib. 2. c. 5. magna Joannis Gropperi autoritate adductum fuisse Kesselium, ut ipse cum Sociis, magnis civium adversisque motibus ad tempus cedentes, in aliquod vicinum oppidum se conferrent, ubi majori cum fructu ac pace vineam Jesu Christi colerent. Qua de re monitus Ignatius Kesselio an. 1553. respondit: sibi quidem probari ipsorum per provinciam excursus, modo ne diutius nostri a civitate abessent; nec dum minores insectarentur prædas, majores negligenter. Stationem vero ac domicilium ut extra urbem figerent, nequaquam se ferre; namque parvis in oppidis non pares sunt opportunitates colligendis fructibus, quos optamus; nec nobis expedit a tantæ Academiæ celebritate longius abesse. Juvenes bonis institutos moribus, ingenio & doctrina pollentes, si arctam Salvatoris viam ingrediantur, integras dein Parochias & Rempublicam administrantes, longè



uberiores religioni majoresque fructus allaturos, quàm labores qui pagis ac oppidulis impenderentur. Quod perinde esset, ac minima quæque in rusticanorum casulis consecrati, dum maxima in urbibus periclitantur.

*Quæ dicta sunt p. 205. n. 188. de Bernardo Oliverio, idem sub tempus, quo B. Pater sublatus est, ex humanis erepto, corrigenda videntur ex P. Reiffenb. lib. 2. c. 10. p. 50., cui res Coloniensium magis erant notæ, quàm Orlandinio. Ait itaque Reiffenberg, Oliverio ante aditam provinciam mortuo, P. Polancum S. Ignatii mandato Kesselio scripsisse die 4. Febr. 1556. in hanc sententiam: Expedire visum est mihi, ut duo vel tres e Lovanio, ac totidem e Colonia, Tornacoque ad hoc munus idonei eligantur; ac re seorsum Domino commendata, quem quisque ad Præpositi Provincialis officium magis idoneum judicaverit peracto Missæ sacrificio perscribat; atque alio minime conscio suam quisque sententiam Parenti nostro signatam mittat: qui suffragiis omnium perspectis ad Præfecturam aptissimum melius dignoscat. Hæc ille.*

*De metrica S. Ignatii oratiuncula in SS. Jesu nomen, quam nuper mihi comparavi, quid ipse, quid alii sentiant, paucis dicam. De illa in Scriptoribus ne verbum quidem reperi, cum sine nota temporis ac loci ante annum 1650. edita videatur. En primam folii paginam:*

Oratione devotissima de S. Ignatio, la quale chi devotamente la dirà cinque mattine con divotione haverà cinquecento dì de perdonanza. Et ancora se una Donna non potesse partorire, mettendogliela addosso, subito partorirà senza pericolo della vita. Et è contra i nemici & mali spiriti, & d' ogni trista adversità.

*Pagina 2. sic incipit:*

Oratione de S. Ignatio, al Santissimo Nome di Jesu.

*A quinto ternario incipit precatio:*

Caro dolce Giesu fa una fornace  
Del foco del tuo amor, dentral mio petto  
Che eternamente sia nel ciel vivace

Giesu



Giesu dolce Jesu, Jesu cor mio diletto  
 Jesu nome d' amor nome de gratia  
 Jesu verbo divin, summo concetto,  
 Jesu dove ogni Santo in ciel si satia  
 Jesu summo thesor, divina luce  
 Jesu consolator d' ogni disgratia,  
 Jesu eterno amor, sacrato Duce,  
 Jesu Salvator mundi, o Nome santo  
 Jesu dove ogni effetto il ciel produce . . .

*Finis pagina 4. :*

Si che l' anima mia sia collocata  
 Appresso a te Signor di buona voglia.

*Ternarii omnes sunt viginti sex. Hæc in specimen descripsi, ut vestigetur Hispanicum exemplar, ex quo prodierit versio hæc Italica, justo fortasse liberior, ac minus accurata; ut fere contingit S. Ignatii M. & Episcopi Antiocheni epistolis primum editis, quæ deinceps e melioribus mss. sunt emendatæ. Sunt quidem mihi dubia quæ de Indulgentiis 500. dierum descripsi ex prima pagina: totus orationis prologus, & conclusio videntur addititia; corpus ipsum ab Ignatii sensibus non abhorret. Nonnullis quidem Italicæ poesets cultoribus videbatur carmen ætatem sapere Lojola vetustiorum; adeoque S. Ignatio Martyri tribuendum. At quisnam unquam inter scripta Martyris quam diligentissimè discussa illius carminis vestigium indicavit? Aut eidem parturientium singulare tribuit patrocinium? Hoc certe in Lojola notissimum: eidem igitur carmen tribuitur.*

*Hollandiani 2. 7. Jul. p. 603. a n. 1014. accurate agunt de Petri Ribadeneiræ Narratione gestorum in negotio canonizationis S. Ignatii usque ad ejus beatificationem: cujus Gallica versio ex Hispanico, auctore P. Antonio Balinghen, edita fuit Tornaci an. 1610. Producentur in ea præter alia Philippi II. literæ die 19. Jul. 1597. datæ & ad Clementem PP. VIII., & ad suum Romæ Oratorem; tum literæ Mariæ Imperatricis, Philippi sororis, ac libellus supplicis ejusdem Philippi, Mariæ, ac Societatis Jesu. Dicuntur etiam ipsa de re scripsisse Clementi PP. regna Castellæ, Aragoniæ . . . Sed nihil ibi de literis regni Castellæ ad Card. D. Franciscum de Avila. Harum igitur exemplar, a me descriptum ex*



*autographo, magno sigillo cum castello & leone munito, libuit hęc eruditis viris Hispanice & Latine exhibere ad perpetuam rei memoriam, S. Ignatii laudem, & majorem Dei gloriam.*

Al Illmo y Rmo Señor el Cardenal Don Francisco de Avila.

Illmo y Rmo Señor.

**L**os Padres de la Compañia de Jesus a quienes tanto estos Reynos deven y toda la Christiandad, suplican a nuestro muy Santo Padre mande tomar informacion de la vida y milagros del bienaventurado Padre Ignacio de Loyola su fundador, paraque hallando en el los merecimientos que esperamos, le canonize y ponga en el numero de los otros Santos que son reverenciados y tenidos por tales en la Santa Iglesia. Sobre lo qual el Rey nuestro Señor y su Magestad de la Emperatriz han escrito a Su Santidad, y nosotros agora le escribimos suplicandosele. Porque aviendo sido el dicho P. Ignacie natural destes Reynos, y persona principal, y de tan conocida, y exemplar virtud, y Padre e Instituydor de una Religion que en tan breve tiempo se ha plantado, estendido, y fructificado tanto en el mundo; y de la qual estos Reynos reciben tanto provecho; Nos ha parecido que tenemos obligacion de dar testimonio de lo que en esto sentimos, y de procurar que sea honrado un hijo nuestro, y varon tan notable, de cuya honra tanta gloria a estos Reynos se ha de seguir, y por la misma causa suplicamos a V. S. Illma que tome este negocio muy a su cargo, y que como natural y persona tan señalada dellos procure que su Santidad nos conceda la gracia que le suplicamos; porque demas del merecimiento que de esta buena obra alcanzara; todo el Reyno recibira muy grande merced y quedara obligado a servirla en lo que V. S. Illma le quisiere mandar. A quien Dios guarde.

En Madrid 8. de Agosto 1597.

Señor Cardenal Avila.

Por acuerdo del Reyno de Castilla  
D. Juan de Henestrosa.

Illmo



Illmo & Rmo D. Card. D. Francisco Abulensi .

Illme & Rme Dne .

**P**atres Societatis Jesu, quibus hæc Regna universusque Christianus Orbis tantum debent, Sanctissimum Patrem nostrum supplices rogant, inquiri ut mandet de vita & miraculis sui fundatoris B. P. Ignatii de Loyola, ut agnitis in eo meritis quæ speramus, cœlo eundem asserat & in aliorum referat Sanctorum numerum, quos Sancta Ecclesia tales agnoscit ac veneratur. Qua de re Dominus Rex noster & Imperatricis Majestas Sanctitati suæ scripserunt, ac nos etiam modo idem rogantes eidem scribimus. Cum enim Pater quem diximus Ignatius horum fuerit natus Regnorum, ac vir primarius, tamque notæ & eximiæ probitatis, quin & Pater atque institutor ejus Religionis, quæ tam brevi instituta ac propagata tantum Orbi attulit fructum; a qua his pariter Regnis tanta provenit utilitas; visum est nobis teneri nos testari, quod hac in re sentimus, curareque ut noster honoretur filius, ac vir adeo insignis, ut honor ejus ad maximam horum Regnorum gloriam redundet. Qua etiam de causa Illmam Dominationem vestram rogamus, id agat impensius pro patria & præcellenti in ea dignitate vestra, ut sua Sanctitas gratiam, quam ab ipsa petimus, nobis concedat; nam præter meritum quod sibi hac re bene gesta comparabit, universum Regnum maximo afficietur promerito, eoque tenebitur, ut quibuscunque Illmæ Dominationis vestræ mandatis obsecundet: quam Deus incolumem servet.

Matriti die 8. Augusti 1597.

*Regni Castellæ decreto*

*D. Joannes ab Henestrosa .*

Divinæ atque Ignatianæ gloriæ Procuratores etiam atque etiam rogo, ut alias, quas exstare plurimas certo scio, S. Ignatii literas aut edant ipsi, aut communicare mecum ne graventur.

ERRA-



## ERRATA.

## CORRIGE.

- Præf. p. XII. lin. ult. eadem  
 p. 403. n. 3. - - - - 409. n. 4.  
 ib. p. XIII. lin. 9. Enego  
 Abilensis - - - - Ebilensis  
 ib. p. XIV. lin. 6. Pliniana voce  
 Onensem - - - - Onensem  
 Pag. 12. lin. 1. apographo - autographo  
 Pag. 16. lin. 1. Quod Rex si Quod si Rex  
 Pag. 20. lin. 1. Sede - - - Sedes  
 Pag. 36. n. 36. addendum ex Morotii Theatro Chronol. Ord. Car-  
 tusiensis Parte 2. ad an. 1540. & 1554., Priorem Generalem  
 Cartusiensium ab anno 1540. ad 1545. fuisse Petrum Marnef-  
 fium gente Leydensem, Hollandum; ab anno autem 1553. ad  
 1566. Petrum Sarde seu Sardium, Lemericensem. Quare Petrus  
 Cartusie Prior generalis, qui germanitatem spiritualem instituit  
 cum Societate per literas datas an. 1544., ut multis probant  
 Bollandiani, non fuit Sarde (Sarda scribit Raynaudus) ut mi-  
 nus caute scripsit Morotius, sed Leydensis, de Leyda, non de  
 Leydis, ut est in aliis. Porro Morotius nihil omnino profert,  
 quo in dubium vocetur annus 1544., expressus in dicta epistola  
 apud Ribaden., Orland., & Bollandianos.  
 Pag. 41. lin. 18. uti ex - - - uti &  
 Pag. 92. n. 91. addendum ex accuratiore ejusdem epistolii apogra-  
 pho, & animadversionibus ad ipsum, mecum humanissime. sub-  
 ducto jam typis folio, communicatis a cl. viro Faustino Arevalo,  
 epistolium non subscribi die 17. Oct., sed 8. ut ipse conjicit ex  
 prototypi forma, quæ tunc 8. significaret. Jam vero Domi-  
 nos Stallas, qui nunc Stalli dicuntur, olim patronos fuisse  
 Ecclesie B. Mariæ de Strada, que mox amplissimæ a Jesu nun-  
 cupatæ pars est; Stalla nimirum vulgo in Strada commutata,  
 ut ipse contra quendam alium existimat.  
 Pag. 119. n. 114. addendum ex Vaticanis Card. Garampii manu-  
 scriptis, Joannem Gaouam factum fuisse Episcopum Cianensem  
 & Thermiensem in mari Ægea die 19. Febr. 1545.  
 Pag. 125. n. 119. Angelus Car- Peregrinus Carl., mox Episcopus  
 lettius - - - - Politianus.



## ERRATA.

## CORRIGE.

- Pag. 169. lin. 17. firmarentur  
incepta - - - - - incepta
- Pag. 174. lin. 6. adde: *Illam certè non tàm ignorasse quàm despexisse videtur cl. Bremond Bullar. Domin. t. 8. p. 442. , ubi de origine, Confratern. SS. Nominis Jesu , ac præsertim de Didaco a victoria , qui eam in Hispania ad an. 1564. instituisse dicitur ; sed nihil de priore illa Minervitana , quæ Bremondi sententiam contra Donatum suum clare demonstrasset , exemplo quidem domestico.*
- Pag. 318. lin. 21. jus perse-  
queret - - - - - persequerer
- Pag. 344. lin. 29. summà com-  
municabilis - - - - - summè
- Pag. 357. a lin. 25. , quarum non estis nescii, *Hisp. pro-  
pius vobis aderunt , qui doceant , & cum quibus communi-  
care liceat : quam ob rem multa quidem , quæ hactenus di-  
cta sunt , missa fieri posse videbantur .*
- Pag. 362. lin. 28. cierto, quo no que no
- Pag. 395. lin. 9. nastà aqui - hasta
- Pag. 412. lin. 20. auxiio sit auxilio
- Pag. 459. lin. 22. mittendas - mittendos
- Pag. 465. lin. 31. Magitto - Magistro
- Pag. 556. lin. 4. increbescere increbescere ,
- Pag. 590. n. 281. Cum illo . . . noveris . *Ita Hevenesius die 5.  
Febr. in libro , cui titulus Scintillæ Ignatianæ : paulo aliter Bar-  
tolius lib. 4. n. 36. : Soleva dire , che non gli darebbe l' a-  
nimo di stare una notte sotto un medesimo tetto con uno  
della Compagnia , che avesse addosso un peccato mortale .*
- Pag. 594. lin. ult. dessidià - desidià .
- Pag. 634. lin. 4. Lainez - - Lasso
- Pag. 637. lin. 18. 468. - - 408.
- Pag. 646. lin. 15. Burninus - Bustamantius .
- Pag. 547. Cervini Archiep. Pi-  
sanus - - - - - Senensis

F I N I S .

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.



















